*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO

M DCC XIII

publicata,

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Elect. Sax. Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCH & FIL.
THOMAM FRITSCHIUM
&
FRID. GROSCHUF.

TYPIS JOH. CASP. MULLERI,
A. M DCC XIII.

Digitized by Google

WIEN
Digitized by Google

Lectori Benevolo Salutem!

EN Tibi Actorum Eruditorum, quæ feliciſſimis Divini Numinis auſpiciis annis hactenus triginta duobus, ipſis plerumque menſium Calendis, nulla intercapedine prodiere, Tomum novum, quem trigeſimum nonum dixeris, ſi quinque Supplementorum Tomos ac utrumque Indicem generalem computes. Nec ignorare Te volumus, Lect. Ben. præter ipſos Actorum menſes, in quibus, ſepoſitis paullo Supplementis, ſtrenue nos perrecturos confidimus, propediem proditurum Tomum quadrageſimum, Indicem nempe generalem

lem

Digitized by Google

lem tertium, qui & decennii tertii Acto-rum ab A. 1702 ad anni 1711 finem edi-torum & Supplementorum Tomi IV & V res præcipuas, ad varias claſſes, æque ac in prioribus Indicibus factum eſt, re-dactas, uno conſpectu exhibebit. Præ-terea cum aliqui in ea eſſe opinione de-prehendantur, quaſi ea Eruditorum Acta, quæ hactenus vernaculo ſermone imprimi apud nos cœpta ſunt, cum his noſtris prorſus & omnino conveniant, certe eosdem agnoſcant excerptorum autores, publice hoc loco indicandum du-ximus, diverſa utique a noſtris eſſe Ac-ta iſta; facile interim patimur, ſub-inde ea ſcripta vernaculis inſeri, a quibus recenſendis non una de cau-ſa jam pridem abſtinemus. Quod ſupereſt, inſtituto noſtro, in quo conſtan-ter moris noſtri tenaces verſabimur, fave & vale!

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii, Anno M DCC XIII.

S. JOANNIS DAMASCENI, MONACHI ET Presbyteri Hieroſolymitani, Opera omnia quæ exſtant; opera & ſtudio P. MICHAELIS LEQVIEN, Ord. FF. Prædic.

Tomi II.

Pariſiis, apud Jo. Bapt. Deleſpine, 1712, fol. maj. Alph. 15.

Quum omnium optime de Republica mereantur, qui monumenta Veterum illæſa ſervant, expoliunt & ad priſtinum ſplendorem deducunt, ea profecto laude mactandus erit Rev. P. Michael Lequien, Dominicanus Sodalis, qui Joannem Damaſcenum, præcipuum Theologiæ Scholaſticæ conditorem, nova veluti toga circumveſtitum orbi erudito ſiſtit. Equidem ille jam tum ſub eo apparatu cognitus fuit, quem ipſi Burgundio Piſanus, atque deinceps Jacobus Faber Stapulenſis, Henricus Gravius & Jacobus Billius induerunt: veruntamen mox communi Præſulum Galliæ conſenſu judicatum fuit, non ſatis decentem eſſe illam Damaſceni formam, neque ipſum eo, quo par erat, ſplendore hactenus in celebritatem deductum eſſe. Unde laudati Antiſtites jam Anno M DC XXXVI Joanni Auberto, Theologo Pariſienſi, atque deinceps Franciſco Combefiſio, aptiſſimis Viris, negotium illud melius exornandi Damaſceni impoſuerunt. Quibus cunctantibus primo, mox fato cedentibus, Leo Allatius, atque poſt ipſum Veielius, Ulmenſium Sacerdos, nullo equidem inſtante, idem conati ſunt, qui tamen ipſi intra votum conſtiterunt. Quod ut tandem expleret doctiſſimus Lequienius, Allatiana

 collegit,

collegit, novamque Damaſceni Editionem paravit. Fatetur autem Sectione XIII Præfationis, ſe interpretationem Billii aliquoties miſſam feciſſe, ideo quod ille non omnem interpretandi artem exercuerit, eaque quæ Philoſophico aut Theologico more exprimenda erant, oratoria libertate protulerit, atque ex eo accurationem Damaſceni enervarit. Atque idem effert de Commentario Billiano, quo ſepoſito ſuas addidit textui notas, in id profuturas, ut multa veteris Eccleſiæ fragmenta Lector cognoſcat, lucubrationes Patrum ſecernat, atque rectius interpretetur. Hinc de libris germanis ſpuriisque Damaſceno ſubditis diſſerit, quaque neceſſitate ad præſtandam eam operam fuerit adactus. Sequentes Præfationis lineæ additionibus nonnullis ad Diſſertationes abſolvuntur, nempe quod Saducæi in Qarreos degenerarint, quod Florinus fuerit Valentinianus, quando μεἶουσιώσεως vocabulum in Tranſubſtantiationis negotio fuerit adhibitum, deque decreto Eccleſiæ Hieroſolymitanæ in cauſa librorum Canonicorum lato.

Præfationem excipiunt Dedicationes eorum, quorum olim opera Damaſcenus curatus fuit, Fabri, Clichtovei, Donati Veronenſis, Gravii, Hopperi, Billii, & Allatii, non parum ad accurationem Theologi hujus cognitionem collaturæ: præterea Leonis Allatii de eodem judicium ex opere de libris Apocryphis inedito excerptum, lectu digniſſimum, & ad fabellarum Damaſceno injectarum, errorum quoque profligationem ſummopere oportunum: cujus Paragrapho LXXIX de ſtirpe Theologi disquiritur, rectene *Arcæ* cognomentum ipſi fuerit tributum: quod nomen in Bibliothecæ Fabricianæ T. V p. 238 in *Ardam* errore typographico commutatum fuit.

Prolegomena Diſſertationibus VII ſtipantur, quarum I Proceſſionem Spiritus S. a Patre & Filio ex Cyrillo & Synodo Epheſina aliisque vetuſtioribus Græcis Patribus conſtanter aſſertam, & a ſolis Monotheletis, & Iconomachis, tum Theodulo Hegumeno, Photioque, Joannis VIII Pontif. aſſenſum falſo jactante primum impugnatam, ex Maximi Confeſſoris, & Monachorum Montis Oliveti Epiſtolis A. 809 ſcriptis confirmat: oſtenſo quando Proceſſio Spiritus S. Filio adſcri-

Diſſert. I, §. 26.

adſcripta, Symboloque inſerta fuerit: nempe ab Hiſpanis, finiente Seculo VI integram Trinitatis profeſſionem adverſus Arianos edentibus, Gallis poſtea Italiſque in ſocietatem adſcitis: inde graviſſimam Religionis ſciſſionem ortam, Græcis dicentibus, non licuiſſe poſt Synodum Nicænam quicquam Symbolo adjici, aut verba Scripturæ ulla ratione augeri pervertique. Porro illius Schiſmatis durationem refert, quod neque Synodo Barenſi A. 1089, diſputante Anſelmo Cantuarienſi, neque Scriptis Petri Mediolanenſis, Anſelmique Havelbergenſis, neque per iteratas Compoſitiones A. 1332 & 1361 tolli potuerit, quum omnes Romanorum molitiones, ex fraude magis quam integritate conſtarent: ex quo recruduerunt Græcorum faſtidia ſub Gregorio Cyprio, & Palaamitis a Symeone Xylocercino incenſis, eaque ne Synodo quidem Florentina mitigata, etſi formula concordiam mentiens condita eſſet: quippe cui Marcus Epheſius & Orientalium Eccleſiarum Patriarchæ illico reſtiterunt.

Diſſertatione II teſtimonia Patrum ad examen vocantur, quibus Monophyſitæ ad ſuam ſtabiliendam hæreſin abutebantur: Athanaſii nempe, Julii & Felicis Romanorum Pontificum, Dionyſii itidem Alexandrini & Areopagitæ, Gregoriique Thavmaturgi, quæ in Apollinariſtarum officinis eſſe confecta, & Patribus fraudulenter ſuppoſita, magno conatu Autor affirmat. Is quæ potiſſimum de Pſeudo-Dionyſio aſſeverat, quem a Petro Fullone vel Attico conſcriptum eſſe putat, confidenter aſſerit, §. 16.
monens juxta, maximos Eccleſiæ Doctores ob neglectam artem Criticam ſpecioſis titulis, qui hæreticorum libris præfixi erant, ſæpiſſime fuiſſe deceptos. In exemplum profert duas Athanaſii Orationes, quarum prior de eo, quod unus ſit Chriſtus, altera de Incarnatione verbi ad Paulum Samoſatenum inſcribitur, quarum unamquamque Apollinariſtis tribuendam, rationibus non contemnendis probat, quum hæreſis eorum in Syria & Græcia §. 21.
validas admodum radices egiſſet.

Diſſertatio III de Epiſtola, Chryſoſtomi nomine ad Cæſarium inſignita, & a Petro Martyre primum, deinde ab Emerico Bigotio, tandem a Joanne Harduino eo fine publicata, ut ea abutentium ora obſtruerentur, tractat, ita tamen, ut & eandem Neſtoriano cuidam homini adſcribat: (hæc enim facillima via, Pa-

Digitized by Google

trum pro veritate ſuffragia enervandi) quod ne temere affirmet, his argumentis utitur, quod in Epiſtola eadem capita pertractentur, quæ in Diſſertationibus Athanaſio fraude Neſtorianorum ſubditis agitantur, tum quod ante Damaſcenum nemo eandem citaverit. Quin imo etiam affirmat, eam poſt Chalcedonenſe Concilium ſcriptam, ideo quod ante illum conventum locutiones iſtæ ex duabus naturis & in duabus naturis non fuerint uſu receptæ. Quæ an ſatis valida ſint, ut iſtud pro veritate documentum e manibus legentium extorqueatur, vindices veritatis ſuo tempore diſquirent. Monemus tamen eo ipſo, quo hæc ſcribebamus, tempore nobis traditam eſſe eruditam Chriſtiani Wilhelmi Vollandi, Adjuncti Viteb. & modo apud Uratislavienſes Prof. P. Magdalenei, Collegæ noſtri perinduſtrii, diſſertationem ad diem 10 Nov. A. 1712 habitam, qua hanc ipſam Epiſtolam, ut germanam Chryſoſtomi filiam, magno argumentorum pondere adverſus Harduinum vindicat, quæ & ipſa Lequienio ſatis eſſe factura non ambigimus, niſi novam eruditi Viri pro Chryſoſtomo Apologiam, aut accuratum hujus ſuæ diſſertationis, tum a Vollando nondum viſæ, examen expectare velit.

Diſſertatio IV de Epiſtolis ob adjectam Triſagii Cantico clauſulam, ad Petrum Fullonem ſcriptis, deque Expoſitione Fidei inter Opera Juſtini Martyris contenta agit. Quod ad Epiſtolas ſpectat, eas Baronius quaſi Felicis III, Pontificis Rom. A. C. 483 attulit, Fronto Ducæus cum VII aliis aliorum Præſulum edidit, Henricus Valeſius Diſſert. ſingulari de Petro Antiocheno, & Caveus præterea in Hiſt. Lit. ut ſpurias rejecerunt, Pagio easdem ad Simplicium Felicis ſucceſſorem referente: quem Lequienius refellit & Valeſio Caveoque adſtipulatur: ideo quod ſtylus ſit inconcinnus, ſcribendique ratio Pontificibus parum decora, qui tales titulos hæreticis dare non conſueverint: quod quidem argumentum parum eſt validum, quum Acta Conciliorum & innumeræ Epiſtolæ Præſulum juxta ac Imperatorum extent, quibus & Arianis & aliis peſtilentiſſimis hæreticis, eo usque, quoad ab Eccleſia pulſi forent, ſolennes tituli impertiti fuere. Porro objectionem ſibi ex Alexandri Monachi Cyprii teſtimonio factam, quo aſſerit Petrum Fullonem διὰ γραμμάτων παραινετι-

Digitized by Google

κῶν ad ſaniora ſollicitatum eſſe, ita diluit, ut eas epiſtolas confictas eſſe, confidentiſſime pronunciet. Quod ad expoſitionem Fidei Juſtino M. tributam ſpectat, hanc a Neſtorianis compoſitam putat: ideo quod Autor illius Chriſtum non niſi per duas naturas deſcribat: tum quod unionis modum velut arcanum aliquod definire recuſet, nec niſi de Dei Verbi in humana natura inhabitatione tanquam in templo loquatur, quod certiſſimum ſit Neſtoriani erroris ſpecimen; quum Orthodoxi unionem *ἐσιώδην, φυσικὴν, καθ' ὑπόςασιν, κατὰ σύνθεσιν* ſtatuant, Pſeudo-Juſtino unionem tantummodo *κατ' εὐδόκιαν ἐ κατὰ φύσιν* commemorante.

Diſſertatio V de Oratione, de iis qui in Fide obdormierunt, & de Purgatorio ſecundum Orientalis Eccleſiæ ſenſum tradit. Ea Oratio cum a plurimis, tum noviſſime etiam a Combefiſio & Allatio tanquam ſpurius Damaſceni fœtus habitus fuiſſet, pro tali etiam a Lequienio agnoſcitur, ideo quod rem ſuam e libris Maccabeorum, prætereaque fabulis de erepto pœnis infernalibus Trajano, Macariique cranio probet. Ceterum, quando reliqua iſtius orationis capita examinat, e Marci Eugenici orationibus in Synodo Florentina habitis demonſtrat, Orientales licet ignem purgatorium negent, non tamen diffiteri, defunctis e ſupplicationibus viventium ſolatium quoddam accedere poſſe, inque eo cum Romanis convenire: quod locum purgatorii ſtatuant, variæ purgationis genera agnoſcant, quæ tamen ob Scripturæ ſilentium non deſcribunt: Sacrificia pro defunctis non damnent: id quod amplius ex Cyrilli Catecheſi Myſtagogica probare nititur, etſi jam pridem illa a Simlero & Combefiſio Cyrillo fuerit abjudicata.

Diſſertatio VI de Azymis, deque poſtremo Domini noſtri Jeſu Chriſti Paſchate tractat, & operoſius quidem, propter Græcorum criminationes, quibus Eccleſiam Occidentalem onerant: oſtendit autem, Armenos primo omnium fermentatos panes a ſacrificio Domini excluſiſſe, eumque ritum accepiſſe a S. Gregorio Illuminatore, a quo fidem Chriſtianam edocti fuerant, neque hunc morem ideo a Patribus Trullanis Synodo quiniſexta Canone XXXII improbatum eſſe, ſed tantum- §. 30.

Digitized by Google

modo reſtrictum, ne cum Judæis familiaritatem habere crede-
§. 35. rentur. Hinc Leonis IX auctoritate confirmat, Azymorum uſum in Eccleſia Romana a primis Chriſtianiſmi incunabulis viguiſſe, quin ipſis etiam Alexandri I temporibus eſſe vetuſtiorem,
38. ut Græci errent ſtatuendo, Azymorum uſum Caroli Magni ætate antiquiorem non eſſe. Ideoque ne cum Jacobo quidem Sirmondo ſtandum, qui conſtantem Azymorum uſum poſt Photii obi-
40. tum introductum putavit, quippe qui Leonis IX & Rabani Mauri ſuffragiis refutetur. Hinc curioſa nonnulla de Hoſtiarum figura coronulæ ſpeciem exhibente, deque quadratura illarum refert, Græcis adeo ſolenni, ut ſacrilegium reputent, ſi panis aliter effigiatus offeratur. Ad finem Diſſertationis monet, alia Damaſceno opuſcula de Azymis ſuppoſita eſſe.

Diſſertatio VII Chriſtianos Nazareos eorumque fidem & Ebionitas deſcribit: ab initio monens Naſſareos, veteres Judæos, a Nazareis Chriſti aſſeclis ſecernendos. Hinc de Ebionitis dubitat, an illa ſodalitas doctorem Ebionem habuerit, eoque potius flectit, commune illud fuiſſe eorum, incertumque nomen, qui Chriſti doctrinam retentis juxta Judæorum ceremoniis ſequerentur. Ab his Nazareos fuiſſe longe diverſos, qui, ſecus ac Ebionitæ faciebant, divinitatem Chriſti æternitatemque reverebantur. Eosdem obſervaſſe legem non ex neceſſitate ad ſalutem, ſed ex more, cui innutriti erant: quem cum eorum poſteri arctius tenerent, moresque in neceſſitatem verterent, a Chriſtianis pulſos, & ab Eccleſia proturbatos eſſe.

De Notis Lequienii ad Dialecticam & Hæreſiologiam & reliquos Damaſceni libros, cum id prolixius futurum ſit, non dicemus, id tamen non diſſimulamus, eruditas eſſe, lectuque dignas, ideo quod ex Patrum lectione & αὐτοψίᾳ ſint hauſtæ, quorum erroribus non parcit, detectis juxta æqualium ceſpitationibus, quos tamen, quemadmodum & eos qui a Communione Romana alieni ſunt, modeſtia laudabili excepit.

Tomus II. Secundus Operum Damaſceni Tomus continet Epitomen Commentariorum Jo. Chryſoſtomi in Epiſtolas Pauli ex Codice regio 2331, quem ideo Damaſceni fœtum putat, tum quod ille ejusmodi excerptis congerendis ſolennem operam dede-

rit:

Digitized by Google

rit: tum quod idem opus in inſula Pathmo cum inſcripto Damaſceni nomine fuerit inventum. Fatetur tamen Lequienius, ſententias Chryſoſtomi nomine allatas, mutatas aliquantulum reperiri, aliquando brevius citatas eſſe, ſibique videri Excerptorum ſtylum magis cum Theodoreti aut Cyrilli dictione convenire: nec reticet, Codicem antea citatum fuiſſe mutilum, mendoſum ſenſuque impervium & obſcurum, ut magnam proinde Lector accurationem afferre debeat, ni ſpuria pro germanis arripere velit. Sequitur Codex Parallelorum Sacrorum a Billio hactenus tantum Latine editus, quem ipſe duobus MSS. Vaticano & Rupeſucaldiano adjutus edidit, quos tamen inter Codices magna differentia, Rupeſucaldiano Vaticanum magno numero ſuperante: in qua diverſitate Lequienius Vaticanum elegit, etſi Joannes Zonaras pro altero ſtare videretur. Autor Opus illud in tres libros diviſit, quorum 1) de Deo & Trinitate, 2) de rerum humanarum ſtatu, 3) de virtute & vitio, quæ omnia ordine alphabetico tractantur, ut ſingula eo facilius inveniri queant. Ceterum e divinis literis & auctoritatibus Patrum componitur. In Rupeſucaldiano Codice egregia fragmenta ex Titi & Antipatri Boſtrenſium Præſulum Commentariis extant, quorum poſtremus accurate admodum adverſus Reſurrectionis irriſores diſputat, unde adverſariis hujus doctrinæ noſtro tempore vigentibus & Connoro etiam inſolentiores ea de re opiniones foventi opponi poſſit. v. p. 765, 766. Sermo de Transfiguratione Domini multas habet ἀκυρολογίας, quas inter Chriſtum νομοθέτην appellat. Quæ de Ficu areſacta oratio inſerta eſt, pulchra eſt, divinæq; Suadæ maxime in Epilogo pleniſſima. In Oratione de Cruce ad Apathiſtas acceſſiſſe videtur, de Chriſto dicens: τοσαῦτα πάθων ἔμεινε ἀπάθεις, niſi forte ipſum ita excuſare velis, ut magis ad majeſtatem in tanta exinanitione intemeratam, quam ad corpus reſpexerit. p. 815. Hac ratione Tomus II comparatus eſt, tertius, qui adhuc exſpectatur, ſpuria & ſuppoſititia vel dubia ſaltem Damaſceni Scripta exhibebit.

Digitized by Google

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ ET cujuscunque generis Acta publica Anglicana, accurante THOMA RYMER Ser. Reginæ Hiſtoriogr.

Tomus X.

Londini, per A. J. Churchil, 1710, fol.
Alph. 9½.

Complectitur hic Tomus annorum viginti & unius ſpatium a 1420 ſcilicet ad 1441, eventibus varium & attentione noſtra imprimis dignum. Quaſi enim conſenuiſſet cum Henrico V fortuna, & in puerilem infirmitatem, imperium capeſſente Henrico VI, recideret, miſere tum exagitabat Anglos, a Gallia victa nunquam ſatis tutos, nedum de conciliata gaudentes. *Gallica* ſibi negotia fere, quicquid commemoratione dignum eſt, vindicant: quæ adeo, quantum nobis quidem aſſequi licet, perluſtrabimus. A. 1420 res *Britanniæ minoris*, quæ provincia nec Anglis ſatis dedita, nec Gallis ſatis fida, cum utraque parte pacem utcunque colebat, fervide agebantur. Scilicet Delphinus præpoſteris ſuorum conſiliis adactus, Johannem Montfortium Britanniæ Ducem inſidiis, quarum miniſter Oliverius Bleſenſis fuerat, interceptum in carcere detinebat, ejusque fratrem Arthurum,
p. 2. incertum quo jure, pari modo in poteſtate habebat. Johannis dimittendi Delphinus per legatos ſpem ejus uxori fecerat, Oliverio interim, cui domeſticæ cum Britanno erant inimicitiæ, fruſtra ſperari dimiſſionem ejus, jactante. Qua de re querelas ad
8. Henricum Britones deferunt, ſimul vero & Arthuri liberationem ab eo petunt, qui imperium pro fratre adminiſtret. Conſentiebat in id Henricus, pactis ſibi certis conditionibus, quarum ſumma eo redibat, ut poſt biennium Londini captivum ſe rurſus ſiſtat Arthurus, nullo modo nec ipſe *pacem*, quam vocabant *finalem*, turbet, nec a proceribus ſuis turbari permittat, Montfortenſis autem Comitatus tantisper uſurpandus concedatur Henrico, dum
46. in captivitatem redeat Arthurus. Deinde peculiari gratia motus Rex Angliæ Arthurum omnino liberum fore pollicebatur, modo quæ reliqua per pactum erat ſtipulatus, religioſe obſervaſſet. Quæ deinceps vel cum hoc Arthuro, vel cum ejus fratre Johanne ſint acta, non ſatis ex hoc opere percipere licet, niſi quod de pacis

Digitized by Google

finalis acceptatione actum cum Bretonibus inveniamus. De Arthuro notandum, quod *Comes Richemondanus* appelletur, titulo hoc ad Montfortenſem gentem devoluto, cum Alanus Richemondæ in Anglia fundator ex Ponthievrenſibus fuerit. Poteſt præterea ex mandato, quo legati ad Henricum muniuntur, notitia quædam procerum apud Bretones eo tempore maxime illuſtrium hauriri, quorum princeps fuiſſe videtur Alanus, Vice-Comes Rothomagenſis, Dominus Leonis, pro Duce captivo rerum ſummam curans. Et iſta quidem, quoniam ad Ducem ſpectabant proprie, peculiari monito opus habere videbantur. Jam quid in univerſa Gallia ſit actum, ſpectabimus.

Ibi per pacem Trecenſem tantum aberat, ut omnia eſſent pacata, ut potius Delphini auſpiciis belli reliquiæ hinc inde foverentur. Adjunxerat ſe illi nuper Barrenſis Dux, affinitate cum Ludovico Siciliæ Rege contracta, cujus familia tota Delphino
erat dedita. Hinc in Aquitania caſtella quædam partim a Du- P. 3.
ce occupata, partim Catalauniæ Epiſcopo, Delphini pariter propugnatori, ſubjecta, per Anglos erant capienda, qui & Barrenſem, irrito licet conatu, ad prælium provocabant. Dein Melodunum captum poſt quinque menſium obſidionem, & Exoniæ
Comiti commiſſum. D. 10 Decembris 1420 pax finalis a tribus 30.
regni Gallici ſtatibus approbata, jurejurando firmata & in legem publicam ſancita, iis qui contra hiſcere auderent pro rebellibus
declaratis. In eodem ſtatuum concilio ſententia contra per- 33.
cuſſores Ducis Burgundiæ lata, illiq; rei pœnarum omnium, quæ
læſæ Majeſtatis crimen ſequuntur, facti. Sub initium anni 1421 41.
familia Dominorum *de le Breto*, Aquitanorum, ſed dudum Angliæ Regibus infeſtorum, in gratiam Henrici rediit. Inſtrumentum vero pacti eapropter initi, hoc notatu dignum habet, quod indicem cognatorum iſtius gentis texat, & magnam partem fun-
dorum ad eam pertinentium recenſeat. Hoc anno Dux Claren- 95.
tiæ Henrici frater in conflictu quodam occiſus, quapropter Henricus, qui paulo ante trajecerat in Angliam, redire cito cogebatur. Hic duorum ferme menſium ſpatio apud ſuos ob Parlamentum convocatum agebat, quo intervallo menſe Majo
pax Trecenſis ab Angliæ ſtatibus fuit probata, & cum menſe Ju- 110.

Digitized by Google

p. 129. nio Rex ſolveret ex Anglia, Dux Bedfordiæ cuſtos regni conſtitutus eſt. Licet vero hoc temporis ſpatio varia negotia in caſtris ad Rothomagum fuerint expedita, prout ex ſubſcriptionibus litterarum patet, quarum etiam aliquæ formulam *per ipſum Regem* habent: credendum tamen, illa vel a Comite Sarisberienſi Normanniæ cuſtode fuiſſe transacta ſolum, vel a Rege, antequam abiret e Gallia, compoſita, ipſo autem abſente perducta demum ad
212. finem fuiſſe. Die 10 Maji 1422 Meldenſe caſtrum Regi deditum, cujus deditionis articuli Anglica lingua concepti loco ad margi-
253. nem allegato ab Autore referuntur. Aſt in expeditione hujus anni ultimo Auguſti die Henricus V in Nemore Vicennarum (Bois de Vincennes) moriebatur ſacro igne, prout Hiſtorici rem referunt, quibus contradicit Rymerus noſter in Præfatione Tomi hujus, diem mortis *S. Fiacres* appellatum & inde ortum errorem aſſerens. Filius & hæres regis infans adhuc erat nec annum vitæ ſuæ compleverat, cum regiam dignitatem conſequeretur, inanem ſatis, quoad Galliam certe, futuram, niſi a Bedfordio & Gloceſtrienſi fuiſſet fulta, qui omnem eo conferebant operam, ut
269. Galliam Regi ſuo prorſus pacatam redderent. Eo tempore, cum de concilio convocando cogitaretur, quod aliquanto poſt Baſileæ conveniebat, decretum in Anglia fuit pro Regis ſui legatis eum petere locum, quem Galli alias ſolent obtinere. Bedfordius imprimis, qui Gallicas res pro Rege adminiſtrabat, ad res ejus in
280. hoc regno firmandas arctius ſibi adjungebat Burgundiæ Britanniæque Duces. Ipſe enim Annam Philippi Boni ſororem in matrimonium ducebat, & Arthuro Britanno (de quo ſupra, quemque poſt Henrici V mortem, quaſi ſoluta fide liberum manſiſſe, aliunde diſcimus) alterius ſororis Margaretæ connubium conciliabat, qua occaſione fœdus inter Bedfordium, Burgundum & Britannum Ambiani factum, cujus formula, quo firmius illud eſſet, a prætore Ambianenſi ſubſcriptione & ſigillo præfecturæ munita. In iſta formula Arthurus non amplius Richemondius cognominatur, ſed Turonenſis Dux & Comes Montfortius. Neque tamen ſtabilis hæc fuit amicitia, paulo poſt enim orto inter Arthurum & Bedfordium jurgio, alienatos ab Anglis Bretonum animos occupabat Carolus, jam poſt mortem patris e Delphino

Rex

Digitized by Google

Rex factus. Quapropter A. 1426 ineunte bellum adverſus Bre- p. 349.
tones in Anglia proclamatum, & ii ſine dubio hoſtes fuere, a qui- 372.
bus tranſitum in patriam ſuam A. 1427 adeo metuebant Angli, ut
ad litora cuſtodienda publica autoritate cives evocarentur. Hinc
non ſatis conſtaret, quare in hunc annum ſit relatum documen- 378.
tum *ſuper finali pace, de juramentis factis per Ducem Britanniæ &
filios ac Prælatos & Barones patriæ ſuæ*, quippe quod putredine
maximam partem abſumtum nec annum refert, nec diem, niſi
notum alias eſſet ex Hiſtoricis, Ducem Britanniæ proſperis An-
glorum ſucceſſibus in anguſtias redactum, pacem ab iis redemiſ-
ſe. Eo pertinent & aliæ Regis literæ, quibus Britannum prorſus 385.
ſibi conciliatum & hominem ſuum factum teſtatur. Ita res ex
voto cedebant Anglis, usque dum A. 1428 ad finem vergente Au-
reliam obſiderent, qua expeditione non modo Sarisberi-
enſis Comes, ſtrenuus belli Dux, periit, ſed & profligatis per
Aurelianenſem puellam obſeſſoribus, tantum accedebat Gallis
animi, quantum Anglis in ſtuporem fere conjectis decedebat. Ea
de re legi Bedfordii verba merentur, qui puellam ceu ſagam 408.
increpat, Aurelianenſem autem expeditionem ſe inconſulto, vel
ſaltem non ſuadente, ſuſceptam declarat. Propterea Bedfordius 413, 432.
Regi tranſitum in Galliam ſuadet, qui denique poſt multas con-
ſultationes (rem enim dubiam pecuniæ defectus faciebat, An-
gliæ reditibus ordinariis ad bellum proſequendum non ſufficien-
tibus) decernebatur. Tantum autem famæ ſuæ prodigium puel- 459, 472.
la fecerat, ut multi milites, qui ad iter Gallicum nomina dede-
rant, jam moras necterent, & graviter eſſent coercendi. A. 1432 500.
de pace vel induciis ſaltem cum Carolo cogitatum, & Epiſcopus 525.
Roffenſis ea de cauſa in Galliam miſſus. Sequenti anno 1433 534, ſqq.
caritas annonæ Galliam adeo premebat, ut ex Anglia frumen-
tum eo deducendum fuerit. Ejusdem anni dies 15 Octobris ad 561.
colloquium de pace Caleti habendum præſtituta. Utut vero
inanis fuerit hæc actio, pacis tamen cogitatio non abjecta, quin 612.
potius Atrebati novum de ea colloquium propoſitum, inſtanti-
bus potiſſimum Imperatore & Pontifice. Ibi notandum inter
Ambaſſiatores, Oratores, Procuratores, Deputatos & Nuncios
ab Angliæ Rege primo loco nominari Philippum Burgun-

Digitized by Google

dum,quamvis conſtet,eum jam tum ferme in gratiam cum Carolo Valeſio rediiſſe, quod teſtimonium eſſe poteſt integerrimæ in hoc Principe indolis,qua Boni cognomen meruit. Aſt Anglis arcum nimis intendentibus, rumpebantur tractatus, eo majori cum damno ipſorum, quod Burgundus arrogantiam hanc non ferens
p. 620. ad Gallos ſe omnino converteret.Bulla de hoc negotio Papæ Eugenii extat, qui interrogatus profitetur,ſe nec Burgundum nec alios Galliæ magnates a jurejurando Anglis olim præſtito abſolviſſe. Abſolutionem autem iſtam a Gallis oratoribus, pace cum
632, 643. eo compoſita, factam, aliunde diſcimus. A.1436 ad pacem rurſus animum adjiciebant Angli, ſimul cum matrimonio inter Re-
646. ſq. gem ſuum & Caroli Valeſii filiam concludendam.Obſidebat tum Burgundus, bello finem facturus, Caletum, Flandrenſibus imprimis in expeditionis ſocietatem aſcitis, quapropter adverſus
652. eum Dux Gloceſtriæ mittebatur,in rei conficiendæ præmium Co-
674. mitatu Flandriæ propoſito. A.1437 Richardo Warwici Comi-
686. ti locus Regis in Gallia demandatus. A.1438 Guinam Burgundus oppugnat. Cujus liberandæ cauſa Huntingdonius Comes in
78, ſqq. Galliam cum claſſe tranſit. A.1439 inter Caletum & Gravelingam Henricus Cardinalis Angliæ & Burgundiæ Duciſſa conveniebant, præſentibus etiam quibusdam Caroli Valeſii legatis, cum
724. quibus de pace in Marchia Caleti tentanda conventum. Quomodo ſe in iſto colloquio gerere Angli, quid poſtulare debeant,quid concedere, prolixe ſatis in charta conſignatum legi poteſt. Rei ſumma eo redit,ut diviſionem Regni proponerent primo quidem omnes ultra Ligerim provincias Carolo offerrent,pleno jure tenendas, præter Aquitaniam & Comit. Pictavienſem, vel ſaltem omnes provincias ad Anglos jure peculiari, & non ex Franciæ, quod quærebant, Dominio pertinentes,cum Caleto & Marchiis circumſitis,Anglis ſervarent de titulo nil concederent, ſed & alias plures in Gallia Reges eodem titulo regnaſſe monſtrarent, de matrimonio autem conveniri non poſſe dicerent, priusquam pax ſit ſtabilita.Quodſi propoſita hæc Valeſianis omnino diſplicerent, de induciis ſaltem ab Aurelianenſi vel Duciſſa Burgundiæ mentionem injici Rex cupiebat. Quo vero conditiones jam dictæ majorem vim ſortirentur,Cardinali Angliæ mandatum erat,ut oratio-

ne

Digitized by Google

ne pathetica belli tam diuturni damna,quæ non in utrumque regnum ſolum,ſed & in univerſum orbem Chriſtianum & religionem adeo ipſam redundarint,& officia Principum, quibus regna non ad exſatiandos animi affectus, ſed ad commoda populorum promovenda,ſint commiſſa,exaggeraret. Eo anno cum nil eſſet p. 767.
confectum,reſumebatur inſequenti 1440 negotium,varie tamen eluſum, ut conveniri quidem tum non potuerit. Et hæc quidem quantum ad univerſam Galliam hactenus. Inter captivos proceres, quos ex ultimo prœlio ad Azincurtum ſervabant Angli, præcipui erant facile Borbonius & Aurelianenſis. Inter Borbo- 85.
nium & Henricum V jam A. 1421 convenerat, eum, jurata pacis finalis obſervatione, obſidibus redditis, & ſex præcipuis regionis ſuæ oppidis,nec non Claromontano Comitatu, pignoris loco traditis, eſſe dimittendum. A. 1429 naves jam erant deſtinatæ, 413.
quæ eum Caletum ducerent. Prioris vero tractatus eo tempore nullam rationem habitam fuiſſe,ex eo patet,quod conſilium re- 434.
gium decreverit ad expediendam Borbonii liberationem properare,ipſius viribus per diuturnas infirmitates ita fractis,ut non diu ſuperfuturus crederetur. Eapropter oppidorum traditio remiſ- 438.
ſa fuit, quam præſtare ob turbulentas Galliæ res non poterat, 478.
& pro ea pecuniæ ſumma conſtituta. Verum conſtat, utramque conventionem ſucceſſu caruiſſe, quippe A. 1435 Borbonius in carcere moriebatur. Aurelianenſis, ut ex tædioſa in- 556.
ter Anglos manſione evaderet, A. 1433 pollicebatur,ſe colloquium de pace Caleti habendum promoturum,homagium Henrico, ſive concludatur pax,ſive minus,præſtiturum, & eo tum ſubditos ſuos tum amicos inducturum, pignoris loco Aureliam & Bleſam Anglis traditurum,& in eorum poteſtatem Rupellam, S. Michaelis montem,Lemovicum, Santones, Biturigem, Chinonem, Pictavium &c. redacturum. Sed cum in ejus viribus non fuiſ- 707.
ſet, iſtas conditiones implere, A. 1438 itidem de pecuniaria redemtione conventum. Ea de re Gloceſtrienſis Dux quæſitus 764.
ſententiam, omni modo dimittendum Aurelianenſem diſſuadet, prudentiam ejus & autoritatem in Gallia urgens,qua turbulentas ejus res ſit correcturus & ſimultates inter Carolum Valeſium ejusque filium Ludovicum compoſiturus. Id vero in eo monumen-

Digitized by Google

to mirum videtur, quod Carolum Valeſium itidem, ut patrem, mentis impotem, & Ludovicum Delphinum eodem morbo di-
p. 782. cat laborare. Denique cum inſtaret Aurelianenſis, Henrici autem pater teſtamento caviſſet, *liberationem ejus, quandocunque fieret, fore & fieri debere medium pacificationis Franciæ & Angliæ regnorum*, ita res tranſigebatur, ut numerata certa pecuniæ ſumma liber in annum diſcederet, eo vero ſpatio pacem conciliare ſtuderet, quod ſi efficeret, ipſi pecunia reſtitueretur, ſin minus,
798. in Angliam rediret; quam transactionem ipſe Carolus Valeſius
824. literis ſuis probavit. Ita dimiſſus Dux A. 1440 Gravelingæ in templo ſe omnia probe obſervaturum conceptis verbis juravit. Comitem *Fuxienſem* a Delphino Occitaniæ Proregem conſtitutum, ſed et, Occitanis de eo querentibus, vi armata pulſum, alibi
47, 70, 176. legimus. Inde procul dubio factum, ut partes Anglorum am-
209, 230, 271. plecteretur, & ab Henrico adminiſtrandæ partim, partim ad obedientiam reducendæ Occitaniæ munus obtineret. De Gaſtone Fuxio Comite Longavillano, cujus paſſim inter negotia fratris ſui fit mentio, notandum, eum *Bogii Capitalem* fuiſſe (le Captal de Buch) quæ dignitas apud Gallos eo tempore cenſebatur inter præcipuas, ut Ducangius docet, ipſe tamen, cum familias
106. iſto Capitalatu inſignes recenſeat, Fuxienſem non habet. Inter diplomata Galliam concernentia illud non prætereundum, quo regimen & jurisdictio, quæ ad Capitaneos pertinere debeant, de-
146. finiuntur, & aliud, quo Regaliæ jus in Eccleſia Rothomagenſi ab Henrico V exercendum declaratur.
14. Quantum ad negotia *Germanica*, Sigismundum Imperatorem, poſtquam Bohemiæ regnum erat adeptus, fœdera cum Anglo jam dudum facta denuo, tanquam *Regem Bohemiæ & Electorem* S. Imperii confirmaſſe invenimus. Idem eodem tempore pacem Trecenſem probat, & ea comprehendi poſtulat, pa-
15. riter ut Ludovicus Palatinus, cujus literæ hac de re ſcriptæ tanquam *forma* proponuntur, *juxta quam alligati & confœderati*
143, 144. *petierint in præfata pace comprehendi.* Cum Imperatore quoque de *Ducatus Lucemburgenſis* redemtione, qui *Morgagii*, ut eſt in ipſo diplomate, ſeu pignoris loco tenebatur ab Anglis, tum & porro de *Delphinatus Viennenſis* pariter ac terrarum & Dominiorum *de Landok* (Languedocia forſitan innuitur)

nuitur) donatione Henrico V præſtanda actum. A. 1421 Lega- p. 161, 168.
ti ad Imperatorem, Archiepiſcopos, Trevirenſem, Colonienſem
& Moguntinum, Ludovicum Palatinum & Henricum Bavarum 208.
miſſi, qui auxilia peterent, quæ tamen Imperator ob Bohemicas
turbas religionis cauſa motas mittere haud poterat. A. 1439 ad 741, 745.
finem vergente Henricus VI cum Epiſcopo Monaſterienſi &
Gerhardo Clivenſi fœdus faciebat, quo illi, ſe Regis vaſallos homagiales
fore pro annuo ſtipendio, & centum homines armatos
regiis ſumtibus alendos in ejus ſubſidium miſſuros, obſtringebantur,
quos ſequebatur etiam A. 1440 Colonienſis, trecentos 834.
promittens.

De *Italicis* nihil magnopere referri meretur, niſi quod Ge- 117.
nuenſes cum Henrico amicitiam contraxerint, quæ potiſſimum
ad commerciorum ſecuritatem, neutiquam vero ad bellorum
ſocietatem ſpectabat. Cum *Pontifice* tractatum A. 1429 de cru- 419 ſqq.
ciata adverſus Bohemos expeditione, quam Anglis etiam denunciari
volebat, & conceſſus quidem certus ad eam militum
numerus, ita tamen, ut in denunciatione expreſſa conſenſus Re-
gii fieret mentio. Erat tum penes Regem Henricus VVintoni- 472.
enſis Epiſcopus, Cardinalis de Anglia vulgo nuncupatus. Eum
cum Pontifex a Rege abſtrahere velle diceretur, Rex publice ſuis
omnibus interdixit, ne quis Cardinalem abire volentem comitetur
vel ſequatur.

Mittimus, quæ cum *Caſtellanis* de Treugis, cum *Luſitanis*
de firmanda amicitia, cum *Flandrenſibus* de mercatorum ſecuritate
ſunt acta, cum non videantur magni momenti, & ad *Scotica*
potius progredimur. Detinebatur adhuc Jacobus Scotorum
Rex in Anglia captivus, de quo liberando A. 1421 multum
laborabat Archibaldus Douglaſſius ex proceribus Scotiæ, & cum 123.
Anglus in Jacobi libertatem conſenſiſſet, hic viciſſim Douglaſſio
permittebat, ut ad ſerviendum Regi ſe obſtringeret. Neque ta- 299.
men res confecta ante annum 1423, quo convenit inter partes, ut 302.
quadraginta millia librarum pro redemtione ſolveret Jacobus,
obſides ex ſuis daret, & matrimonium *cum aliqua Domina regni
Angliæ* contraheret. Elegit ſibi Jacobus in uxorem Johannam 322.
Sommerſetenſem, cujus intuitu ipſi decem mille marcas remi-

ſit

Digitized by Google

p. 327. ſit Henricus Obſidibus dein traditis, Treugæ ſeptem annorum,
328. quorum ſpatio de pace tractaretur, factæ, & anno 1430 in quin-
482. que annos denuo protractæ. Anno dein 1438 cum Jacobus I ab
688. Atholiæ Comite eſſet occiſus, filius ejus novas cum Anglis Treu-
gas novem annorum pepigit.

Quantum ad *Anglorum* denique res domeſticas, cum illi
poſt mortem Henrici V ob infantiam ſucceſſoris de regni pro-
261. tectore eſſent ſolliciti, Dux Bedfordiæ *Protector & defenſor Re-
gni Angliæ & Eccleſiæ Anglicanæ ac Conſiliarius Regis principalis*
eſt conſtitutus per Parlamenti decretum, ita tamen, ut eo abſen-
359. te Gloceſtrienſis ejus munere fungeretur, ad quod onus com-
399. modius ferendum unicuique annua octo millium marcarum
ſumma fuit aſſignata. Comes Warwici & Albemarlæ Regis e-
ducationi præfectus, ***ad eum erudiendum, erudiri & inſtrui faci-
endum in & de bonis moribus, literatura idiomate vario, nutri-***
436. ***tura & facetia ac aliis ſcitu dignis***, ut verba diplomatis habent.
A. 1429 cum Rex eſſet coronatus, decretum, ut nomina Prote-
ctoris & Defenſoris ceſſarent, Conſiliarii vero principalis titulus
Bedfordienſi & Gloceſtrienſi ſalvus maneret. Obſervamus præte-
761. rea, A. 1440 de commoda ratione ſal conficiendi in Anglia co-
gitatum, & propterea homines in ea re expertos ex Hollandia &
113. Seelandia accerſitos fuiſſe. Neque prætereundus index redituum
370. Regni Anglici, quales A. 1421 fuerunt, juſſu regio confectus. A.
1427 Duci Bedfordiæ omnes auri & argenti mineræ per Angli-
am in decem annos conceſſæ, ſic ut ***Eccleſiæ decimam partem au-
ri & argenti ſicut creſcant, Regi quintam decimam partem puri au-
ri & Domino ſoli ſive terræ, ubi bujusmodi aurum & argentum fo-
diebantur, viceſimam partem, ſicut creſcant***, relinquere teneretur.

MONUMENTA PADERBORNENSIA EX Hiſtoria Romana, Francica, Saxonica eruta, & novis inſcriptionibus, figuris, tabulis Geographicis & notis illuſtrata. Accedunt CAROLI M. de partibus Saxoniæ, ex antiqviſſimo MS. Palatino Bibliothecæ Vaticanæ, & Panegyricus Paderbornenſis, nec non MANES FERDINANDEI. Editio tertia prioribus auctior & emendatior.

Fran-

Digitized by Google

Francofurti, & Lipſiæ, apud Chriſtoph. Riegel, 1713, 4.
Alph. 2 plag. 23 figg. tabb. 36.

VEriſſime ὁ πάνυ *Hermannus Conringius* in Epiſtola quadam ad Illuſtriſſimum Principem, Ferdinandum Furſtenbergium, conditorem Monumentorum, quæ jam denuo prodeunt, Paderbornenſium: *Tractum illum Rhenum inter & Viſurgim terrarum*, qvarum nobilem partem conſtituit Archi-Epiſcopatus Paderbornenſis, *a Julii Cæſaris usque ævo aliqvot Seculis Romanæ Germanæque virtutis palæſtram extitiſſe.* (*Syntagmate Epiſtol. 1 p. 13.*) Namque ut ſolam Paderbornenſem Diœceſin attingamus, in illa reperimus Caſtellum Aliſonis a Druſo excitatum; hic caſtra Druſi, Germanici & Tiberii Cæſarum; hic tribunal Vari Conſulis; hic Luppiæ & Amiſiæ flumina, toties alterno Romanorum Germanorumque ſanguine intumefacta; hic ſaltus Teutoburgienſis Variana clade, cæſis legionibus & amiſſis aqvilis nobilitata; hic ara Druſi & cæſorum militum tumuli, circumque decurſiones Equitum; hic Arminii caſtrum, tropæa victoriæ & triumphantis Bellatoris Campus Martius in eodem Teutonicorum Montium tractu, ubi Widikindus, alter horum Germanorum heros, caſtrum ſuum habuit, & hodienum Monumentum ſuum poſſidet. Intra fines porro complexumque hujus ditionis celebre Eresburgum caſtrum, in eoque idolum Martis, (quod Irmenſulam dixere) ac genticæ ſuperſtitionis fanum a Carolo M. everſum. Hic Brunsberga, Driburgum, ipſum verùm Iburgum, Deſenberga, Schidroburgum arces & monumenta Saxonum in editis montium jugis tanto Francorum ſanguine expugnata. Hic Thietmallum & Sindfeldius campus, duo loca tropæis Caroli præclara; ut plura alia omittamus a *Bernardo Rottendorffio* in docta & eleganti ad Lectorem præfatione obſervata. Hæc igitur ſuſpicienda venerandæ Antiquitatis rudera permoverunt Eminentiſſimum Præſulem tunc Paderbornenſem, poſtea & Monaſterienſem, *Ferdinandum*, ex illuſtri proſapia Baronum Furſtenbergiorum, qui inde ab aliquot Seculis in Diœceſi Paderbornenſi & vicinis terris ſummis dignitatibus in Eccleſia & Aulis Principum admoti fue-

runt, interque quos *Theodorus* ab A. 1585 usque ad A. 1618 per triginta tres & amplius annos Eccleſiæ Paderbornenſis ſupremus Antiſtes Academiam Paderbornenſem ab ipſius nomine *Theodorianam* dictam inſtituit, ut pro ea, qua valebat, in hiſtoria patria ſcientia omnia illa ſtudioſe ex veterum Romanorum, Francorum & Germanorum Scriptorum & Diplomatum reliquiis colligeret, ſingulorum Locorum ſuæ Diœceſeos antiquitates nitidiſſimis ætatem auream Latinæ Poëtices (quo in genere, ut ejus Carminum libelli oſtendunt, fere excelluit) ſpirantibus elegis compendioſe exhiberet, eosdemque ſingulari eruditione refertiſſimis notis illuſtraret. Fundamenta illius Operis jam tum jecerat, quando in aula *Alexandri VII* Pontificis, in cujus, ſub nomine *Fabii Chiſii* Legatum Apoſtolicum agentis, familiaritatem Coloniæ quondam venerat, Cubicularium intimum agebat: magna induſtria perquirendo Codices Bibliothecæ Vaticanæ, monſtrante Luca Holſtenio, quocum imprimis familiariter verſabatur, quæque in uſum ſuum futura eſſent, diligenter annotando. Poſtea vero A. 1661 in Epiſcopum & Principem Paderbornenſem electus, ea quæ congeſſerat meditatusque erat, in ordinem redigens, A. 1670 primum in adſpectum literati Orbis ſub titulo *Monumentorum Paderbornenſium* produxit. Rara in Principe & Epiſcopo eruditio, & argumenti dignitas, tam brevi exempla libri diſtraxerat, ut repetita editione opus videretur, quam auctam in multis & correctam ab Eminentiſſimo Auctore figuris inſuper & tabulis Geographicis nitidiſſimo æri impreſſis ornatam curandam ſibi ſumſit, & biennio poſt, anno nimirum 1672, 4 Amſtelodami publicavit *Daniel Elſevirius*. Sed & hac diſparente atque e manibus hominum fere dilapſa, utilem operam & Reipublicæ literariæ acceptam facturum ſe credidit doctiſſimus *Rinckius*, Profeſſor Juris Altdorffinus de elegantioribus literis optime merens, ſi tertiam nobis daret, qua in re ſucceſſus eum neutiquam fefellit. Præterquam enim quod hæc poſtrema prioribus chartæ & figurarum nitore vix cedat, omniaque quæ in Elſeviriana, ſi unicam ipſius Elſevirii ad Ordines Diœceſeos Paderbornenſis Epiſtolam Dedicatoriam excipias, fideliter referat, continuat

etiam Genealogiam Furſtenbergianam ad noſtra usque tempora, p. 268. ſeq. & *Manes Ferdinandeos* ſive Leſſus & Lacrumas Parentales, quas in funere Ferdinandi A. 1683 celebrato *Pallas Theodoriana Collegii Societatis Jeſu Paderbornæ* quinque elegantibus Elegiis affudit, adjicit. In fine quoque annectuntur duo Epitaphia, *Ferdinandi* alterum, alterum Fratris illius *Johannis Adolphi Furſtenbergii*, Præpoſiti Paderbornenſis, A. 1704 d. 15. April. extincti, quorum prius in templo Patrum de obſervantia Paderbornæ poſitum, cum ad rem præſentem faciat, hic apponendum cenſuimus:

D. O. M. S.

FERDINANDUS EPISCOPUS

Paderborn. & Monaſt.

Burggravius

Stromberg. S. R. I. Princeps, Comes Pyrmont. D. in Borkelo liber Baro de Furſtenberg, natus anno ſalutis M DCXXVI, die XXI Octobr. magnæ nobilitatis maximum decus ac fulcrum, Principum hoc ſæculo erudititſſimus, Eruditorum Princeps ac Mecænas liberaliſſimus, hujus & aliorum coenobiorum, ſacerdotiorum, eleemoſynarum ingentium fundator munificentisſimus, argentorum, ad aras apparatuum & ſupellectilium profuſisſimus largitor. Summorum Pontificum, Regum, Principum conciliata benevolentia, pace Diœceſibus parta, & conſervata Monaſterienſi, etiam recuperato VVildeshuſio & XXIII millium argentea pro abaco ſupellectile donato, capitulo Paderbornenſi XXV millibus, Monaſterienſi XXXIII millibus imperialium legatis, Cleri ac patriæ Pater, expenſis in Apoſtolicas per Septemtrionem & extremam Aſiam misſiones plusquam centum imperialium millibus, pietatis & Catholicæ fidei propagator Apoſtolicus: Tandem cruciatibus calculi, fractis jam viribus ſero nimis exſecti, fortiter & ſuaviter (ut omnia feceerat) toleratis, animam Deo reddidit, ac corpus huic ſarcophago, nomen immortali memoriæ, tradidit, anno vitæ ſuæ quinquageſimo ſexto, Epiſcopatus Paderbornenſis vigeſimo tertio, Monaſterienſis quinto, partæ ſalutis MDCLXXXIII, ſexto Calendas Julii.

Digitized by Google

JO. GEORGII LEUCKFELD, PASTORIS primarii Groeningenſis & Societatis Regiæ Boruſſicæ Socii, Antiquitates Burſfeldenſes, Ringelheimenſes & Northeimenſes.

Lipſiæ & Guelferbyti, apud Gottfr. Freytag, 1713, 4. Alph. 1 plag. 13.

PErgit Rev. Autor, hiſtoricos labores vernacula continuando, jamque aliquot monaſteriorum deſcriptiones aggreditur. Primum in iis locum obtinet *Burſfeldenſe*, e familia S. Benedicti, quod in Calenbergenſi territorio haud procul a Gœttinga ſitum eſt, & fundatorem agnoscit Henricum Comitem Northeimenſem cum conjuge Gertrude circa A. C. 1093. Abbates ejus debita ſerie recenſentur c. 1. Illud vero, quo præcipue inclaruit hoc cœnobium, eſt *Unio*, ſive *Congregatio*, quæ inde *Burſfeldenſis* nomen eſt ſortita. Quum enim ſequioribus ſeculis admodum contaminati eſſent monachorum mores, nec, quamvis varia inde procuderentur Synodorum & Conciliorum decreta, mutari in melius poſſent, factum eſt, ut hoc monaſterium, quod Abbatum incuria plane collapſum ad incitas prope redactum erat, Abbatem medio ſeculo XV nancisceretur Jo. a Minden. Hic vir erat probus, & moribus innocentiam miram præ ſe ferentibus, quare non ita longo poſt tempore monaſterii faciem longe ſplendidiorem reddidit. Quosdam enim ex Trevirenſi monaſterio ad ſuum transferebat monachos probitate vitæ conſpicuos, qui diſciplinæ clauſtralis tam erant ſtudioſi, ut una cum aliis, qui ſeſe ipſis adjungebant, omnium in ſe ora oculosq; converterent. Sed brevi poſt moritur laudatus Abbas, in eo tamen felix, quod ſimilem nactus eſt ſucceſſorem Jo. ab Hagen ſeu de Indagine. Hic, in quo ipſi deceſſor præiverat, ſequebatur, quo facto a vicinis Principibus ſæpiſſime rogatus eſt, ut ex conventu ſuo quosdam ipſis monachos ſuppeditaret. Hi integram Benedictinorum cohortem novis vel mutatis ſtatutis in ordinem redegerunt, multaque, quæ inſtitutum hoc ſequebantur, monaſteria ſibi adſociarunt. Indeque orta notiſſima inter Benedictinos *Secta Burſfeldenſium*, quæ perinde atque Caſſinen-

nen-

Digitized by Google

nenſis & Cluniacenſis inclaruit, & hodienum inter Pontificios eſt celebratiſſima. Vid.c. 2. Multa autem Benedictinorum monaſteria utriusque ſexus ſocietatem cum *Burſfelderſibus* iniere, quorum recenſio c. 3 & 4 occurrit, ut & c. 5 privilegiorum ejus unionis, quæ a variis Pontificibus & Legatis obtinuerunt, de quibus jam non eſt prolixus dicendi locus.

Sequitur *Ringelheimenſis* monaſterii notitia, quod erat ordinis Benedictini, congregationis Burſfeldenſis, in ditione Hildeſienſi ſitum. Ringelheimium quidem peculiares antea habebat Comites, ex quibus unus, nomine Dietericus, circa A. 920, monaſterium hoc virginibus inhabitandum conceſſit. Neglecta vero ab eis recte vivendi diſciplina, bonisque monaſterii dilapidatis, Bernardus Hildeſienſis Epiſc. A. 1151 Conventuales Benedictinos in earum locum ſubſtituit. His narratis Autor noſter Abbatum nomina enumerat, & huic narrationi finem imponit.

Monaſterium S. Blaſii *Northeimenſe*, quod tertio loco occurrit, nomen habet a *Northeimio*, Calenbergenſis diſtrictus urbe mediocri, quæ olim Comites ſuos habuerat, de quibus multa hic occurrunt. Ex his Otto A. 1051 monaſterium hoc Benedictinorum exſtruxit, idque ſanctorum reliquiis pariter, & libris in monachorum uſus comparatis, locupletavit. Abbatum recenſum, hic quoque brevitatis cauſa ſicco pede præterimus.

JO. GEORGII LEUCKFELD ANTIQUItates Katelenburgenſes, Kaltenbornenſes, & Wienhuſinæ.

Lipſiæ & Gvelferbyti, apud Gottfr. Freytag, 1713, 4. Plag. 16 ½. 4.

KAtelenburgum, in Grubenhagenſi Principatu ſitum, cognomines quondam habuit Comites. c. 1. Horum ultimus Dietericus junior, quum ex ſterili conjuge nullos ſuſciperet liberos, circa A. 1104 monaſterium hoc fundavit, monachos eodem ex Auguſtini familia introducens, quibus & poſtea Canoniſſæ Regulares acceſſerunt. c. 2. Hujus inaugurationem ſolennem celebrarunt Rothardus & Adelbertus, Archi Epiſcopi Moguntini, in quorum Diœceſi illud erat ſitum. c. 3. Multa privile-

vilegia, c. 4, & indulgentiæ, c. 5, ipſi quondam conceſſæ, variæque a monachis iſtis cum aliis fraternitates ſunt initæ. c. 6. Advocatiam iſtius monaſterii ſemper habuit nobilis Pleſſiorum familia, c. 7, ut nimirum tum monaſterium tum bona ejus, de quibus c. 8, 9, 10, contra ingruentium hoſtium vim tuerentur. Præpoſitorum, Prioriſſarum, & Concionatorum Evangelicorum Catalogus tandem c. 11, 12, 13 adjungitur.

Kaltenbornenſe monaſterium ad fines Thuringiæ ſitum eſt, non procul Sangerhuſa, Mansfeldia & Islebia, a Cunigunda fundatum, quæ filia fuit Ludovici II Thuringiæ Comitis, vulgo a ſaltu *Deſultoris* dicti, uxor vero Wichmanni Comitis Saxoniæ circa initium Sec. XII. Conſederunt vero in illo monaſterio ordinis S. Auguſtini Regulares. Plura, quæ de eo afferat, Rev. Autor non habet, præter quædam diplomata. Nos vero monemus, adeſſe in Bibliotheca noſtra Paulina quædam diplomata, ex quibus hujus monaſterii hiſtoria aliquantum poſſit illuſtrari.

Wienbuſinum monaſterium in Luneburgenſi Ducatu ſequitur, cum *Winetbuſino*, quod prope Quedlinburgum eſt, non confundendum. Fundatum eſt circa A. 1233 ab Agneſa, Henrici Junioris, Saxoniæ Ducis & ad Rhenum Palatini, qui Henrici Leonis filius fuit, conjuge. Virgines in illo erant e Ciſtercienſium ordine, ſub Halberſtadenſi Diœceſi. Abbatiſſarum autem & Præpoſitorum nomina apud ipſum Cl. Autorem legi poterunt.

CORNELII ADAMI, V. D. M. DAMONENſis & Scholæ Rectoris, Exercitationes Exegeticæ. Accedunt Scholia ad X loca Act. Apoſt. diverſi argumenti.

Groningæ, ex officina Joh. a Velſen, 1712, 4.
Alph. 4 plag. 4.

LIberat fidem Rev. Autor, quam in Præfatione *Obſervationum Theologico-Philologicarum*, quas A. 1711 M. Majo p. 196 recenſuimus, publice dederat, & novum hoc *Exercitationum Exegeticarum* Volumen emittit, in quo permulta N. T. loca erudite illuſtravit, ut tamen longius quandoque excurrerit, materia ſub manu creſcente. Exercit. I ad Act. VII v. 17-21 agit de multiplicatione & oppreſſione Iſraelitarum in Ægypto, Moſisque nati-

nativitate, & educatione, notatque, ἐπαγγελίαν apud Atticos p. 5.
vocabulum forenſe, & ἐπαγγέλλειν apud Græcos eſſe aliquid
proclamare, indicare, eodemque ſenſu in N. Teſt. etiam ſumi
poſſe, imprimis 1 Tim. VI, 21. Ἐπαγγελίαν autem in N. T.
perſæpe *promiſſionem* factam, & ipſam *rem* promiſſam ſignificare.
Locutionem illam ὡς ἄμμος τῆς θαλάσσης non pro
locutione & adagio ſolorum Ebræorum habet, ſed & Græcos
atque Latinos, ac Poetas maxime, eandem adhibuiſſe, contra 9, 10, 11.
Vorſtium obſervat. Rationem, cur Deus Ægyptiis plagas immiſſurus
ab aquarum mutatione in ſanguinem judicia ſua exorſus
ſit, e *Philone* repetit, quoniam videlicet eas honorarunt 24, 25.
Ægyptii præ ceteris tanquam rerum omnium principium. Pergamum,
ubi thronus Satanæ fuiſſe dicitur Apoc. II, 13, prophetice 55.
Alexandriam notare, contra noviſſimum Apocalypſeos Commentatorem
negat, oſtenditque ex *Pauſania*, cultum Æſculapii
idololatricum ſingulari modo apud Pergamenos invaluiſſe, ac
ita quidem, ut illuc, *Philoſtrato* teſte, cuncta Aſia ad Æſculapii 58.
templum confluxerit. Ægyptum aditu difficilem, Niloque
munitam, caute adminiſtraſſe Romanos notat, quia ſciebant, indigenas 69.
rebus novis ſtudere. Exercit. II ad Act. VII, 22 affert
nonnulla de ſapientia Ægyptiorum apud veteres decantata, exiſtimans, 95.
reſpici ad eam Eſ. XIX, 11, 12, & ſapientiam Salomonis
1 Reg IV, 30 præferri ſapientiæ Ægyptiorum, quia Græcorum
ſapientia nondum nata erat. Ex *Æſchyli* Scholiaſte notat, Geometriam 122.
in Ægypto diligenter excultam fuiſſe ideo, quia frequenti
Nili inundatione, & inductione limi agrorum fines mutati,
& ad dirimendas incolarum lites ſæpius metiendi fuerunt.
Verbis Jerem. LI, 8, 9, ubi ferale Babelis exitium prædicitur, alludi 144.
putat ad morem antiquum apud Aſſyrios & Ægyptios, *Strabone* 145.
teſte, uſurpatum, ægrotos deponendi ad vias, ut, qui eum morbum
experti eſſent, eis conſulerent. Difficultatem loquendi non 170.
impedire arbitratur, quo minus Moſes eloquens fuerit & δυνατὸς
ἐν λόγοις dici poſſit, quod exemplo Demoſthenis, oratorum 171.
principis, ſed balbi, confirmat. Exercitatio III ſcholia continet
in varia Act. Apoſt. loca. Sub voce πεντηκοστῆς Act. II, 1 non
intelligit ἡμέραν, uti permulti, ſed vocem ἑορτῆς, cum durum 193.
ſit

Digitized by Google

p. 197. ſit vocem *ἡμέρας* abſque neceſsitate repetere. Apoſtolos ſolos
tunc Spiritum S. accepiſſe, rationibus quibusdam probabiliter
210, 211. adſtruit. Ad v. 15 diverſis veterum locis adductis probat, com-
potationes matutinas corruptisſimæ indolis indicium fuiſſe. Ad
277, 278. Act. XII, 13 agit de janitoribus, & oſtiariis veterum, renuntiati-
oneque per illos facta. Rhoden oſtiariam *anum* potius, quam
puellam fuiſſe putavit *Edmundus Merillius*, quia ancillæ anus po-
tius, quam puellæ huic miniſterio addici ſolebant. Unde etiam
Menelaus ancillam oſtiariam *anum* vocat apud Euripidem, *He-*
280. *len.* v. 448. Noſter vero Autor *anum* hic non intelligendam pu-
tat, cum quod *παιδίσκη* nomen ſit ætatis minoris, tum quod eti-
am adoleſcentulæ eo miniſterio functæ ſint. Apud Macedo-
nas dimisſionem e carcere a Magiſtratu publice factam, innocen-
325. tiæ fuiſſe ſignum, ad Act. XVI, 37 notat. Exercit. IV gratiæ
divinæ magnitudinem, in converſione Pauli demonſtratam,
391. ad 1 Tim. I, 12-17, exponit, & voces *σωτὴρ* ac *σώζειν* erudite ex-
393, 394. plicat, oſtenditque, ſermonem illum de adventu Chriſti in mun-
dum jure vocari *πιστὸν* & *πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον*, ac poſteriorem
loquendi modum ſatis recte ſe habere, & Græcis familiarem, nec
402. opus eſſe, vocabulum *ἀποδοχῆς* e Synagoga Judaica derivare,
quia *ἀποδέχεσθαι* Græce frequentisſime ſignificat *approbare*, &
ἀποδοχὴ *approbationem*. Integram autem locutionem mere Græ-
403. cam eſſe, ex ſimilibus conſtructionibus docet. Tandem Exercit.
508. V ad Rom. I, 18-32 agit de moribus Romanorum ante prædica-
tum Evangelium, ubi plurimas veterum Romanorum virtutes re-
cenſet, oſtenditq; teſtimoniis ſcriptorum idoneorum, priſcorum
Romanorum virtutes paupertati, divitiis autem tribuenda eſſe
549. poſterorum vitia, quæ nemo copioſius, elegantius, & verius de-
ſcripſerit Apoſtolo Paulo Rom. I, 18-32. Cujus verba referri qui-
dem poſſe cenſet ad alios etiam gentiles eo tempore viventes,
550. cum ethniciſmi *χαρακτῆρα* exprimat Paulus, & ad alios convin-
cendos translata ſint a *Salviano*: proprie tamen & directe Ro-
manorum illo tempore, & extra Eccleſiam viventium mores de-
pingi opinatur.

CAS-

Digitized by Google

CASPARIS ZIEGLERI, ICTI, IN SUPREmo Provocationum Senatu Electorali Saxonico Conſiliarii, Anteceſſoris in Academia Vitembergenſi Primarii & Facultatis Juridicæ ibidem Præſidis Ordinarii, Disceptationes Selectæ, argumenti varii, ex Jurisprudentia Romanorum Germanica forenſi, inter quas Robuliſtica *aliæque rariores eminent. Collegit, recognovit, digeſſit, ſummis capitibus & indice locuplete inſtruxit GEORGIUS BEYER, D. Pandectarum in Academia Vitemb. P. P. & Dicaſteriorum ibidem Aſſeſſor.*

Lipſiæ, apud Joannem Fridericum Braunium, 1712, 4. Alph. 1.

SEculum cum dimidio circiter erit, ex quo in noſtris & Gentium nonnullarum exterarum Academiis mos invaluit, eorum, qui vel ſtudiorum periculum facere, vel ad gradum in arte ſua ſublimiorem admitti ſatagunt, ingenia profectusque Disceptationibus publice propoſitis defendendisque exquirere. Fatendum tamen eſt, antiquiores illas, de Juridicis ſaltem loquimur, plerumque ſteriles circa generales materias & inutiles Antinomiarum enodationes occupatas, haud multum adeo fructus induſtriæ legentium rependere. Noſtra demum patrumque memoria viri nonnulli egregia doctrina ad ſelectiora magis argumenta animum advertere, eademque elaboratius, quam ante fieri ſolebat, tradere cœperunt; quæ cauſa fuit, ut ſparſæ illorum lucubrationes vel ab ipſis, vel poſt eorum fata ab aliis colligerentur, ut ad ſuum ordinem revocatæ juſtis voluminibus comprehenſæ exhiberentur. Notæ ſunt ex eo ordine Exercitationes Academicæ *Lauterbachii, Taboris, Kulpiſii, Mauritii, Textoris, Rhetii, Bornii, Stryckii, Hertii, Eybenii, Bergeri, Thomaſii, Kleinii, Menckenii* aliorumque præſtantiſſimorum JCtorum, qui non inviti in ſocietatem admittent has Zieglerianas, cum ob Autoris ſui, quo majorem non habuit Germania noſtra, famam eruditionemque, tum argumentorum ſelectum & tractandi felicitatem commendabiles. Exhibentur earum quinquaginta duæ, omnes ex Civili, quod vocant, jure petitæ, & juxta ſeriem

Pandectarum a Conſultiſſimo Beyero, qui eodem anno duplici beneficio Zieglerianorum & Brummerianorum opuſculorum collectione orbem eruditum ſibi devinxit, diſpoſitæ. Eminent inter illas, quæ de *Rabuliſtica* ſive de *artibus Rabulariis*, *de Pœnis*, *de jure Victualium*, *de tempore legali*, *de conditionibus*, *Mobatra*, *de Cenſiticis ruralibus*, vexatis & obſcuris materiis, doctiſſime commentatus eſt. Junguntur his duæ aliæ *Ziegleri* Patris homonymi, illius cujus Concluſiones ad Praxin auream *Calvoli* doctorum hominum manibus teruntur. Spem vero facit celeberrimus *Beyerus*, propediem fore, ut & alterum volumen Diſſertationum Zieglerianarum una cum vita ejusdem prodeat, in quo reliquæ illius ex Jure Canonico, cujus profundiori ſcientia præcipue excelluit ὁ μακαρίτης, Feudali & Publico, argumenti item Theologici & Politici Diſceptationes continebuntur. Optandum ſaltem, ut exemplo hoc exciti alii ad aliorum JCtorum, & in his eximii Viri *Johannis Strauchii* errantes palantesque ſchedas cogendas conſilium operasque ſuas conferrent. Multum inde utilitatis capturi eſſent defœcatioris Jurisprudentiæ ſtudioſi.

LETTERA NELLA QVALE SI RIBATtono l' ingiuſte accuſe &c.

h. e.

EPISTOLA, QVA REPELLUNTUR INJUſtæ accuſationes P. D. G. G. quibus in ſecunda Editione libri ſui de quadratura circuli & hyperbolæ ALEXANDRUM MARCHETTUM, Profeſſorem Ordinarium prius Philoſophiæ, nunc Matheſeos Piſanum, aggreſſus eſt. Scripta ab eodem MARCHETTO, ad S. E. Dn. Bernardum Treviſanum, Nobilem Patritium Venetum.

Lucæ, apud Leonardum Venturinum, 1711, 4.

Plag. 5.

Duo ſunt, ob quæ celeberrimus Marchettus de R. P. Grandio (quem ordinis ſui nempe Camaldulenſis bonum Hiſtoricum & Philoſophiæ apud Piſanos Profeſſorem ordinarium vocat)

vocat) queritur. Primum eſt, quod in ſecundæ Editionis ſuæ Quadraturæ Circuli & Hyperbolæ præfatione hæc verba poſuerat: *Nonnulli vix adducuntur, ut credant, præclarum illum Poetam noſtrique Piſani Lycei Mathematicum in theoremate de momentorum ratione, ex ponderum & diſtantiarum rationibus compoſita, cujus inventionis gloriam ſibi adſcripſerat, cum Galilæo, Cavalerio, Antonio Rocca, Torricellio, a quibus id ante traditum & uſurpatum oſtendit Vivianus in Scientia Univerſ. Proport. ultro conſenſiſſe, cum tamen id citra ullam plagii ſuſpicionem eventu facillimum ſuadeat obvia cuilibet ex primis vulgatisque Mechanicæ principiis dictæ propoſitionis deductio. Quid ſi intelligerent, totum ejusdem Autoris argumentum de reſiſtentia ſolidorum, quod anno 1669 publici juris fecit, jam ante octo annos a Domino Blondello præoccupatum fuiſſe, qui idem Galilæi ſphalma de ſolido parabolico æqualis ubique reſiſtentiæ, etiam cum utrinque fulcitur, prior detexit, & , ſubrogato ſolido elliptico, emendavit. Editus is liber eſt in quarto apud Franciſcum Clouſier in Aula palatii juxta ædes Senatus principis 1661 ſub hoc titulo:* F. B. Epiſtola ad P. W. in qua famoſa Galilæi propoſitio diſcutitur circa naturam lineæ, qua trabes ſecari debent, ut ſint æqualis ubique reſiſtentiæ, & in qua lineam illam non quidem parabolicam, ut ipſe Galilæus arbitratus eſt, ſed ellipticam eſſe demonſtratur; *neque diverſo medio (quod magis mireris) nec admodum variis diagrammatum formis utriusque demonſtratio procedit. Sed & in libro Regiis typis anno 1676 Pariſiis edito, cui titulus:* Recueil de pluſieurs Traitez de Mathematique, *idem Blondelli tractatus p. 60 recuditur, & ſcriptus Faræ Viromandorum pridie Idus Sextilis anni 1659 indicatur; tum p. 69 alia ejusdem epiſtola in idem argumentum, data Pariſiis 18 Jul. 1661, affertur, ubi ſe fatetur ante duodecim annos, adeoque anno 1649, id eſt, 20 annis ante Mathematici noſtri librum, elaboraſſe volumen* de Reſiſtentia ſolidorum, *eique titulum addidiſſe*, Galilæus promotus, *quod rurſus coincidit cum titulo, quem noſter Mathematicus libro ſuo olim præfigendum fuiſſe in præf. monet*, Galilæus ampliatus. *En ipſamet ejus verba, quæ reſcribere non piget, ob inſigne, quod referunt, Gasſendi de Galilæo elogium: Ayant pour ce ſujet composé le livre,*

D 2 *que*

que vous avez veu preſt à eſtre donné au public, il y a plus de douze ans, que j'appelle Galilæus Promotus de reſiſtentia ſolidorum, *& qui pouvant quelque jour eſtre mis en lumiere, ſera aſſez connoiſtre ma reconnoisſance & le reſpect que je porte à la memoire de ce grand homme, que noſtre bon Amy M. Gasſendi appelloit ordinairement le Platon de noſtre Siecle.*

Alterum querelæ argumentum eſt, quod Marchettus doctrinam Grandianam de infinitis Nullitatibus quantitatem componentibus, iniqua cenſura notaverit. Ad hæc reſpondet Cl. Marchettus, quantum quidem ad Theorema a ſe in libello de Reſiſtentia ſolidorum demonſtratum attinet, quod *momenta duorum ponderum ex duabus diſtantiis pendentium ſint in ratione compoſita ponderum & diſtantiarum*, ignoraſſe ſe tunc, idem jam fuiſſe demonſtratum a Bonaventura Cavalerio, ſed poſtea, cum didiciſſet, id ſponte fuiſſe profeſſum in libello Piſis 1675 a ſe edito, inſcripto: *Septem problematum geometrica ac trigonometrica reſolutio.* Ope vero ejus theorematis multo compendioſiores Galileanis demonſtrationes ſe conſecutum addit hic, & cum prius libellum ſuum voluiſſet inſcribere *Galilæum ampliatum*, ex eo mutata mente titulum ei dediſſe de *Reſiſtentia Solidorum.* Quod vero attinet ad Blondelli præventionem circa *Reſiſtentiam Solidorum*, rem ita narrat: Celeberrimus Magni Hetruriæ Ducis Mathematicus Vincentius Vivianus, cum diu in promovenda hac doctrina occupatus fuiſſet, intellexiſſetque vel ex Donati Roſſetti, Profeſſoris tunc Philoſophiæ Piſani, Antignoma, vel aliunde, Cl. Marchettum de hoc argumento librum edere velle; ſumto magno ſcripturarum faſciculo adiit Virum ſummæ dignitatis (fortaſſe Eminentiſſimum Cardinalem Leopoldum Medicæum) eique oſtendens, quantum laboris huic argumento impenderit, & quod opus Regi Chriſtianiſſimo dedicaturus ſit, obtinuit, ut ejus autoritate a Marchetto dilatio edendi ſui opuſculi peteretur, quod conſilium vel deſiderium ſummi Viri Marchetto præcepti loco fuit. Diſplicuit tamen hæc Viviani molitio viris egregiis rei conſciis, Joh. Alph. Borello (cujus de ea re ſuperſunt literæ) Carolo Dati, aliiſque. Cum vero nimis traheret Vivianus editionem operis ſui de hoc argumento, ipſe ille

Digitized by Google

ille magnus Vir probavit, ut tandem Marchetti liber de reſiſtentia ſolidorum A. D. 1669 in lucem prodiret. Nec quicquam tale unquam a Viviano deinde ſecutum eſt. Quod ad Franciſcum Blondellum attinet, agnoſcit Marchettus (quanquam ſero didicerit) hunc jam anno 1661 ediſiſſe Opuſculum hoc titulo: *F. B. Epiſtola ad P. V. V. in qua famoſa Galilæi propoſitio diſcutitur circa naturam lineæ, qua trabes ſecari debent, ut ſint æqualis ubique reſiſtentiæ*; ſed non ideo ſequi ait, Blondelli meditata fuiſſe ſuis anteriora, cum duobus minimum annis ſua conſcripſerit, antequam illud Blondelli opuſculum ederetur. Idem etiam ex Antignoma Roſſetti jam dicta apparere. Nempe cum Galilæus in Dialogo de hoc argumento edito ſtatuiſſet, tignaturæ vel trabibus navium ſalva reſiſtentia prope tertiam ponderis partem detrahi poſſe, ex eo quod demonſtraſſet ſolidum parabolicum æqualis ubique eſſe reſiſtentiæ: Marchettus re examinata deprehendit, primum demonſtrationes Galilæi loqui tantum de tigno, quod ab una ſolum parte ſuſtineatur, ab altera parte vero ſit in aerem projectum; atque adeo ad trabes navium, quæ ſunt utrobique ſuſtentatæ, applicari non poſſe: deinde ne quidem in trabibus ab uno ſuſtentaculo projectis ſuccedere, niſi ab ipſius trabis pondere conſideratio abſtrahatur, aut trabs conſideretur, quaſi ponderis nullius. Tales autem trabes non dari. Itaque conſiderationes ſuas ad præceptorem ſuum Cl. Borellum miſit, qui non tantum probavit, ſed etiam ad proſequendum eſt hortatus. Provocat Marchettus ad literas Borelli, quas ſervat, & (cum poſt tot annos plerique conſcii rerum obierint) ad vivum teſtimonium V. Cl. Joſephi Papæ, olim diſcipuli ſui, mox Profeſſoris Philoſophiæ ac deinde Medicinæ Piſani, nunc Archiatri Florentini, editis præclaris operibus, circa quatuor vulgo dictas primas qualitates, Calidum, Frigidum, Humidum & Siccum, eruditis ſatis noti.

Altera accuſatio Grandiana huc redit: Cl. Grandius cum libelli ſui de Quadratura Circuli et Hyperbolæ primam editionem moliretur, jam poſuerat hoc Carollarium $1-1+1-1+1-1$ &c. eſſe $\frac{1}{2}$, & annotaverat hic infinita nihila (nam $1-1=0$) facere aliquid, ut infinita Dei potentia ex nihilo per creatio-

nem res produxit. Cum vero liber cenſuræ Marchetti ſubjectus fuiſſet, hunc, ut haberet quod carperet, dixiſſe, incongruam ſibi videri hanc applicationem rerum Geometricarum ad divinæ omnipotentiæ myſterium explicandum, & ſuggeſſiſſe, ut potius objectionem eluderet, Galilæi exemplo, componendo continuum ex punctis indiviſibilibus, quæ etiamſi ſingula nihil habeant extenſi, infinita tamen extenſum componant. Se vero cum nollet in hac re Galilæi ductum ſequi, nec de re tali litigare, maluiſſe tunc quidem paragraphum controverſum plane omittere. Cum vero intellexiſſet, Cenſorem jactabundum aſſerere, oppellam illam expuncto errore a ſe caſtigatam, nunc eadem ne apice quidem mutato lectorum oculis ſubjicere, ut Respublica literaria judicet, num ipſe culpandus ſit, an potius ipſe Cenſor, qui tam validum in hoſtes veræ fidei telum ſibi e manibus excuſſerit, perinde ac ſi Cari Lucretii ſui (nempe Marchetti Italica verſio Lucretii, etſi nondum edita, in manibus habetur) aliorumque Ethnicorum Philoſophorum decantatum axioma (ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti) hac obſervatione labefactari agre ferret. Se quidem de Cenſoris animo nihil tale ſuſpicari, ſed tamen nec in verbis ſuis invenire, quod ſpongiam poſceret: nec magis oppoſita exempla inveniri poſſe, quibus mentes infirmæ contra Atheorum cavillationes muniantur. Et jam a ſe monitum (Præf. demonſtr. Vivianeorum Problematum) quantum ad illuſtrandas ſuperiores veritates (etiam Procli Diadochi teſtimonio) conferant Geometriæ Cognitiones.

Hæc fere Grandius, ad quæ Marchettus in hunc ſenſum reſpondet: Sibi quoque Mathematicas diſciplinas ad Theologiam ſemper utiles viſas, non quidem ad demonſtranda fidei myſteria, ſed tamen ad præparandum mentem. Idque agnoviſſe Platonem in Dialogo de juſto, & ipſum Ariſtotelem; dum Matheſin puram animum a materialibus abſtrahere docet, oſtenditque, etiam ſubinde vera eſſe, quæ nobis ſunt incomprehenſibilia, veluti quæ Appollonius demonſtrat de Aſymptotis, aut quæ Euclides de Angulo contactus. Atque hæc ſe non nunc primum, ſed jam dudum docuiſſe, quo nomine ad quosdam olim diſcipulos ſuos, nunc Clariſſimos Viros, provocat. Quod ad Grandianum libel-

lum,

lum, cum prima vice ederetur, attinet, ſe a Patre Inquiſitore ait rogatum, ut tanquam publicus Matheſeos Profeſſor de eo judicium ſuum interponeret: ſe vero non animo carpendi ſed ſtudio veritatis, noluiſſe apud autorem libelli diſſimulare paradoxum ſibi nimis audax, ſi non omnino Sophiſticum videri, & male ad ejus confirmationem adduci myſterium divinæ omnipotentiæ. Deo quidem convenire poteſtatem producendi aliquid ex nihilo; ſed hic attribui Nihilis poteſtatem aliquid educendi ex ſe ipſis, quod potius deroget divinæ omnipotentiæ, quam ejus conceptum juvet. Ceterum ſe ipſi ſuggeſſiſſe, ut omiſſo argumento a divina omnipotentia petito Galilæi methodum Indiviſibilium potius adhiberet. Negat vero, Grandium in poſteriore editione iisdem verbis hac in re uſum, quæ in prima omiſerat, ſed mutaſſe non pauca, ut rem plauſibiliorem redderet. Sibi gratum fuiſſe futurum, ſi Grandius primum oſtendiſſet paradoxum ſuum & deinde hinc intuliſſet, multo magis Deum potuiſſe res ex nihilo educere: ſed illum potius contrariæ viæ inſtitiſſe. Sibi axioma veterum & ipſius Lucretii, quod nihil ex nihilo, in naturalibus quidem certum videri, ſed nihil divinæ omnipotentiæ obſtare.

Nos de vero ſenſu hujus Theorematis, quod $1-1+1-1+$ &c. in infinit. $=\frac{1}{2}$. & quomodo ex meris nihilis hic non fiat aliquid, judicium Ill. Leibnitii jam in his Actis adduximus Supplement. Tom. V Sect. VI p. 264 & ſeqq. Nunc quod attinet doctrinam *de Reſiſtentia Solidorum*, notabimus, eundem in his Actis Anno 1684 menſe Jul. p. 319 & ſeqq. novam lucem huic doctrinæ accendiſſe. Ab eodem didicimus, (quoniam Celeberrimus Marchettus dubitat, an non in Blondelli promiſſo, cum poſtea ſiluerit, plus jactationis quam rei fuerit) Blondellum revera juſtum opus conſcripſiſſe de Reſiſtentia Solidorum, ſed id poſtea ſepoſuiſſe, cum Mariottus experimentis multa aliter ſe habere oſtendiſſet. Mariottum autem ipſum recte quidem animadvertiſſe, rupturam fieri non in momento, ſed per extenſionem quandam fibrarum, cum vero non ſatis verſatus in Analyſi infiniteſimali, non ſatis validam inde conſequentiam collegiſſet; Leibnitium, probante admodum ipſo Mariotto veram inde æſtimatio-

mationem intuliſſe. Quantum autem his conſentiant ingenioſæ haud dubie *de Reſiſtentia Solidorum* Marchetti meditationes, ob librum nobis haud viſum, judicari nunc quidem a nobis non poteſt.

YVONIS GAUKES, M. D. DISSERTATIO de Medicina ad certitudinem Mathematicam evehenda, continens certa hujus artis principia, & quomodo ex iis omnia mechanice & methodo Mathematica demonſtrari poſſint.

Amſtelodami, apud R. & G. Wetſtenios, 1712, 8.
Plag. 24 Tabb. æn. 3.

QUoniam Autori animus eſt Medicinam ad certitudinem Mathematicam evehere; in cauſas certitudinis Mathematum ab initio inquirit. In earum numerum refert principia certa & indubitata; objecta ſimplicia atque certa; horum veritates ex illis demonſtratas; quod demonſtrationes intellectu fiant; ordinem objectorum naturalem. Hic de definitionibus, axiomatis & poſtulatis agit; partes demonſtrationis, explicationem, præparationem, concluſionem declarat; propoſitionum genera, theorema, problema, lemma, Corollarium, itemque Scholion conſiderat; varias methodos demonſtrandi, ſyntheticam, analyticam, methodum ad abſurdum & indiviſibilium, Newtonianam, methodum infinitorum & approximationis, genitivam atque mixtam recenſet. Hæc ad Medicinam applicaturus monet, Medicinæ certitudinem ſimiliter a principiis pendere. Medicinam conſtare ait ex homine, ex introductione in praxin, & ex praxi ipſa. Inde veritates demonſtrandas 10 ſuppeditari, nempe 1 cauſas morborum internorum remotas, 2 proximas, 3 cauſas morborum externorum fluidas, 4 phænomena morborum aliarumque rerum, 5 diætas, remedia, inſtrumenta, 6 vires diætarum & remediorum modi agendi naturales, 7 functiones & integras, & labefactatas, 8 cauſas morborum externorum ſtabiles, 9 operationes chirurgicas per inſtrumenta, 10 functionum, læſionum externarum, & operationum chirurgicarum varietates. Principia certa & indubitata Medicinæ eſſe cenſet vel phyſica,

ca, vel chymica, vel mechanica, vel hydraulica. Per phyſica materiam, motum & formam atque tria *Carteſii* elementa, quæ perſpicaciores noſtra ætate non admittunt; per chymica particulas & moleculas, quas machinas inviſibiles vocat & ut majus ac minus diſtinguit; per mechanica potentias mechanicas vulgares; per hydraulica denique machinas & inſtrumenta hydraulica intelligit. Phyſica & chymica ſæpe priorum; mechanica & hydraulica quatuor poſteriorum veritatum generibus demonſtrandis inſervire. Objectorum Medicinæ certitudinem defendit, quæ ipſi ſunt corporis partes tam ſolidæ, quam fluidæ, cum functionibus vitalibus, animalibus, generationi inſervientibus; diætæ, remedia, inſtrumenta, morborum cauſæ, ſigna & methodus medendi. In demonſtrationibus ea obſervanda eſſe inculcat, quæ de mathematicis annotaverat. Affert tandem demonſtrationum mathematicarum exempla in demonſtrandis 10 veritatum generibus ante commemoratis. Equidem Cl. Autor Carteſianorum placita plerumque ſecutus tantum profeciſſe in arte demonſtrandi ſibi videtur, ut hiſtoriam morbi ſingularem Geometrice a ſe demonſtratam arbitretur; ſed qui indolem Demonſtrationum Mathematicarum animo comprehenderunt, primo intuitu animadvertent, demonſtrationes Autoris cum Mathematicis nil niſi nomen commune habere, cæteroquin ab iis admodum differre. Ne temere aliquid affirmaſſe videamur, ſpeciminis loco propoſitionem primam & ſecundam cum adjectis pſeudo-demonſtrationibus in medium afferre libet. Eſt igitur in demonſtratione, juxta Noſtrum, hiſtoriæ morbi *Propoſitio I: Homo quidam triginta annos natus febrim accepit.* Additur demonſtrationis loco: *Quoniam hominis triginta annos nati ideoque media ætate fruentis ſanguis calidior fuit*, per hypoth. 1, *idcirco calori febrili febris continuæ recipiendo aptior erat.* Hypotheſis prima urget, in media ætate ſanguinis calorem maximum eſſe: quod ex majori corporis robore concludit, juxta ipſum a copia ſucci nervoſi pendente, tanto quidem largius ſecernendi, quanto calidior ſanguis eſt. Propoſitionem demonſtraturus rationes afferre debebat, cur trigeſimo ætatis anno affectu febrili correptus fuerit æger. Ipſe autem tantum probare conatur,

Digitized by Google

quod anno ætatis trigeſimo facilius in febrim incidere potuerit. Non igitur præciſe probat, quod erat probandum. Enimvero nec hoc mathematice demonſtravit. Supponit enim, non probat, hominem facilius in febrim incidere, quo ſanguis ejus naturaliter calidior: cum tamen alii Medici ingenii acumine præſtantes rectius ſentiant, calorem febris præternaturalem magis ejus effectum, quam cauſam eſſe. Sine probatione itaque aſſumit pro certo, quod ab aliis tanquam veritati minus conſentaneum rejicitur. Similiter hypotheſis ejus, quod anno ætatis trigeſimo calor ſanguinis maximus ſit, non ſatis firmo ſtat talo. Neque enim probat, robur calori ſanguinis proportionari. Quin potius experientia nos docuit, homines quosdam, quorum ſanguis admodum calet pulſusque celer, robore perquam exiguo pollere. Nec oſtendit, trigeſimo ætatis anno robur hominis eſſe majus. Prætenſa igitur demonſtratio non differt a communi philoſophantium probatione. Propoſitio II ita habet: *Febris 10 dies duravit.* Demonſtrationis loco additur. *Quia febri liberatus eſt eo, quod auxiliis quibusdam, vel per ſe, materia viſcida & ſalſa, e qua nata fuit, e ſanguine ſecreta eſt*, per hypoth. 8. *Quod quia 10 diebus factum eſt, ideo febris etiam decem dies duravit:* Hypotheſi octava aſſeritur, febrim continuam oriri a materia viſcida & ſalſa jugiter ſanguini inhærenti, quæ, ut aliquis liberetur, e ſanguine per fermentationem ſecerni debeat & e corpore expelli: id quod ipſi manifeſtum videtur ex ſedimento ſalſo & viſcido urinæ, dum febris ſolvitur. Hypotheſis illa octava nihil ad rem facit, neque enim inde infertur febris duratio. Vis omnis argumenti huc redit: decem diebus ſublata eſt cauſa morbi. Ergo febris decem dies duravit. Sed unde quæſo novit Cl. Autor, cauſam morbi ſublatam eſſe intra 10 dies? Nonne inde, quod decem dies duravit? Ex propoſitionis igitur corollario infert propoſitionem, hoc eſt, circulum committit. Alia longe demonſtrationum mathematicarum indoles. Non aſſumuntur in iis ſine probatione, niſi propoſitiones identicæ aut certis experientiis innitentes: a demonſtrationibus aliena arcentur, quod in propoſitione continetur præciſe demonſtratur, nec idem per idem probatur. Quamvis autem Cl. Autor, Carteſianorum prin-

principiis innutritus, ſcopum ſuum non fuerit aſſecutus, ejus tamen laudamus conatum, nec dubitamus fore, ut propius ad eum accedat (quamvis eundem attingere præſenti rerum ſtatu adhuc nemini detur) ubi iſtiusmodi Autorum lectioni vacaverit, qui accuratam in Matheſi demonſtrandi viam ingrediuntur: neque enim diffitendum, eſſe inter recentiores, qui ſtudium Matheſeos facilitaturi a priſco & genuino demonſtrandi rigore deſciverunt. Dolendum adeo, ſi quis Matheſi operam dans, ut methodi vires cognoscat, in iſtiusmodi ducem inciderit.

JOHANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI, Philoſophi & Medici Forolivienſis, in Patavino Gymnaſio Theor. Ordin. Medicinæ Profeſſoris Nova Inſtitutionum Medicarum Idea.

Patavii, apud Joſephum Coronam, 1712, 4.

Plag. 3.

CUm Autor Clariſſimus Inſtitutiones quaſdam Medicas olim animo conceperit, novas illas quidem, & formando perfecto Medico, quem omnes optamus, apprime utiles, ſed easdem tantæ operæ, & tam diuturnæ, vix ut illis perſcribendis tota hominis vita ſufficere poſſe videatur, ne eas inexploratis aliorum ſententiis aggrederetur, quo primum die ipſi licuit in Patavino Gymnaſio, in quo ad Medicinam publice docendam fuerat vocatus, verba facere, ſolenni oratione earum ideam & quaſi formam propoſuit. Imo monitus fuit, ut eandem typis mandaret, quo non Gymnaſii tantum iſtius, ſed omnium Eruditorum, antequam operi manum admoveret, ſententias perciperet. Cui conſilio eo lubentius auſcultavit, quo flagranti magis ardet deſiderio, & Eruditorum judicia percipiendi, & ſatis ſpatii nanciſcendi, quo in *Adverſaria Anatomica Altera* ſubciſivi temporis partem impendat. Cui utrique operi abſolvendo ut vitam & vires ſufficientes Deus Autori Clariſſimo largiatur, omnes nobiscum boni precantur. Ut autem quædam de iſta Idea cum B. L. communicemus, exiſtimat Clariſſimus Morgagni, non ſatis eſſe, eximio imprimis, quem inſtituendum poſuit, Medico, ægrotantium lectulis aſſidere, ſed

Digitized by Google

præterea inſerviendum eſſe poſteritati, quæ is ſcire potuerit, quæque artis gratia inquirere, candide illa atque ſimpliciter in omnium ſeculorum notitiam proferendo, tum Reipublicæ obtemperandum, in ſcholis modo atque in gymnaſiis artis rationem aperiendo, in foro alias atque in judicio de veneficiis, de prodigiis, de vulneribus, de aeris ciborumque ſalubritate reſpondendo. Tria igitur ſibi expedienda intelligit Autor, 1 quæ futuri perfecti Medici ſint partes, antequam Medico tradatur, 2 poſtquam erit traditus, 3 ex quo eidem ægrotantes tradentur. Quæ ſumma capita ut in ipſo opere fuſius explicaturus ſit, brevibus hic innuit.

DE RECTA SANGUINIS MISSIONE: or *NEW AND EXACT OBSERVATIONS OF Fevers.*

i. e.

NOVÆ & EXACTÆ OBSERVATIONES circa febres, ex quibus demonſtratur, ſanguinis miſſionem tutam & ſolidam baſin earum, & plerorumque acutorum morborum curationis eſſe; Autore J. WHITE, Med. D.

Londini, apud D. Bron , A. Bell, & W. Junys, 1712, 8.
Plag. 16.

Modernis Medicis non minus quam Veteribus conſtans firmaque eſt regula, venæſectionem maxime neceſſariam baſin eſſe pro curandis morbis acutis; nulli tamen adeo felici hactenus eſſe licuit, canonem certum præſcribere, juxta quem legitima quantitas ſanguinis mittendi in ſingulis ægrotis addiſci queat. Sive enim temperamentorum ſeu conſtitutionum differentias obſerves, ſive ad morborum hiſtorias animum advertas, prout communiter a Medicis deſcribuntur, nihil certi exinde haurire poteris, quod, quantum ſanguinis in hoc illove ægroto mitti debeat, te docere queat. Perſpiratio quidem legitimam præberet regulam hoc in caſu; modo a Medicis ſatis illa fuiſſet determinata. Ad pondus igitur corporis advertendum eſſe, injungit Autor Clariſſ. in Introductione hujus operis.

Digitized by Google

ris. Quodſi enim ſupponas, tres ægros 25 annorum bene la-
certoſos, ſed non obeſos, eadem corripi febre, non omnes au-
tem eodem corporis gaudere pondere, ſed primum e. g. 100, al-
terum 150 tertium 200 libras pendere, magnam exinde circa
ſanguinis mittendi quantitatem differentiam affore judicat. Id
quod variis experimentis probat. Sic provocat ad febres con- c. 1.
tinuas putridas exquiſitas, abſque exacerbatione tamen. Ob-
ſervavit ſcilicet, homines in ſummo vigore, in ætate florente
conſtitutos, ex hac febre mortuos eſſe, quod, qui illorum curam
egerunt, nimis timidi fuerint in mittendo ſanguine, juxta com-
munem methodum medendi ultra libram unam raro conce-
dentes venæſectionem; ſervatos vero fuiſſe, qui naturæ benefi-
cio per nares vel hæmorrhoides 3, 4 vel 5 ſanguinis libras perdi-
derunt. Confirmatus fuit in ſua opinione in febribus putridis ex- 2.
quiſitis, magis periculoſis, iiſque remittentibus. Per experi- 3.
entiam ulterius didicit, maxime robuſtos homines ponderaſ-
ſe 200 libras, medium locum obtinuiſſe 150 libras, infimum 100
libras. Quoniam vero dantur homines, qui plus pondera-
runt, quam 200 libras, quatuor conſtituit pondera cardinalia,
250 ſcilicet, 200, 150 & 100 librarum. Medium vero librarum nu-
merum ad cardinalia illa reducit pondera, ad quæ propius acce-
dunt. A ſumma autem perſpiratione, quam quilibet ſani quo-
tidie perferunt, ad debitam ſanguinis mittendi quantitatem
manu ſe ductum eſſe exiſtimat. Supponit enim, hominem 200
librarum quotidie aſſumere & digerere alimentorum 8 libras,
perſpirare vero 5 libras, & ſic porro; inde concludit: homines 250
librarum ordinario perferre poſſe venæſectionem 70 unciarum;
ſin ſymptomata febrilia urgeant, 80 unc. ordinariam autem
evacuationem in homine 200 libr. febre detento, eſſe 60 unc.
extraordinarium 70 unc. in homine 150 librarum, ordinariam
50 unc. extraordinariam 60 unc. & in homine 100 librarum, or-
dinariam 40 unc. extraordinariam 50 unc. Febres interim, 4.
de quibus loquitur Autor, in duas diſpeſcit claſſes, quarum cau-
ſa materialis conſiſtit in vitioſa quantitate & qualitate ſangui-
nis & ſpirituum, cum vel ſine remiſſione, ſuntque vel ephemeræ,
vel putridæ. Ephemerarum alia 1 die, alia 4 alia 7 diebus cir-

citer terminatur. Putrida 14 circumſcribitur diebus; quan-
quam ſymptomata quandoque extraordinaria, ſtupor, puta,
phrenitis, delirium, inſequuntur. Atque ad hanc claſſem Cauſus
eſt referendus. In Ephemeris venæſectio ſemel vel bis inſtituta
ſufficiet. In putrida continua, quæ hominem 200 libr. corripit,
c. 5. evacuatio ſæpe 60 unc. indicatur, in remittentibus 30 unciæ
ſufficient. Nec in febribus malignis eandem methodum inter-
mitti debere, injungit; multo minus putandum, venæſectionem
largam puris elaborationem retardare, id quod variis obſerva-
tionibus probat. Cum enim harum febrium cauſa interna ſit ple-
thora, hanc conſtanter lentor & viſciditas humorum neceſſa-
rio inſequuntur; illa vero in tempore per venæſectionem re-
6. mota, hæc ſponte ſua ceſſat. Eandem methodum ſervat in cu-
ra rheumatiſmi, anginæ, pleuriditis, perripneumoniæ, apoplexiæ,
7. &c. In febribus continuis remittentibus, pro quarum ſympto-
mate dyſenteriam habet, largam pariter venæſectionem neceſ-
ſariam deprædicat.

LITERÆ PROCERUM EUROPÆ, AB ANno 1552 usque ad Annum 1712 Latina lingua exaratæ, in tres partes diviſæ, & in lucem editæ a JO. CHRISTIANO LUNIG. Tomi III,

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſch & Fil. 1712, 8.
Alph. 9 plag. 8.

QVi editis hactenus Archivi Imperialis (quod, cum primum
integrum proſtabit, accurate recenſibimus) octo Volumi-
nibus in fol. rariſſima documenta complexis, famam ſingula-
rem nomenque præcipuum ſibi peperit Nobiliſſimus *Lunigius;*
ut non uno nomine ſibi obſtringeret orbem cultiorem, tres To-
mos quoque vulgavit Epiſtolarum maximam partem inedita-
rum, quæ a Principibus ad Principes vel Reſpublicas, & vice ver-
ſa, inde ab A. 1552 ad 1712 fuere exaratæ. Has qui perluſtrare
haud gravabuntur, oppido multa invenient, quæ hiſtoriarum
ſtudium mire juvant atque illuſtrant.

p. 1. Nam ut quarundam tantum mentionem faciamus, in
Ep. 12 Gregorius XIII Pont. graviter hortatur Gebhardum

Digitized by Google

Truchſeſſium Electorem Colon. ne novis rebus ſtudeat, cui hic
in Ep. 13 prolixe reſpondet, ac imprimis conjugium clerico-
rum ex S. Scriptura, Patribus, ipſorumque Pontificum ſententiis
adſtruere laborat. Inter alia ex Æneæ Sylvii Deſcr. Germ. nar- p. 35.
rat, quod Gregorius Papa primum quidem mandaverit cœliba-
tum ſacerdotibus, poſtea autem cum forte in piſcina prope 6000
capitum ſubmerſorum infantum inventa eſſent, ingemiſcens
abrogarit decretum, recitataque Pauli ſententia: *melius eſt nu-
bere, quam uri*, adjecerit: *melius eſt nubere, quam cædis cauſam
dare.* Finit vero Epiſtolam his verbis: *Atque utinam diem il-
lum videre liceat, qua Tu, Pontifex, non de me, & Apoſtolicæ do-
ctrinæ & vitæ ſtudioſiſſimis hominibus opprimendis, ſed de Eccleſia
a tot ſtipulis, tot idololatriis repurganda, de ſimoniacis, de ſacri-
legis, de mollibus, de adulteris & mœchis, de ſcortatoribus, alea-
toribus, ebrioſis, quos Canones noſtri a ſacris arceri jubent, coer-
cendis, exturbandis, ſeriam ſuſcipies & non nimis ſeram delibe-
rationem, ut Eccleſiæ tandem Rom. vetus dignitas, Orbi Chriſtia-
no pax & tranquillitas, vulneratis tot conſcientiis quies & ſolati-
um reſtituatur. Quam meam cohortationem, cum vel olitor non-
nunquam opportuna ſit locutus, ab homine & Epiſcopo Germano,
qui nihil minus quam diſſimulare novit, Te, quem Dei tutelæ com-
mendo, paterno, pio & æquo animo accepturum eſſe confido.* Quan-
tum Eliſabetha Angliæ Regina pro Henrico IV Galliæ Rege la-
boraverit, ex Ep. 33 patet, qua fatetur Chriſtianus Saxoniæ Ele- p. 80.
ctor, ſe ab illa 50000 florenorum ad ſubmittenda Gallis equi-
tum peditumq; ſubſidia accepiſſe, & ut reliquam ſummam pro- 81.
miſſam 35000 aureorum exſolvi & majorem etiam acceſſio-
nem ad maturanda rectius auxilia fieri curet, decenter rogat. Ep.
41 narratur, ut tota Carinthia ſpatio duorum menſium ad Ro- 93.
manam eccleſiam redierit, converſis innumerabilibus hominibus
& multis millibus librorum hæreticorum publice crematis. Ep.
77 Rex Guſtavus Adolphus A. 1630 Collegio Electorali cauſas
exponit, cur Imperatori ejusque fœderatis bellum indixerit,
queriturque, in Electorum ad ſe literis ipſorum nomina titulo 187.
Regio præponi, in Cæſarearum vero inſcriptione legi *Principi
noſtro* (unſern Fürſten) cum nec glebulam terræ Imperatoris be-
neficio

neficio teneat, ſed omnia Deo & enſi juſtiſſimæque cauſæ ſuæ fe-
rat accepta. Ep. 84 Chriſtina Sueciæ Regina Joanni Georgio
El. Sax. pacem Pirnenſem, ſeu potius, Pragenſem cum Ferdinan-
do II initam exprobrat, cui is in Ep. 85 reſpondet, ſe poſt mor-
tem Guſtavi Adolphi a fœderis vinculo prorſus ſolutum. In
p. 266. Ep. 94, A. 1640 data, Theologi Scotici Presbyteriani Reforma-
tis per Helvetiam Theologis Eccleſiæ Scoticæ faciem a primis
ejus incunabulis ad ſua tempora eleganter deſcribunt, ſeque
a perduellionis & ſeditionis crimine purgant. Ep. 157 Carolus
461. II exul A. 1652 a Joanne Georgio I El. Sax. ut ſe ope & conſili-
is juvet, execrandis perduellium conſiliis Regno ejectum, ob-
507. nixe rogat, idemque Electori in Ep. 177 Samuelem Boſium, Equi-
tem Sax. in patriam redeuntem, qui ſub Rege *Colonelli Regimi-
nis equitum*, ut vocat, munus ſtrenue obierat, A. 1653 impen-
ſe commendat. Quanta quoque ejusdem Electoris autoritas fu-
579. erit, ex Ep. 206 apparet, qua Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ,
pulſis patria Vallenſibus interceſſionem ejus plurimum profuiſ-
ſe, eosque ſedibus ſuis reſtitutos eſſe, nuntiat. Qua accaſione
monemus, plures hic paſſim Ducum Sabaudiæ ad Electores
Saxoniæ & horum viciſſim ad illos litteras in hoc opere ex-
715. ſtare, amoris utrinque & benevolentiæ pleniſſimas. Ep. 257
Cromwellius ad Guilielmum VI Haſſiæ Landgravium, optan-
dam quidem, ſcribit, Reformatorum & Auguſtanæ confeſſio-
ni addictorum unionem, verum vanam futuram, quam in ea
796. ſq. concilianda impendere conſtituerit operam, præſagit. In Ap-
pendicee ad Partem I num. 10 Ferdinandi I Imp. & n. 12 Maximi-
liani II ad Pium IV Pont. Literæ A. 1564 datæ exſtant, quibus ut
Clericis conjugium, Laicis vero Calicis in S. cœna uſum indul-
801. geat, decenter rogant, notaturque, Ferdinandum Epiſtolæ ſuæ
propria manu inſuper ſubjeciſſe: *Quod Nos &c. a Sanctitate ve-
ſtra ſtudio unitatis & pacis Catholicæ Eccleſiæ promovendæ reve-
renter petimus, id ſine negotio & mora conceſſum iri confidimus &c.*
808. Lectu quoque imprimis dignæ ſunt ſub n. 13 Maximiliani II
ad Lazarum Schwendium literæ perfamiliariter ſcriptæ A. 1574,
quibus *magno cum dolore animi ſe intellexiſſe* teſtatur, *Generum
809. ſuum*, Galliæ Regem, *ſibi perſuadere paſſum eſſe tam fœdam lanie-
nam; quanquam ſciat magis alios imperare, quam ipſum.* Cum-

que

Google

que reperti ſint nonnulli impudentes & mendaces nebulones, qui dicere auſi ſint: Quicquid hic fecit Gallus, id ipſo non ſolum conſcio ſed etiam autore feciſſe, ea in re Deum appellat teſtem, ſibi coram ipſo & toto mundo ſummam fieri injuriam. Nec magis, quod ad res Belgicas, probare ſe poſſe ſubdit, *quod & hic modum exceſſerint & ſua conſilia ſequi noluerint Hiſpani.* In litteris ſub n. 76 Joannes Zamoiſcius, Poloniæ Cancellarius, dum de pace agit cum Carolo IX Rege Sueciæ, hæc ſub finem addit: *Scribo ad Te ſingulari numero,* Te *compellando, pro Latinæ linguæ conſuetudine, qua Imperatores etiam ac Magiſtratus ita compellabantur. Nec ego Latine me a Te aliter compellari cupio: Germanicum* Du *Nobilibus Polonis & Senatoribus ac Magiſtratibus non convenit. Inferiori ordini hominum illud relinquas.* Elegans eſt quoque ejusdem Zamoiscii Epiſtola ſequens, non ſine ingenti animi commotione ſcripta, qua Regem ob falſas ejus nonnullas criminationes ad duellum provocat, his inter alia uſus verbis: *Hæc etſi vel luce meridiana clariora ſint, tamen vel dextra mea ſenili probabo. Reſponde, utrum velis? De loco & tempore conſtituamus & genere armorum. &c. Illud vero impudentiſſime mentiris, harum perturbationum me cauſam exſtitiſſe. &c.* Et hæc e primo Tomo ſpeciminis loco excerpta damus.

ELOGIUM PHILIPPI A LIMBORCH.

MAgnam in obitu hujus Viri jacturam nuper paſſa eſt Eccleſia Remonſtrantium, & publica res literaria, digni proinde, cujus memoria a nobis quoque, quantum licet, ad poſteritatem transmittatur. Natus is eſt Amſtelædami d. 19 Jun. ſuperioris ſeculi Anno trigeſimo tertio, *Franciſco Limburgio*, Cauſarum olim Patrono, difficillimarumque litium non ſemel arbitro electo, & *Gertruda Epiſcopia*, *Remberti*, *Simonis* fratris, filia, Parentibus: ex quibus duos Fratres habuit, inter quos ipſe medius fuit, *Rembertum Limburgium* anno ejusdem ſeculi 29 in lucem editum, ad Fiſci Hollandiæ advocationem, quamvis Remonſtrantium partibus conſtanter adhæreret, ob eruditionem & integritatem admotum, & *Simonem Limburgium*, JCtum adhuc ſuperſtitem. Tirocinio ſtudiorum in patria depoſito, anno XVII ætatis ad Academicas prælectiones admiſſus, eximios Viros *Caſpa*:

rem Barlæum, Ethicam, & *Joannem Gerhardum Voſſium*, Hiſtoriam Romanam & Sacram in Atheneo urbis interpretantes, audiit. Dehinc præceptis Philoſophiæ ab *Arnoldo Sengverdo* firmatus, ſedulus auſcultator fuit doctrinarum *Stephani Curcellæi*, qui in Remonſtrantium Auditorio Amſtelædamenſi poſt *Simonem Epiſcopium* Theologiam profeſſus eſt. Inde Trajectum ad Rhenum delatus, *Gisbertum Voetium*, aliosque diverſæ Scholæ Doctores diligenter obſervavit. Reverſus Amſtelædamum circa menſem Majum A. 1654 ibidem & Harlemi aliquoties non ſine laude ad populum concionatus, A. 1655 Alcmariam ad ordinarii Paſtoris inter Remonſtrantes munus obeundum evocatus, illud, quod nondum ſatis ſe præparatum eſſe crederet, modeſte deprecatus eſt. Anno demum 1657, quo Homilias *Epiſcopii* in C. V. Matthæi in lucem protraxerat, factum eſt, ut Gaudenſibus, Paſtoris ei functione oblata, obſequeretur, quo in loco, donec Amſtelædamenſes eum ad ſe reducerent, conſtanter commoratus eſt. Intra id tempus operas conſiliumque jungente *Chriſtiano Hartſœkero*, Concionatore Roterodamenſi, confecit Corpus illud Epiſtolarum præſtantium & eruditorum Virorum, quæ magna ex parte cum chartis Epiſcopii ad eum hereditario jure devenerant, & A. 1640 edidit, quod deinceps eodem curante multis acceſſionibus auctum majori forma A. 1684 recuſum exiit. Quin & anno hujus ſeculi IV, poſtquam Volumen iſtud ſibi alius Bibliopola comparaſſet, viginti epiſtolas addidit, *ex quibus omnibus* (utimur verbis Celeb. Clerici) *ferme tota*, *a Jacobo Arminio usque ad tempora*, *quæ Synodum Dordracenam ſecuta ſunt*, *Hiſtoria rerum ad Remonſtrantes pertinentium colligi poſſit*. A. 1661 edidit libellum ſermone Belgico forma dialogiſtica conſcriptum *pro Tolerantia mutua* contra *Joannem Sceperum*, qui eam peculiari tractatione oppugnarat. Secutum eſt A. 1661 alterum *Epiſcopii* Operum Volumen, cum Præfatione *Limburgii*, Pœlemburgianæ ſubjecta, cum prius ex ſchedis a *Franciſco Limburgio* acceptis evulgaſſet *Curcellæus*. Defuncto *Arnoldo Pœlemburgio*, qui *Curcellæum* excepit, ſuffectus erat Vir magni nominis *Iſaacus Pontanus*, Eccleſiæ Remonſtrantium apud Amſtelædamenſes Paſtor, ſed hoc ad Concionatorium munus, cui aptiſ-

aptiſſimus credebatur, redeunte, *Limburgius* Profeſſorium A. 1667 obtinuit, primum in annum, dein d. 19 April inſequentis anni in perpetuum In hac ſpecula poſitus A. 1670 varias Conciones Epiſcopii in chartis adhuc deliteſcentes typis excudi fecit. Anno vero 1675 Magiſtri ſui, qvem ſemper magni fecit, *Stephani Curcellæi* Operibus, quarum maxima pars tum inedita erat, obſtetricatus eſt. Cum tamen neque *Epiſcopius* neque *Curcellæus* integrum Theologiæ corpus abſolviſſent, ipſe manum rei admovit, *Theologia Chriſtiana*, opere ob perſpicuitatem, ordinem, candorem, & moderationem diverſa etiam ſequentibus laudato, A. 1686 emiſſa. Anno, qui hunc excepit, comparuit *Collatio amica de Veritate Religionis Chriſtianæ cum erudito Judæo*, cujus cauſam malumus doctiſſimi Clerici, quam noſtris verbis exponere. *Anno LXXXVI contigit*, inquit, *Iſaacum Orobium, Hiſpalenſem Judæum, qui ex Inquiſitionis carcere, quod ſe Pontificium ſimulaſſet, exierat, & tandem Amſteladamum venerat, ubi Medicinam, non ſine laude, faciebat, aliquando de Religione colloqui cum Egberto Venio, Medico celeberrimo, & Limburgii noſtri Conſobrino atque Amico. Ea re factum eſt, ut Orobius, audita a Venio noſtri eruditione, eum videre cuperet, quod & in ædibus Venii, me præſente, contigit. Orobius poſt multa de ſe narrata, varias Objectiones in Novum Teſtamentum Doctrinamque Chriſtianam protulit, eoque res rediit, ut ſcripto potius agendum videretur, quem verbis, quo in diſceptatione ordo melior obſervaretur & digreſſiones omnes reſecarentur; atque inde confectum eſt volumen, quod anno ſequente in lucem prodiit, & Collatio amica de Veritate Religionis Chriſtianæ cum erudito Judæo, inſcriptum eſt. Si res hic mihi exponenda ſit, pleriſque, qui librum legerunt, aut eum aliunde norunt, tædio ſim. Hoc unum dicam, in ea diſceptatione eruditionem & judicium Limburgii ſummopere eluxiſſe; cum deſultorium adverſarii ingenium non modo directis reſponſionibus ad ejus quæſita coercuerit, ſed & quæſitis contrariis eo adegerit, ut Veritatem Legis Moſaicæ probare neceſſe haberet; ex quo oſtendit Limburgius, eadem argumenta, quæ ad Moſaicæ Legis confirmationem a Judæis proferuntur, pro Veritate Legis Chriſtianæ longe longeque vehementius poſſe urgeri; ac proinde ſi Moſi crederent Judæi, credere etiam eos*

F 2 *oporte-*

Digitized by Google

oportere Jeſu Chriſto, niſi ſecum diſſentire vellent. Jam autem ſi quis crediderit Chriſto, non difficilem fore liquet ſolutionem Objectionum Judaicarum e vetere Teſtamento, contra Novum, prolatarum. Quod demonſtravit in eo Opere Limburgius, itaque etiam in ſermone cum Orobio habito oſtenderat, ut audiverimus Judæum dicentem, quemque in Religione ſua manere oportere, quandoquidem multo eſſet alienam oppugnare, quam ſuam probare, facilius. Quin & eo devenit, ut diceret, ſi natus eſſet e Parentibus, qui Solem colerent, ſe non videre, cur eam Religionem deſerturus eſſet, ac alia mutaturus; usque adeo eo proclivius videbatur Objectiones, quam Veritatem, invenire. Paulo poſt edidit libellum *Epiſcopii* Belgico idiomate exaratum contra *Bommium*, Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, in quo illum nec erroris immunem eſſe, nec arbitrium in fidei controverſiis ſibi aſſerere poſſe evincitur. A. 1692 in manus ejus incidit *Liber ſententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ ab* A. *1307 ad annum 1313*, quem una cum libris quatuor, quibus Originem Inquiſitionis, & totum Regimen ejus ex ipſis Inquiſitorum ſcriptis explicat, luci expoſuit. Sequente A. 1693 novæ Editioni, & in majus Volumen collectæ Homiliarum *Epiſcopii* Præfationem & Vitam illius Belgica lingua præmiſit, quæ deinceps in Anglorum potiſſimum quorundam gratiam ab adoleſcente *Limburgii* amico Latinitate donata A. 1701 in aſpectum hominum proceſſit. A. 1699 Puellam Amſtelædamenſem, quæ a Judæo Hebraicam linguam edocta, ab eo ſimul a Chriſtiana veritate alienior erat reddita, rurſus ad ſanam doctrinam reduxit. Recenſebimus & hanc rem verbis ipſius Clerici. *In hac urbe*, inquit, *puella viginti duos annos nata, cum a Judæo linguam Hebraicam diſcere cuperet, ita paullatim ab eo eſt decepta, ut Religionem Chriſtianam deſerere vellet, Judaicamque amplecti: Quod cum Mater animadvertiſſet, Concionatores aliquot adhibuit, ut a tam pravo conſilio revocaretur, ſed fruſtra; nam eorum ratiocinationibus indies Judaiſmo addictior fiebat. Quod eo factum eſt, quia Chriſtianam Religionem a priore, ut loquuntur Philoſophi, omiſſa aliquantiſper Novi Teſtamenti auctoritate, probare inſtituerant. Tum vero locis Veteris Teſtamenti ab iis prolatis, Judæorum reſponſiones, quas edocta erat, opponebat, nec quidquam reponere poterant,*

Digitized by Google

terant, quod dubitanti ſatis facere poſſet. Cum eo æſtu ingenioſa alioqui puella agitaretur, contigit, Venium, de quo antea dixi, ægri viſendi cauſa, in eas ædes vocari, deinde ab anxia Matre audire, quibus dubitationibus animus filiæ diſtraheretur. Ibi Venius, injecta mentione diſceptationis Limburgii cum Orobio, eo mulierem adduxit, ut cuperet, eum cum filia colloqui, ſi forte dubitationes ei eximere poſſet, puellamque ad Religionem Chriſtianam revocare; quo nihil gratius ſibi contingere poſſe confirmabat. Itaque Limburgius hebdomadis Paſchalis altero die qui fuit 12 Aprilis, eam inviſit, eademque via & ratione ingenium fluctuans adgreſſus, qua Orobium, brevi ad ſaniores cogitationes adduxit. Volebat quidem illa ſibi ante omnia e Vetere Teſtamento probari, Deum fidem in Meſſiam ab Iſraelitis poſtulaſſe, ſed oſtendit noſter, prius oportere de Veritate Religionis Chriſtianæ conſtare, qua adſerta, mox eſſet e Vetere Teſtamento, quod optabat, oſtenſurus, quemadmodum fecit. Prima illa congresſione ita labefactatus eſt ab eo puellæ animus, nihil ut ei reſpondere ſe poſſe fateretur. Mox colloquiis intra eandem hebdomadem habitis, ita ei ſatisfactum eſt, dubii ut illi nihil ſupereſſet; quorum colloquiorum ſummam Limburgius eſt in Epiſtola ad Joan. Lockium, amicum noſtrum, complexus; e qua, ſi quando edatur, rem totam melius intelligere poterunt, quibus erit cordi ſingularem Methodi Limburgianæ uſum cognoſcere. A. 1698 reſponſionem adornavit contra *Joannem van der Waeyen*, Theologum Franecqueranum, quæ tertiæ Theologiæ Chriſtianæ editioni ſubjecta reperitur. His denique omnibus accenſendi, libellus Belgicus de *ratione bene moriendi, & ſolandi ægros*, anno ſuperioris ſeculi ultimo editus, & *Commentarii* in *Acta Apoſtolorum*, inque *Epiſtolas ad Romanos & Hebræos*, qui anno demum hujus ſeculi XI prælo ſunt ſubducti. Reliquit præterea alia nonnulla, quæ ille nondum divulgare conſtituerat, in quibus Liber, qui ſententias immitiores nonnullorum Proteſtantium Theologorum *de Pœnis Hæreticorum* complectitur, & alius de *Origine & Statu Controverſiarum* de *Prædeſtinatione* & *Gratia*, itemque is, qui *de ratione concionandi* tractat, enarrantur. Duas Uxores in matrimonio habuit, quarum prior *Eliſabetha van Zorgen, Nicolai van Zorgen*, JCti & amici *Joannis Uitembogardi* filia, cum unica

filia, quam ipſi peperit, fatis conceſſit. Altera *Cornelia van d: Kerck* eundem bina prole Parentem fecit. Ævi maturus, quippe octogenario proximior, moleſtiſſimo cutis morbo, Medicis *Herpes*, aut *Ignis ſacer* dicto, correptus ultimo die Aprilis anni ſuperioris animam efflavit. Fuit Vir ſingularibus Ingenii dotibus excultus, judicio acri, memoria tenaci, multæ lectionis in iis, quæ ad linguas pertinerent, quibus tamen non aliter utebatur, niſi qua fini ſuo inſervirent, quem unice in Theologiæ ſtudiis poſuerat. Hiſtoriam patriam a ſemi-ſeculo ita noverat, ut minutisſimas quoque circumſtantias, & momenta temporum, quibus ſingula accidiſſent, in numerato haberet. Ad hæc gravitate inſigni cum lenitate & comitate conjuncta, candidus & officioſus erga omnes, & ejusmodi plane, qualem oportebat eſſe, qui tot præſtantiſſimorum Virorum, *Joannis Lockii*, aliorumque amicitias ſibi conciliaſſet. Atque hæc hactenus e Cl. Clerici, cum quo Collega Limburgius conjunctiſſime vixit per annos viginti ſeptem, Oratione funebri nuper typis impreſſa annotaſſe ſuffecerit.

OBSERVATIO CIRCA SCIENTIAM UNIverſalem Sinenſium, in libro Confucii, in charta Sinenſi duobus ſpiſſis majoris formæ Voluminibus ſcripto, exhibitam: quod MStum penes ipſos Jeſuitas Pariſienſes & Antverpienſes fuit, quo tempore partem ejus mutilam ediderunt: jam vero a V. Cl. AYMONIO, Verbi Divini apud Hagienſes Miniſtro, aſſervatur, qui editionem integram meditatur.

HAbebit vero nova editio hæc præcipua: I. patebit inde, Jeſuitas vix tertiam MSti partem publicaſſe in editione Paris. 1687 folio vulgata, Regique Galliæ dedicata. Illa enim non niſi 274 paginas continet, majori inſuper charactere; MStum vero 950, & quidem minoribus literis, quod adeo cum prodibit, duo in folio Volumina 500 minimum quodlibet paginarum conſtituet. II. Deceptum eſſe ab iisdem Jeſuitis Galliæ Monarcham, variosque Pontifices cum omnibus Sedis Romanæ Cardinalibus, qui de gravi proceſſu, ex his materiis Theologicis, Philoſophicis, moralibus, ritualibus & politicis inter Jeſuitas & reliquos variorum

rum ordinum Miſſionarios Sinenſes nato, ſententiam tulerunt. Neque enim horum Memoriæ, Relationes, Facta, aliaque ſcripta ſuffecerunt ita demonſtrandis, aut tam authentice probandis falſis & fraudibus Jeſuitarum, ut quidem apparent in his Voluminibus, ab aliquot hujus ordinis Miſſionariis celebrioribus ſcriptis, qui ſane ſuos caracteres & ſigna ibidem cum approbatione Couſinii, qui poteſtatem imprimendi Galliæ Regis nomine fecit, exſtantia negare non audebunt. III. Prolixa præfatio, ſub forma Diſſertationis præliminaris præmittenda, cujus dimidia pars manu ipſius P. Coupletii, Generalis Miſſionariorum Sinenſium Jeſuitarum Procuratoris, ſcripta, evidenter in parte ſecunda detegit, neceſſariam fuiſſe Societati Operum Confucii depravationem, partim ut reliqui Miſſionarii Romæ damnarentur, partim ut a Pontifice & miſſiones Jeſuitarum, Chriſtianiſmum adoptando cultum Sinenſium idololatricum infucantium, & Scripta ab iisdem in Europa ſuper diverſis his materiis edita approbarentur. IV. Multa falſa maximi momenti hic indicabuntur, quæ reliqui Galliæ & Italiæ Jeſuitæ commiſerunt imitati P. Coupletium ejusque Collegas hac in re præeuntes, edendo hoc opus, non niſi reſectis & mutatis omnibus, quæ Syſtemati Jeſuitarum videbantur adverſa, ſuppreſſo inſuper integro textu Sinenſi, ut gloſſas plane ſenſui literali Aphoriſmorum Confucii aliorumque Philoſophorum Sinenſium contrarias ſubſtituerent. Patet hoc ex dogmatibus ſatis gravibus. E. g. pag. 1 §. 1 Lib. 1 textus Sinenſis MSti Confucii habet: *Tá túo chi taó ſai mim tĕ*: i. e. *magnum Principum ſciendi inſtitutum conſiſtit in expoliendo rationalem naturam*; Jeſuitæ addiderunt: *a cœlo inditam, ut ſcilicet hæc ceu limpidisſimum ſpeculum abſterſis pravorum appetituum maculis ad priſtinam claritatem redire posſit.* Quibus intelligunt, animam rationalem de cœlo deſcendere, lumina vero ejus peccato originis eſſe obfuſcata; cum tamen textus Sinenſis de eo ſileat, nec huic ſimilia aut Confucius aut Diſcipuli ejus unquam ſcripſerint. V. Ipſe textus Sinenſis, & quod ejus in editione Pariſienſi editum et quod ſuppreſſum, apponetur, addita vera omnium terminorum Sinenſium Latine translatorum ſignificatione literali. Diſtinguetur præterea a falſis

Jeſui-

Digitized by Google

Jeſuitarum gloſſis minuto charactere adjiciendis, ut intelligat quisque, quid Confucium ejusque diſcipulos autores habeat, & quid additum aut truncatum a Jeſuitis in celebri illa editione, cui reliqui omnes Sinenſium Miſſionariorum Jeſuitarum libri innituntur. Poterunt ergo ſententiæ in horum favorem a Pontificibus contra reliquos Miſſionarios, præcipue eos qui ſunt e ſeminario miſſionum exoticarum Pariſienſium, latæ, in Aula Romana revocari, cum contenta hujus MSti non depravata prodibunt. Tradent illa veram Sinenſium doctrinam, ac omnia ad cultum, diſciplinam moralem & religionem eorum ſpectantia, quæ nunquam antehac tam diffuſe & plene deſcripta ſunt. VI. Adnotabuntur præterea plusquam 500 loca ac gloſſæ variæ ex celeberrimis Philoſophis Sinenſibus deſumtæ, & ad marginem imamque paginarum partem pulcherrimi hujus MSti a Jeſuitis & Mandarinis, qui magnam hanc collectionem apud Sinenſes compilarunt, eo fine adjectæ, ne quid ſcientiæ & regularum Sinenſium Generalem eorum Romæ lateret; neutiquam vero, ut typis vulgarentur, unde nec niſi minimam partem aliena plane ſpecie obductam & depravatam luci publicæ expoſuerunt. VII. Adjicientur figuræ hieroglyphicæ, quarum quæ maximi myſterii & momenti, in editione Pariſienſi ſuppreſſæ ſunt, quia exhibent conſilium, quod iniverunt Jeſuitæ de exauctorando Imperatore Tartarico, inque ejus locum ſubſtituendo quodam ex ſtirpe veterum Imperatorum Sinenſium, in Scholis Jeſuitarum educato & a Mandarinis & Præfectis provinciarum & urbium huic Societati faventibus adjuto. Multas quippe Jeſuitarum Societas in vaſto hoc Imperio jam poſſidet regiones, in quibus metallifodinæ, aquas, in quibus margaritæ, & portus, in quibus urbes commerciis aptisſimæ: quæ omnia prætextu religionis occupavit per privilegia a Mandarinis hujus ſectæ impetrata ab Imperatoribus Tartaricis, quibus multi Miniſtri ſtatus & Mandarini ex ordine Jeſuitarum ſunt. Quare eorum potentia in Aula Pequinenſi factum, quod Cardinalis Turnonius variique Misſionarii eorum conſiliis adverſi carceri incluſi, fruſtra Pontifice ad liberandos eos omnia tentante, una cum Eminentisſimo hoc Præſule perierint.

Nova Litteraria alia in proximum Menſem rejicimus. Interim nunciamus, Act. Er. Suppl. T. V Sect. IX nuperrime prodiiſſe.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Februarii, Anno MDCC XIII.

IMPERIUM ORIENTALE, SIVE ANTIQUITATES Conſtantinopolitanæ in quatuor partes diſtributæ: Pars quarta, continens libros octo Commentariorum in Antiquitates CP. nec non Animadverſiones in CONSTANTINI PORPHYROGENITI libros de Thematibus & de adminiſtrando Imperio: ac breves notas ad opuſcula Agapeti Diaconi, Baſilii Macedonis & Theophylacti Bulgariæ Archiepiſcopi. Opera & ſtudio Domini ANSELMI BANDURI, Raguſini, Presbyteri ac Monachi Benedictini e Congregatione Melitenſi.

Tomus II.

Pariſiis, ſumptibus Jo. Baptiſtæ Coignard, 1712, fol. Alph. 7 plag. 12 Tabb. æn. 53.

QUam ſuperioris Anni Novembri Menſe in recenſendo opere Banduriano telam cœpimus, ea nunc pertexenda eſt. Præmittuntur huic alteri Tomo, cujus materiam præmiſſa inſcriptio ſatis indicat, Tabulæ ſeptem Topographicæ Urbis Conſtantinopolitanæ, Boſpori Thracii ac Propontidis, quarum prima urbem in quatuordecim regiones a Conſtantino M. diviſam exhibet, ut eam ex veteri ſcriptore, qui Honorio Imperium tenente Conſtantinopolitanæ Urbis deſcriptionem edidit, & *Petro Gyllio*, adornavit *Ducangius*, niſi quod Noſter formam civitatis & partem agri Thracii ex tabella Domini *de Combes*, quæ in Chartophylacio rei maritimæ aſſervatur, delineaverit. Secunda

urbem ipſam ex mente Anonymi, quem Commentariis illuſtrandum ſibi ſumſit Noſter, in tres partes deſcriptam complectitur, ſingulis regionibus locorum denominationibus adjectis, forma ipſa Urbis ex tabulis *de Combes* petita. Tertia Anaplum Boſpori Thracii ex indagationibus *Petri Gyllii*, *Dionyſium Byzantium* antiquum Scriptorem ſecuti, a *Guilielmo Sanſonio* adornatam repræſentat, quæ tamen quod talium rerum peritis, & in his *Gallandio*, non ſatis faciat, quarta tabella adjicitur, ex ſchedis Combeſianis deſcripta. Sequitur Urbis CP. delineatio cum ſuis ædificiis, deſumta ex Bibliothecæ Regiæ MS. Codice: in quo continetur *Chriſtophori* de *Bondelmontibus*, Florentini, liber *de Inſulis Archipelagi ad Cardinalem Jordanum*, ut ibidem legitur, *de civitate Rhodi miſſus* 1422, paulo antequam nobiliſſima illa Imperatorum Orientalium ſedes a Turcis expugnaretur. Hæc licet jam pridem a *Ducangio* in æs inciſa fuerit, recudi tamen hic meruit, quod habeat nonnulla, quæ ad præcipuos tractus deſignandos haud parum conducunt. Sexta tabula eandem, prout hodie faciem advenis obvertit, a *Grelotio* diligentiſſime delineatam Urbem oſtendit, quam excipit ſeptima Helleſponti ac Propontidis aſpectum nitide perquam expreſſum referens. Sequuntur deinde ipſi Commentariorum libri octo ad totidem libros Antiquitatum Conſtantinopolitanarum, in quibus familiam ducunt quatuor priores ab Anonymo temporibus *Alexii Comneni* congeſti & ad exemplum aliorum, qui urbium antiquitates, origines aut hiſtorias dederunt, Τὰ πάτρια τῆς πόλεως inſcripti. Negari non poteſt, Anonymum hunc circa rerum origines, ut ſolent illorum temporum Græculi, miſcere multa fabuloſa & nugas vendere; habet tamen id eximium, ut ædificiis cum publicis tum privatis quibusque locum ſuum genuinum adſignet, & quæ monimenta in illis vel ſuo vel majorum ævo conſpicienda ſe præbuerint, diligenter obſervet. Igitur hoc negotium ſibi datum credidit *Bandurius*, ut ab eo dicta idoneis Scriptorum editorum pariter & ἀνεκδότων teſtimoniis fulciret, ſpuria rejiceret: quod dum molitur, multa *a Lambecio*, *Ducangio* aliisque perperam dicta aut intellecta corrigit, totumque opus elegantibus obſervationibus rem omnem veteris

moder-

modernæque Conſtantinopoleos inſigniter illuſtrantibus replet. Ita notatur Lambecius, qui verba *Codini* ὡς δὲ διακρινόμενος λέγει, quæ pariter & apud Anonymum noſtrum L. I c. 51 T. I. P. II p. 18 occurrunt, tranſtulit: *ut alii diverſe tradunt*, cum vertere debuiſſet, *ut autem hæſitans tradit*, cum ὁ διακρινόμενος ſive hæſitans ſit Scriptoris indicium a ſecta τῶν διακρινομένων, cui ſe addixerat, ita cognominati: quo nomine illi veniebant, qui Synodum Calchedonenſem partim repudiabant, partim accipiebant, apud Leontium *Hæſitantes*, in lege Wiſigothorum L. 12 t. 2 §. 21 *Diſcernentes* appellati. Johannem autem hunc διακρινόμενον eundem eſſe cum *Malala Antiocheno*, cujus Chronographiam habemus, putavit *Combefiſius*, quem erroris convicit *Michael Lequien* in diſſertatione de hoc argumento ſcripta, in locum ejus ſubſtituendo alterum illum *Johannem Rhetorem* dictum, quam ſententiam ſuam feciſſe videtur doctiſſimus Commentator. Pag. 543 occaſione Porticus cujusdam Byzantinæ, a figura ſemirotunda *Sigma* nuncupatæ, contra *Spanhemium* defendit, Sigma ab antiquis Græcis per Σ efformatum, demum a poſterioribus ſemicirculari ductu, ſed ante Domitiani adhuc ævum, ſecus ac viſum *Ducangio*, exprimi cœpiſſe. Contra eundem *Ducangium*, qui in Gloſſario Græco ἑκατοντάλιθον explicuerat *Marmor diſtinctum multis ac variis cruſtis*, Noſter quidem intelligi mavult lapidem ſua natura multicolorem, ſimiliter ut lapis in Troglodytica regione inventus, qui, *quod in parva magnitudine multicolor eſſet*, ut Plinius affirmat H. N. L. 37 c. 10, *tamque diverſis notis ſparſus eſſet, ut ſexaginta gemmarum Colores in parvo ejus orbiculo deprehenderentur*, quæ *Solini* verba ſunt c. 31, ἑξηκοντάλιθου nomen ſibi adoptaſſe legitur. In cenſum Obſervationum Hiſtoricarum veniunt, quæ Noſter contra Anonymum aliosque, qui Beliſarium oculis juſſu Juſtiniani orbatum ad Lauri Monaſterium ſediſſe & teſtaceum vaſculum manu tenentem a prætereuntibus ſtipem collegiſſe fabulantur, docte diſputat. Fatetur autem, fortiſſimum ducem ter omnino Principis ſui offenſionem incurriſſe, primo equidem poſt devictos Vandalos, teſte *Procopio* L. 21 *de Bello Vandal.* & *Hiſt. Arcana* c. 18, iterum inſtante Theodora

Auguſta in gratiam Antoninæ Uxoris, Conjugi tum iratæ, narrante eodem *Procopio Hiſt. arcan.* c. IV, tertio denique jam ſenem, ut ſcribit *Agathias L. V*, poſt devictos urbem laceſſentes Hunnos, Anno Juſtiniani XXXII, ſed reſtitutum in priſtinum ſtatum d. 10 Jul. A. 36, ac demum A. 38, Byzantii, ut prodidit *Theophanes*, diem obiiſſe, facultatibus ejus Ædi Marianæ ſive ærario publico addictis. Conjicit autem fabulæ occaſionem dediſſe, quæ de Joanne Cappadoce, viro Patritio, Exconſule & Præfecto Prætorio commemorantur, quem ἄρτον ἢ ὄβολον ἐκ προσπιπτόντων petiiſſe conſignavit *Procopius L. I* de *Bello Perſico extremo.* Pag. 883 verba *Euſebii* L. 3 c. 7 *de vita Conſtantini*: τῆς δὲ γε βασιλευέσης πόλεως, ὁ μὲν προεστὼς ὑστέρει διὰ γῆρας, quæ *Marca*, *Baluzius* & *Pagius* de Metrophane Conſtantinopolitano Præſule accipiunt, ad Romanum Antiſtitem refert, & contra negantem *Baluzium* oſtendit, Romam quoque βασιλεύεσαν πόλιν ab eodem Euſebio L I c. 26, 33 & 39 nuncupatam fuiſſe. P. 485 utilem de *Illuſtratu* doctrinam proponit: continuiſſe nimirum ἰλλεστρίων titulum non ſolum ſumma dignitatum faſtigia, Præfectos Prætorio, Urbi, Magiſtros Militum, Officiorum, ſed & fuiſſe peculiare nomen, quo qui donabantur, ſummarum dignitatum gradum, licet nulla ex iis ornarentur, conſequebantur. Pag. 871 de literis ſingulariis, quæ deſcriptæ fuiſſe in Conſtantini M. ſepulchro vulgo feruntur, agit, quarum interpretationem & vaticinii ſub iisdem latentis ſuſcepit *Gennadius Scholarius*, Patriarcha CP, cujus expoſitio ad finem habetur *Nova variarum Hiſtoriarum Synopſeos Matthæi Cygalæ, Cyprii*, Græce deſcriptæ apud *Antonium Julianum*, *Venet.* 1637, 4, & in fine Chronici *Dorothei Monombaſiæ* Metropolitæ, ibidem apud *Joannem Petrum Pinellum* eodem anno. Quod vaticinium etſi figmentum credat ſequioris ævi *Bandurus*, cum tamen in eadem expoſitione habeantur verba: τὸ τὲ ξανθὸν γένος, *flavum autem genus una cum primis poſſeſſoribus totum Iſmaëlem expugnabunt*, Noſter ex multis Græcorum Latinorumque ſcriptorum teſtimoniis, Francos, Alemannos aliosque Septentrionales populos ob capillorum colorem a Græcis ξανθῶν flavorum nomen reportaſſe, evincit. In animadverſioni-

ſionibus ad *Conſtantinum*, quæ Commentariorum libros excipiunt, præteriri non debet, extare illius Principis *Opus Tacticum*, cujus fragmentum edidit *Meurſius*, integrum in Bibliotheca Coisliniana. In iisdem contra *Baronium* diſputat, qui Longobardicam irruptionem auctore Narſete factam inter fabulas rejicit. Sed & multus eſt in patriæ ſuæ Dalmatiæ, quam Delmatiam ſcribi in numis & inſcriptionibus veteribus obſervat, antiquitatibus, cumprimis autem Raguſinæ civitatis, cui ortum debet, prærogativis laudibusque aſſerendis, quam quidem demum XI ſæculo poſt C. N. Latinum idioma cum Slavico permutaſſe aſſerit.

Augent præterea in univerſum pretium horum Commentariorum Animadverſionumque copioſe huic operi inſertæ figuræ in æs inciſæ Nummorum Byzantinorum poſt p. 456, Columnæ Hiſtoriatæ & alterius illius, quæ Theodoſii M. de Scythis triumphum actum repræſentat, & ad ectypon, quod *Gentilis Bellinus*, Pictor Venetus, dum Conſtantinopoli a Mahomete II accerſitus commoraretur, confecit, XVIII tabellis expreſſa ſiſtitur. Commemorandæ hic itidem veniunt ordinatio S. Gregorii Nazianzeni, quam ex Codice Regio charactere unciali noni ſæculi conſcripto p. 632 delineandam curavit, & Concilii CP. I ſub Theodoſio M. contra Macedonium & Apollinarium congregati ordo & forma, p. 937 ex eodem Codice exhibita.

Cumprimis ad rem facit nominaſſe Scriptores ἀνεκδότȣς, quos vel inſeruit Noſter, vel commemoravit ſaltem. Videas hic p. 613 tres epiſtolas Græcas *Athanaſii Patriarchæ* CP. quas una cum aliis ejusdem literis opusculisque ex Codice Regio, olim Telleriano, ſe exſcripſiſſe profitetur Noſter: fragmentum Græcum p. 646 *de translatione reliquiarum* S. *Stephani* ex Cod. MS. S. Germani, quem a Presbytero Græco comparavit doctiſſimus *Montfauconius*, cum *Catalogo vitarum in eo contentarum*; p. 662 tractatum περὶ Ἱπποδρομίȣ a Severo Imperatore inchoati, a Conſtantino M. ſtatuis undiquaque advectis pulcherrime exornati, ex Codice Regio n. 3502; p 697 βίον καὶ πολιτείαν τȣ̃ ἐν ἁγίοις πατρὸς Δαλματίȣ una cum tribus Epiſto-

Digitized by Google

lis, quarum prima eſt *Cyrilli* Archi-Epiſcopi ad *Dalmatium Monaſteriorum Archimandritam & Comarium, Potamonique Epiſcopos*, ſecunda *Dalmatii ad Patres Concilii Epheſini*, tertia *Cyrilli & Memnonis* Archi-Epiſcoporum ad eundem *Dalmatium*, ex Codice MS. pervetuſto & optimæ notæ Bibliothecæ S. Germani a Pratis. Reperiuntur Epiſtolæ hæ jam ante editæ inter Acta illius Synodi Epheſinæ P. II Act. I, poſteriores duas quoque ex MS. Vaticano produxit *Jacobus Garnerius* in præfatione ad ſecundam partem Marii Mercatoris, ſed mutilam ultimam, quod ea, quæ ibidem de ſumma Monaſteriorum urbis Regiæ Præfectura Dalmatio collata inſeruntur, *ἀνιςορησίαν* ei ſapere viderentur. Supplevit igitur Bandurius lacunas, non ſolum hanc ultimam genuinam eſſe aſſerens, quod idem Dalmatius in Actis ejusdem Concilii vocetur *Πρεσβύτερος καὶ Ἀρχιμανδρίτης πατὴρ μοναςερίων*, ſed & non obſcure ſuſpicans, partem Epiſtolæ ideo a Garnerio ſuppreſſam eſſe, quod in ea reperiantur nonnulla, quæ auctoritati Pontificis Romani ſupra Concilium Generale favere videntur. Succedunt p. 784 *Θεοδώρȣ ἀναγνόςȣ ἐκλογὴ ἐκ τῶν ἐκκλεσιαςικῶν ἱςορίων*, cujus operis, quod hactenus inter deperdita retulerunt Viri docti, initium & finis ex Bibliotheca Veneta Divi Marci, in qua integrum deliteſcit, hic proponuntur. Porro p. 818, 830 ſequ. frequentes loci adducuntur ex ineďto opere *Eudoxiæ Auguſtæ*, JONIA inſcripto, ex Codice Colbertino, una cum copioſo Indice rerum in eo collectarum. Allegantur etiam p. 871 *Leges Cypriorum*, p. 992 S. *Nicephori Liber Antirrheticus*, p. 992 inſeruntur *Gregorii* Opuſcula contra *Becam*, itemque index Epiſtolarum & Operum *Athanaſii*, qui poſt Gregorium illum Patriarchatum obtinuit A. 1298, una cum ſeptem illius Epiſtolis ineditis, quarum verſio Latina adjecta eſt. Ad manus *Banduro* quoque fuit *Andreæ Danduli*, Ducis Veneti, *Chronicon Venetum*, nondum editum, Italico ſermone conſcriptum, ex quo multa in uſum ſuum tranſtulit, quod cur in lucem nondum exierit, eo non inſpecto, difficulter admodum eſt divinare.

LA

Digitized by Google

LA VIE DE MONSIEUR BOILEAU D'Eſpreaux, par Mr. des Maizeaux.

h. e.

VITA BOILAVII D'ESPREAUX; AUtore MAIZÆO.

Amſtelodami, apud Henricum Schelte, 1712, 12.
Plag. 15.

TAm illuſtre eſt domi foriſque nomen *Nicolai Boilavii*, cum veteribus comparandi Vatis, & inter Satyricos ætatis noſtræ facile principis, ut optime de memoria Viri & univerſo Orbe literato meruerit Cl. *Maizæus*, qui vitam ejus tam copioſa, tamque nitide & accurate digeſta recenſione nobis tradere, & inſigne Seculi ornamentum a calumniis nonnullorum vindicare inſtituit. Natus eſt *Boilavius* Lutetiæ Pariſiorum ſupra milleſimum ſexcenteſimum trigeſimo ſexto, ut diem natalem fixit in Commentariis Hiſtoricis Academiæ Inſcriptionum & Numismatum (*Memoires de l' Academie des Inſcriptions & des Medailles*) nondum editis Boſius (*Mr. de Boze*) etſi ipſe *Boilavius* in ſcriptis ſuis annum inſequentem triceſimum ſeptimum innuere videtur. Obtigit ei Pater *Guilielmus Boilavius*, Vir antiqua fide & in rebus agendis dexteritate conſpicuus, in Curia Pariſienſi per ſexaginta annos Graphiarius; qui poſtquam A. 53 Seculi ſuperioris octogenario major deceſſiſſet, ſuis quidem facultates pertenues, poſteritati autem tres literarum laude florentiſſimos natos, *Guilielmum*, *Jacobum* & *Nicolaum* hunc ſuperſtites reliquit. Primus illorum *Guilielmus*, natus A. 1631, in Parlamento Pariſienſi Cauſarum Orator & Academiæ Gallicæ ſocius idem eſt, a quo vitam habemus *Epicteti* omnium optime deſcriptam, itemque hujus & *Cebetis* tabulæ ex Græco in Gallicum idioma translationem, A. 1655 in lucem emiſſas; nec non Diſſertationem contra *Menagium & Coſtardum*, (*Avis a Mr. Menage ſur ſon Eclogue intitulé Chriſtine; avec un remerciment à Mr. Coſtar*) anno ſequenti 1657 typis vulgatam; ut & Opuſcula quædam ſoluta vel ligata oratione compoſita, quæ demum poſt exceſſum ejus cum inſcriptione: *les Oeuvres de defunt Monſieur*

eur B. de l'Academie Françoiſe, *Controlleur de l' Argenterie du Roy*, A. 1670 prodierunt. Meditabatur idem Vir doctus *Commentarios in Poeticen Ariſtotelis*, ſed mors præveniens laudandum inſtitutum interrupit.

Merita tamen illius & doctrinam ſuperaſſe creditur Frater *Jacobus Boilavius*, natus Pariſiis d. 16 Mart. A. 1635, qui initio Doctor Sorbonicus, poſtea ad Decanatum Eccleſiæ Metropolitanæ Senonenſis ab ejusdem Archi-Epiſcopo *Gondrino* vocatus, & a morte *Montpezati* poſt *Gondrinum* Antiſtitis, in ejusdem Eccleſiæ Vicarium magnum & Officialem evectus, demum Lutetiam A. 1694 reverſus, a Rege Canonicatu Sanctæ Capellæ (*de la ſainte Chapelle*) donatus fuit. Ejus ſcripta, cum pleraque ſine Autoris vel ſub ficto etiam nomine circumferantur, & a Biographo noſtro plenius & accuratius, quam a *Dupinio*, vel quoquam alio adducta ſint, ordine ab eodem ſervato in gratiam Lectorum hic ſubjiciemus. Sunt autem: *Eclairciſſement ſur un paſſage de S. Auguſtin, cité dans le livre de la perpetuité de la Foi, par le Sieur Barnabe.* A Mons chez Vaudret, 1667 in 12. *Recueil des Pieces concernant les Cenſures de la Faculté de Theologie de Paris ſur la Hierarchie de l' Egliſe & ſur le XVIII Tome des Annales Eccleſiaſtiques d' Odericus Raynaldus.* A Munſter chez Bernard Raesfeld, 1666, 12. *Ad Decretalem* ſuper ſpecula, de Magiſtris. *Opus Marcelli Ancyrani.* Pariſ. 1667, 8. *Traité du devoir & de la vie des Eveques par le Pere Louis de Grenade, Dominicain.* A Paris chez Leonard, 1676, 12. *Le Paſtoral de S. Gregoire le Grand, ou le livre du Soin & du devoir des Paſteurs, traduit nouvellement.* A Paris chez Pralard, 1670, 12. *De antiquo jure Presbyterorum in Regimine Eccleſiaſtico, autore Claudio Fontejo.* Taurini, 1670, 8. Eodem anno dicitur a Dupinio promulgaſſe *un Traité pour prouver, que la contrition eſt neceſſaire pour obtenir la remiſſion de Pechés dans le Sacrament de Penitence.* Porro *de antiquis & majoribus Epiſcoporum cauſis liber, ad confutationem Errorum Davidii in libro: des Jugemens Canoniques des Eveques; avec une Diſſertation ſur le Concile plenier de S. Auguſtin. Autore Theologo Pariſienſi.* Leodii, 1678; 4. *Hiſtoria Confeſſionis auricularis ex antiquis Scripturæ, Patrum, Pontificum*

Digitized by Google

tificum & Conciliorum Monumentis, cum cura & fide expreſſa. Pariſ. 1683. *De Adoratione Evchariſtiæ libri duo: quibus accedit, Disquiſitio Theologica de Præcepto divino Communionis ſub utraque ſpecie.* Pariſ. 1685, 8. *Traité du Corps & du Sang du Seigneur par Ratramne ou Bertram, Pretre, Religieus de Corbie; en Latin & en François avec des remarques.* A Paris 1686 12. Eodem anno, teſte Dupinio, publici juris fecit Disquiſitionem Theologicam de neceſſitate Amoris ad obtinendam veniam peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ. Sequuntur *Remarques d'un Theologien ſur le Traité de Maimbourg de l'etabliſſement & des Prerogatives de l'Egliſe de Rome.* A Cologne chez Pierre Marteau 1688, 12. A. 1691, ſecundum Dupinium, edidit ſub nomine Profeſſoris cujusdam Theologiæ Tractationem vernaculo ſermone compoſitam de Impedimentis Matrimoniorum, qua defenditur Launoji ſyſtema contra Galeſium & Gerbæſium. Succeſſerunt A. 1695 Diſſertatio repetitæ Prælectionis, recenſente eodem Dupinio, ad Decretalem *ſuper ſpecula*, cui comites dedit duas alias ad Decretalem *ad audientiam*, *de Clericis non reſidentibus*, alteram *Colloquium Criticum ſive de ſphalmatis Virorum in re literaria illuſtrium. Hiſtoria Flagellantium, de recto ac perverſo flagrorum uſu apud Chriſtianos: ex antiquis Scripturæ, Patrum & Scriptorum prophanorum monumentis cum cura & fide expreſſa*, 1700, 12. *Hiſtorica Disquiſitio de Re Veſtiaria Hominis ſacri vitam communem more civili traducentis*, Amſtelod. 1704. ΔΟΚΙΜΑΣΙΗΣ *ſive de librorum circa res Theologicas approbatione Disquiſitio hiſtorica.* Antverpiæ, typis Bernardi Salii, 1708, 12 & *de re Beneficiaria liber ſingularis, ſive: Quæſtionis celebris & difficilis, an & quibus in caſibus liceat homini Chriſtiano absque culpa & peccato plura beneficia Eccleſiaſtica poſſidere, ἀνάκρισις. Cura & ſtudio Theologi Pariſienſis, Abbatis Sedichembechenſis*, 1710, 12.

Ad *Nicolaum* noſtrum ut redeamus, puer oſtentabat ingenium mite & ſimplex, adeo ut pater obſervans eum aliquando & cum reliquis ſuis liberis conferens, de eo dixiſſe feratur: *c'eſt un bon Garçon, qui ne dira jamais mal de perſonne.* Prima literarum fundamenta poſuit in Collegio Bellovacenſi ſub *Sevi-*

Digitized by Google

no optimo ingeniorum formatore, aſſiduus eo tempore Poetarum, Satiricorum præſertim & fabularum Romanenſium ſcrutator, poſtquam Philoſophiæ ſtudiis animum ſatis imbuiſſet, Jurisprudentiæ nomen dedit, qua in brevi tempore tam inſigniter profecit, ut non maturis adeo annis in matriculam Advocatorum referri mereretur. Sed quod cum artibus Fori non bene ſibi convenire intelligeret, Sorbonæ ſe mancipavit, in qua ipſa cum Scholaſticas illas nugas ferre non poſſet, nuncio eidem miſſo, animum unice ad literarum elegantias convertit. Abundabat ea ætate Gallia læto Poetarum proventu, a quibus artem iſtam ad ſummum faſtigium perductam credebant plerique, qui regulas ejus & indolem ſermonis patrii non perſpectas ſatis habebant. In Satira regnabat *Regnierius*, Vates non infelix, cui tamen tanta non erat eloquii caſtitas & dulcedo, & in explicandis rebus cum natura earum convenientia, ut caſtigationem *Boilavii* non deſideraret: qui ubi ſemel cœpiſſet operi manum admovere, Satiraſque nonnullas inter amicos ſpargere, & vitia Poetarum ſui ſeculi nominatis autoribus detegere, ringentibus licet his, ita omnibus fuit admirationi, ut ab eo argute dicta paſſim per univerſum Regnum in parœmias abire animadverterentur. Favor communis, quo Poemata ab eo confecta excipiebantur, impulerat nonnullos lucri appetentes, ut quædam illius invito eo & ignorante typis vulgarent, jungentes iisdem ſub ejus nomine *Judicium de Scientiis* (*jugement de Sçiençes*) tractationem exilem & nullius doctrinæ, quam ſuppoſitam ſibi indigne ferens, cum præterea ſua ab aliis miſere interpolata videret, ipſe primam operum ſuorum Editionem curabat A. 1668, in qua fœtum illum ſpurium e numero ſuorum ejiciebat.
p. 42. Inclementer ab eo factum arbitrabantur nonnulli, quod ne nominibus quidem Autorum eorundemque ſuperſtitum peperciſſet, quibus ut os obturaret, Satiram quæ inter reliquas nona eſt, opponebat, Diſſertationemque de Satira (*Discours ſur la Satire*) commentabatur, in qua facinoris objecti invidiam exemplis cum veterum *Lucilii* & *Horatii*, tum ſui temporis Satiricorum, *Regnierii* aliorumque a ſe declinare moliebatur. Anno ſeculi
46. ſuperioris ſupra ſexageſimum nono duas Satiras, quæ illius no-

men

men in fronte ſcriptum mentiebantur, a ſe profectas abnuebat, quarum una Simoniacos diſpenſatores Bonorum Eccleſiaſticorum (*les Maltotes Eccleſiaſtiques*) *Quel eſt donc ce Cabos* &c. altera: *Non je ferai pas ce, qu' on veut, que je faſſe*, connubiorum incommoda perſtringebat. Nec multo ante elaboraverat *Colloquium Mortuorum* (*Dialogue des Morts*) in quo acrem cenſuram in *Puellam Aurelianenſem Capellani*, & *Cyrum Magnum Cleliamque*, Fabulas Romanenſes a *Scuderia* emiſſas, exercebat. p. 50.
Deſtinaverat tamen, ne famæ doctiſſimæ Fœminæ quicquam detraheret, fœtum hunc intra penates ſuos detinere, niſi amici quidam, quibus eundem exhibuerat, quantum memoria comprehenderant, literis mandaſſent; quo effectum, ut is, licet non adeo perpolitus & comtus initio quidem *Tomo II du Retour des pieçes choiſies ou Bigarrures curieuſes*. Emmerici, 1668, deinde vero 53.
Collectioni melioris notæ Scriptorum Sant-Evremondo tributorum, (*Melange curieux des meilleures Pieçes attribuées a Mr. de St. Evremond*,) quam Silveſtro & Biographo noſtro debemus, infereretur. Anno ſeptuageſimo ſecundo Doctores aliqui e Sorbona veterani, ſuaſionibus Loyolitici Ordinis adducti, ſupplices literas decernebant ad Curiam Pariſienſem, quibus poſtulabant, ut edicto publico caveretur, ne qua in poſterum alia in Scholis Philoſophia præter Ariſtotelicam doceretur. *Boilavius*, ut ridendum hominibus ſuperſtitioſis inſtitutum tanto magis exprobraret, eodem tempore preces fingebat Academiæ Pariſienſis nomine ad Parnaſſum montem directas pro Ariſtotelica contra novaturientium ſententias protegenda, quarum ille, & meliorum quidem, cenſum inſtituebat, addito Decreto (*Areſtum* vocant) votis cumulatiſſime velificante. Sorbonici, ubi machinationes ſuas ita traduci & ludibriis elegantiorum ingeniorum exponi comperiſſent, ab incœpto ſponte ſua deſtiterunt. Non diu poſt graves inter Nivernium Ducem ex agnatis Cardinalis Mazarini & Principis Mazariniæ fratrem & *Boilavium* ſimultates exarſerunt. Produxerat in Scenam Phædrum ſuum & Hippolitum Tragoediam *Racinius* inter Tragicos ſuæ gentis Poetas poſt Cornelium Princeps; quem æmulaturus *Pradonus* eandem Fabulam carmine ſuo excultam in Theatro brevi 57. 66.

poſt ſiſtebat. Neque eventus fallebat *Pradonum*, cujus in Operis textura bene multi majorem, quam in Raciniano artium aulicarum cognitionem inveniſſe ſibi videbantur. *Racinius* dividendæ cum homine, quem ſe multo inferiorem arbitrabatur, gloriæ indocilis, omni modo laudibus æmuli ſubnaſcentibus detrahere, ejusque ſcripta ſupprimere; ex quibus cum hic juſtam querendi cauſam arriperet, Nivernius Dux, quo præcipue Mæcenate utebatur, quique ipſe Poetica laude multum ſibi placebat, in partes illius ſecedens, aculeatum in *Racinium* Poema quaterdenis quidem incluſum verſibus (*Sonnet* appellant) vibrabat, in quo ſimul amores Poetæ, quibus in *Chanmeliam* famoſiſſimam Scenicam, quæ Phædrum in Scena a *Racinio* inſtructa induerat, & argumenti ipſius occonomia ſalſe perſtringebantur. Apparebat brevi intervallo ejusdem generis in Ducem & *Pradonum* Carmen parodicum paria priori referens; cujus origo cum ad *Racinium*, & qui cum hoc conjunctiſſime ſemper vixit, *Boilavium* tanquam architectos referretur, tanta indignatio
p. 70. ſubiit animum Principis, ut in atrociores injurias haud dubie eruptura lis timeri poterat, niſi interventu aliquot magnæ dignationis hominum ea ratione, ut uterque Poematis auctorem ſe negarent, præmature ſopita fuiſſet. Eminet inter cetera Satirici noſtri, velut inter ignes luna minores, Carmen Epicum *Lutrin* ſive *Pulpitum* inſignitum, leve & ridiculum ſi ipſum argumentum conſideres (eſt enim diſcordia inter Theſaurarium & Cantorem ſanctæ Capellæ in Palatio Pariſiis oborta, quorum ille invitis Cantore & Canonicis reliquis pulpitum quoddam vetus & longo uſu detritum, de loco, quem hactenus tenuerat, in chorum transferre decreverat:) ſi ingenii vim & acrimoniam, ſententiarum pondus, dictionis puritatem & numerum poeticum ſpectes, admirandum utique & in eo genere perfectiſſimum: etſi quod contra mollitiem, faſtum & inſcitiam otioſi illius & bene paſti Clericorum gregis, ut & dogmatis de Attritione propugnatores libero ore inveheret, Eccleſiaſticis hominibus, inque his *Bailleto* non usque adeo ſe probaret. Cauſam ſcriptionis ſuggeſſerat *Lamonius* in Parlamento Pariſienſi Præſes, rara doctrina & virtute Senator, quocum noſter

quo-

Digitized by Google

quotidie fere familiariter agebat. Ille, ubi in convivio, quo *Boilavium* cum aliis exceperat, feſtivæ hiſtoriæ memoria renovaretur, deinde inter Convivas de natura & conſtitutione Carminis Epici diſceptatio calere incœpiſſet, in diverſa abeuntibus interlocutoribus: tum vero *Lamonius* ad *Boilavium*, qui pauculum materiæ ab artifice deinceps formandæ & dilatandæ Epico ſufficere contenderat, converſus, ex eo rogat, num ſatis virium ſibi adeſſe crederet, altercationes Canonicorum iſtas juſto Carmine Epico enarrandi? Cui rei cum annuiſſet *Boilavius*, animo derepente ad propoſitum appulſo, hiſtoriam totam Libris VI (*chants* vocat) feliciter abſolvit & *Lamonio* obtulit. Quatuor ex his priores prima vice comparuerunt in Editione Operum Pariſiis 1674, 4 adornata, reliquorum duorum publicatione in opportunius tempus dilata, quod in his & Palatium Pariſienſe & *Lamonius*, qui ſub *Ariſteo* latet, tam nativis coloribus pingerentur, ut ab unoquoque facile potuiſſent dignoſci. Inſerti tamen poſtmodum ſunt Editioni A. 1681, cum quadriennio ante e vivis exceſſiſſet *Lamonius*. In eadem illa Editione A. 74 primum in adſpectum hominum proceſſerunt Libri illius IV *de re Poetica* verſibus vernaculis ad imitationem Horatii compoſiti, quibus *Ronſarti* & *Pelletierii*, qui ante eum idem argumentum, ſed ſoluta oratione, tentaverant, laudem longiſſime ſuperavit. Totus eſt in genuina cuique Carminum generi indole aſſignanda, cujus ignoratio hucusque Poetis plerisque infeliciter admodum ceſſerat, quod genium ſuum non circumſpecte ſatis tentantes haud raro ad res tractandas adegiſſent, ad quas natura minime facti deprehendebantur. Sed quod regulas dictare non contentus *Boilavius*, exempla recentium eorundemque ſuperſtitum Pœtarum, quæ vitanda maxime duceret, in medium attuliſſet, ea res invidia non caruit, plerisque illorum, quod veritati obloqui non auderent, ipſum ex *Horatii* & *Hieronymi Vidæ*, quem tamen nunquam legiſſe ſe profitebatur, rivulis ſua derivaſſe criminantibus. Fama interim *Boilavii* majora indies incrementa capiebat, adeo ut Rex Chriſtianiſſimus non ſatis habens in Privilegio Editioni A. 72 præfixo ſummam, quam ex lectione ſcriptorum ejusdem p. 90.

 volupta-

voluptatem hauſiſſet, publice teſtatum iviſſe, eum inſuper penſione annua donaret, hacque aucta A. 77 una cum *Racinio* ad ſcribendam rerum a ſe geſtarum hiſtoriam deligeret. Floret Pariſiis a pluribus hinc annis Societas quædam literatorum hominum, quæ quod primis temporibus ex auctoris ſui *Colberti* Miniſtri Regii & magni doctorum Virorum Mæcenatis intentione Inſcriptionibus & Nomiſmatis in honorem Regis ſui conficiendis vacaret, *Academiæ Inſcriptionum & Nomiſmatum* appellationem ſortita eſt. Hæc cum ab initio quatuor membris compoſita eſſet, poſtea a *Louvoiſio* aucta & demum a *Bignonio* Abbate A. 1701 melioribus legibus firmata jam latiſſime in omnem Græcæ & Latinæ eruditionis campum excurrit. In eam receptus *Boilavius* A. 84, vertente eodem anno in altera quoque, Academia Gallica dicta, jubente Rege, locum obtinuit. Anno octuageſimo ſeptimo *Carolus Perraltius* coram præfata Academia vernaculum Carmen *Seculum Ludovici Magni* (*le Siecle de Lovis le Grand*) inſcriptum recitat, quo modernos antiquis in omni ſcientiarum genere anteferendos eſſe defendit: diviſis Academicorum ſuffragiis, quorum alii ad recentiorum, alii ad antiquorum partes tranſibant, alii rurſus mediam ineundam viam ducentes illis equidem in plerisque primum locum concedebant, ſic tamen ut his quoque in nonnullis, ut in Ecloga, quæ ſententia fuit elegantiſſimi *Fontenelli* in libello *ſur la nature de l' Eclogue* prærogativa merito debeatur. Natus eſt inter has contentiones ingenioſus liber *Hiſtoire Poetique de la guerre nouvellement declarée entre les Anciens & les modernes*, Pariſiis, 1687 & iterum A. 88 Amſtelodami in 12 editus: cujus Autorem cum jam ante accepimus *Franciſcum Callierium Dominum de la Rochebellay & de Gigny*, Academiæ Gallicæ aſſeſſorem, Regi Galliarum a Conſiliis ejusdemque quondam ad Pacis Ryswicenſis deliberationes Legatum, tum vero lætamur, ea in re nos a doctiſſimo Biographo confirmari. Habuit autem in hac ſcribendi arte *Callierius* Anteceſſorem *Gueretum*, in Curia Pariſienſi Advocatum, parentem libri *la Guerre des Auteurs*, quem tamen *Boisrobertum* facit *Ancillonius* P. II. *Melange Critique* p. 309. *Peraltio* acriter ſe objecit *Boilavius*, ſtrenuus gloriæ Veterum propugnator, non ob-

ſcure

ſcure ei ſuccenſens, quod in re tanti momenti cenſoris partes ſibi ſumſiſſet, cui ob Græcarum literarum imperitiam minime ſufficeret. Neque tamen ille ſententiam mutabat, quin potius Anno ſequenti 88 edebat *Paralleles des Ançiens & Modernes*, quo libro non in Poetica ſolum arte, ſed & reliquis a Recentioribus Veteres ſuperari contendebat; cui *Boilavius* opponebat *Reflexions ſur Longin*, contra quas *Peraltio* alio libro *Reflexions ſur Reflexions* replicante, lis denum ita compoſita fuit, ut, utrique opinione ſua ſalva manente, neutri adverſus alterum calamum amplius ſtringere liceret. Anno 97 Epiſtolam *de l' Amour de Dieu* compoſuit, qua Jeſuitarum de Attritione & Contritione dogma non levibus aculeis inſectabatur. Comparebat etiam eodem tempore alia ſimilis argumenti Epiſtola, in qua, quod male admodum habiti eſſent eidem Sectæ adſcripti, *Boilavius* eam a ſe profectam diffitebatur. Neque tamen hanc injuriam ſibi illatam ita concoquere poterant irati illi, quin Patres Trevoltienſes a pluribus annis in omnis generis libros ſat libere cenſuram exercentes, in recenſione Operum Boilavianorum apud Batavos recuſorum A. 1701 noſtrum non una ratione, etiam dum laudare videbantur, laceſſerent, cumprimis autem Epiſtolam de Amore erga Deum ſugillarent. Accendit ea res vehementer *Boilavii* animum ſenilem quidem ſed vividum adhuc & calentem, ut præter Epigrammata quædam aculeata, Satiram quoque in univerſum Loyoliticum ordinem tentaret, in qua, quod ipſum in materia Æquivocationum alere ſciret dogmata perniciofa & ſimplicitati Chriſtianæ haudquaquam convenientia, ad *Æquivocum* tanquam Perſonam converſus in illud lapſus Adami culpam rejicit, idem ſuperſtitionis gentilitiæ hereſiumque in Eccleſia exortarum & utrinque inter recte & male ſentientes effuſi ſanguinis autorem facit, eidem de probabilitate ſententiam, qua non alius ullum peſtilentius ſidus afflaverit doctrinam de moribus genuinam, imputat, illud porro falſam de Attritione opinionem excluſiſſe, aliaque aſſerta Jeſuitis tribui ſolita, quos turbatores inſuper ajebat & everſores ſalutarium inſtitutorum a Chriſto propoſitorum. Imprimis toto agmine impetum faciebat in Socios illos Trevoltienſis diſ-

p. 202.

ſidii

ſidii hujus, ut credebat, incentores. Non ingratum fore confidimus B. L. ſi verba quædam ex Satira apud nos vix obvia huc transtulerimus:

Alte don là ma Plume: & toi ſors de ces lieux
Monſtre à qui par un trait des plus capricieux,
Aujourdhui terminant ma courſe ſatirique
J'ai preté dans mes Vers une Ame allegorique,
Fui, va chercher ailleurs tes Patrons bien aimés
Dans ces Pays par toi rendus ſi renommés,
Ou l' Orne epand ſes eaux, & que la Sarte arroſe:
Ou ſi plus ſûrement tu veux gagner ta cauſe,
Porte-la dans Trevoux a ce beau Tribunal,
Ou de nouveaux Mydas un Senat Monachal,
Tous les mois, appuyé de ta Soeur l' Ignorance
Pour juger Apollon, tient, dit-on, ſa Seance.

Jamque in eo erat circa finem A. 1710 *Boilavius*, ut novam Operum ſuorum collectionem, cui præter alia ejus nondum typis expreſſa hæc quoque Satira aſſocianda erat, impetrata eum in finem conceſſione Regia, moliretur, cum *Tellerius* Regi a Confeſſionibus, remoram injiceret operi jam inchoato, nequicquam pro *Boilavio* intercedentibus primi Ordinis hominibus, inque his Cardinale *Noallio*, Archi-Epiſcopo Pariſino, & Comite de *Pontchartrain*, Regni Cancellario. Siquidem Rex Loyolitis obſecutus non ſolum prohibebat Satiram novam excudi, ſed & mandabat Autori, ut avtographum in manus ſuas deponeretur, quoad reliqua Privilegio ſemel indulto ſua auctoritas conſtaret. *Boilavius* tamen, quod vitæ terminum inſtare ſibi crederet, non diutius tempori inſerviendum ratus, ab incœpto labore penitus deſtitit. Obiit non multo poſt Lutetiæ, febri ferme continua correptus, d. 13 Mart. 1711, annis ſeptuaginta quatuor major, cujus exuvias ad Fanum S. Johannis Rotundi translatas amici condigno monumento poſito ornarunt. Satira contra Jeſuitas paucis ab obitu illius diebus clanculum excuſa in publicum exiit. Ad Hiſtoriam rerum geſtarum Ludovici XIV, cui tot annis invigilavit, quod ſpectat, eam ante fata Herois lucem viſuram, vix ſperare audet *Maizaus*, bo-

nam

Digitized by Google

nam fidem tamen in ea obſervatam vel ex eo conjicit, quod Boilavius aliquando Amico cuidam confeſſus ſit, cauſas belli iſtius, quod Rex A. 72 ſeculi ſuperioris Batavis intulit, juſtas & idoneas a ſe reperiri non potuiſſe. Ceterum ſciendum eſt, Biographum noſtrum, ut officii hoc genus præſtaret Manibus præſtantiſſimi Vatis, impulſum id feciſſe precibus Anglorum quorundam, qui novam lingua ſua Editionem Operum Boilavianorum nobis pollicentur.

DISSERTATIO THEOLOGICA DE MYſterio SS. Trinitatis ex ſolius V. T. Libris demonſtrato, atque ex Veterum ac Recentiorum Rabbinorum, præſertim Cabbaliſtarum rariſſimis monumentis illuſtrato; Autore JOHANNE MEYERO, SS. Th. D. ejusdemque Facult. ut & Ling. Sanctæ in Academia Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Profeſſore Ord.

Harderovici, apud Danielem Sas, 1712, 4.

Plag. 17.

ARticulum, quem Chriſtiana Religio de SS. Trinitate profitetur, a primis ſeculis in hæc usque tempora impugnatum, multisque modis in dubium vocatum eſſe conſtat. Ut vero Cl. Meyerus antiquitatem ejus demonſtraret, non ſolum Codicem Hebræum conſuluit, qui frequenter de Deo in plurali & ternario numero loquitur, ſed & Cabbaliſtas evolvit, qui ductu quorundam locorum de Trinitate loqui videntur. Probata igitur cap. 1 Dei unitate, & explicata myſterii notione, liberum relinquit perſonæ vocabulo in hoc dogmate uti vel abſtinere, quia verendum, ne ſimpliciores, facta trium perſonarum mentione, Deum concipiant, tanquam tres Principes vel Reges, uno imperio in cœlo gaudentes. Præcipuum argumentum, quo Trinitatem probat, ex Deut. VI,4 petiit, ubi Moſes dixit: יהוה אלהינו יהוה אחד *Jehova, Deus noſter, Jehova unus, eſt.* Quibus verbis perſonarum divinarum numerus ad ternarium reſtringitur, & quod notandum, ſecundo nomini *noſter* additur, ut innuatur ſecundam perſonam per humanæ naturæ participationem noſtrum fore Immanuelem, *Deum nobiscum.*

Deinde ex vetuſtis Cabbaliſtarum libris, Jezira, Habbahir, Sohar & Medraſchim loca collegit, quæ de Trinitate agere viſa ſunt. Quibus plura addit ex recentioribus Cabbaliſtis R. Saadia Gaon, R. Moſe Bar Nachman, R. Abraham Ben Dior, R. M. Botril, R. Bechai, R. Menachen Raken. R. Schabtai, R. Moſe Corduero, R. Meir filio Gabbai, R. Joſ. Geketilia, aliisque pluribus. Scopus noſter non permittit, ut omnia conquiſita loca adducamus; ſufficiat, ex plurimis pauciſſima exhibere. Primo loco apponimus verba ex Sohar Part. III fol. 126 col. 1, 2 edit. Cremon. & Lubl. & fol. III col. 2 edit. Sulzbac. excerpta, quæ ſub ſingulis Deitatis nominibus Deut. VI, 4 occurrentibus, diſtinctum aliquid intelligunt: Nomen יהוה (Dominus, quod ſcribunt יהו״ד) deſignat principium omnium in ſplendore Antiqui Sancti, atque hic eſt, qui appellatur Pater. Nomen *Elohenu* (*Deus noſter*) innuit profunditatem fluminum ac fontium, qui egrediuntur, & manant ad omnes. Nomen tertium; יהוה *Dominus*, ſignificat ſtirpem (aliud exemplar habet corpus) arboris, perfectionem Radicum. Per אחד unum, denotatur Eccleſia Jſraelitica, & totum eſt una perfectio, atque unum cum altero colligatum eſt: neque ulla deprehenditur diviſio, ſed omne eſt unum. Sciendum enim eſt, Cabbaliſtas decem Sephiroth ſeu Numerationes proferre, quibus mundum creatum eſſe & gubernari dicunt, easque in tres ſuperiores & ſeptem inferiores diſtinguunt. Superiorum trium nomina ſunt *Corona*, *Sapientia & Intelligentia*, in quibus Chriſtiani Trinitatis myſterium quærunt, nec negandum, multa in ejusmodi ſcriptis occurrere, quæ proxime ad eorum dogmata accedant, licet non deſint etiam, quæ recedant ab iisdem. Inde noſter Cl.
p. 22. Autor *Coronæ*, quæ & antiquus dierum, ſummus Pater &c. appellatur, primæ perſonæ; *Sapientiæ*, quæ & mens, principium, ens, primogenitura, pater, (reſpectu creationis mundi) nominatur, ſecundæ perſonæ; *Intelligentiæ*, quæ etiam mens, anima ſuprema, fluvius egrediens ex Paradiſo & pœnitentia nuncupatur, tertiæ perſonæ reſpondere exiſtimat. Ad easdem decem Sephiroth Johannes Apoc. I, 4 alludere videtur dicens: Gratia ſit vobis & pax, ab eo, *qui eſt*, *& qui erat*, *& qui futurus eſt*. Ubi

per

per eum,qui eſt, qui erat,& qui futurus eſt,tres primas numerationes, & per ſeptem ſpiritus, reliquas ſeptem numerationes intelligi videtur. In fuſiori explicatione trium nominum, Jehova, Deus noſter, Jehova,Deut. VI, 4,oſtendit Cl. Vir diverſas Rabbinorum ſententias, qui modo Trinitatem aliquam in primo nomine Jehova, modo in omnibus tribus inveniunt. Secundum argumentum ex hiſtoria Creationis petitur Gen. I, 26, ubi Deus dicit: faciamus hominem in imagine noſtra ad ſimilitudinem noſtram. Uti vero hic manifeſta eſt conſultatio de creatione hominis, inter plures inſtituta, ſic ex eadem perſo- p. 32.
narum pluralitas evidenter patebit: Deum enim Regum more locutum eſſe, ſine fundamento dicitur, quia Reges in Scriptura ſemper in ſingulari numero de ſe loquuntur, Gen.XIV & XLI, 2 Sam. XXIV,Eſr. I,Dan.II,V & VI,Nec videtur,Deum cum Angelis eſſe locutum,uti 1 Reg. XXII, 20; cum iis enim Deus in noſtro loco conſultavit, qui creandi potentiam habuerunt, quæ Angelis merito denegatur. Hac occaſione Cl. Vir advertit, quod Gen. I רוח אלהים, Spiritus Dei incubans ſuper aquarum ſuperficie,neque ventus,neque Angelus eſſe poſſit,quia in omni- 35.
bus reliquis Scripturæ locis, nempe Gen. XLI, 38, Exod. XXXI, 3, XXXV 31, Num.XXIV,2, 1 Sam. XV, 1 XXIV,20, Job.XXVII, 3 &c. neutra notio locum invenit.Perſonarum pluralitatem probat quoque Noſter ex Gen.III, 22:Et dixit Jehova Deus,ecce Adamus factus eſt ſicut unus ex nobis כאחד ממנו. Ex quo apparet, loquentem non eſſe angelum, ſed Jehovam,ipſum Deum, qui de ſe in plurali loquitur,&dum dicit ſicut unus ex nobis,æquat ſibi perſonas,quas alloquitur,ut eadem dignitate præditas. Reliqua Scripturæ loca Job. XXXV,10,Pſ.XLIX,2,in quibus nomine עשים *Factorum* creator celebratur, ſtudio prætermittimus. Ex Cabbaliſtarum mente Trinitatem probaturus Autor noſter, ex R. Meir Ben Gabbai aliisque probat pluralitatem creatorum, quam ille admittit partim, cum decem Sephiroth ipſum Deum eſſe aſſerit, partim,cum per familiam Dei, ipſum Deum intelligit, 41.
excluſis angelis, eamque ſententiam contra Joſephum Albo,au- 42.
torem Jkkarim, prolixe defendit. Deinde docet, ex eorundem monumentis plures in ipſa Deitate deſignari, eorumque plura-

Digitized by Google

p. 51. litatem ad ternarium numerum reſtringi. Adducamus verba
ex Schepha Tal fol. 24, 4, Port. III c. 2. Notum eſt, quod decem Sephiroth in duas diverſas notiones dividantur (ſive dupliciter conſiderentur) ſeptem enim, quæ ſunt magnificentia, ſeveritas, pulchritudo, victoria, gloria, fundamentum & regnum, appellantur dies ædificii, quæ mundum ipſum proprie ædificarunt, atque mundo ideo ſunt revelatæ, ut ex forma ædificii cognoſcamus atque apprehendamus formam Architecti, ſicut declaratum eſt in Porta II capite 2. At vero tres primæ Sephiroth, quæ ſunt corona, ſapientia atque intelligentia, non vocantur dies ædificii, utpote quæ mundum ipſum proprie non ædificarunt, ſed appellantur intellectuales, quandoquidem iſtæ in gradu Artificis ſunt caput artificum, quod in intellectu ſuo concepit ædificium, qualis nempe ædificii forma ſit futura, nec non figura conclavium, thalamorum, veſtibulorum, feneſtrarum, exituum atque ingreſſuum ejus; & quamdiu ille ædificium intellectu ſuo concipit, ædificium eſt abſconditum: poſtea vero caput (ſive Princeps) Artificum, qui eſt Architectus principalis, formam intellectus ſui revelat operariis ſuis, ipſis ſtructoribus, eisque mandatum dat dicendo: hoc iſto modo facite, & juxta hunc ordinem facite, atque ita revelat, quod in intellectu ſuo occultum eſt, per operarios artifices, qui ipſum ædificium proprie ædificant, atque hoc ipſo exemplo Sephirarum ratio declaratur. Nam *corona*, *ſapientia* atque *intelligentia* ſunt *architecti*, qui intellectu ſuo omnium mundorum ſtructuras conceperunt, omnesque mundi in eorum intellectu fuerunt abſconditi, ſicut illud explicavimus in Porta II Cap. 2. His ex ſequentibus addimus, quod architectus occultus ac abſconditus אין non ens appelletur, quoniam a nulla creatura
54. apprehenditur, ubi א *coronam ſummam*, י *ſapientiam*, ן *intelligentiam* denotat. Fundamentum hujus ſententiæ ceperunt ex Sohar recentiores Cabbaliſtæ, in eo enim Part. 1 fol. 15, 2, 3, 4. fol. 16, 1 edit. Crem. hæc legimus verba: Breſchith in principio denotat myſterium Sapientiæ (Sephiram ſecundam) Bara creavit, deſignat ſupremam obſignationem, nemini cognitam (coronam, primam Sephiram) Elohim Deus, denotat intelli-

gentiam

Digitized by Google

gentiam (tertiam Sephiram.) Uti vero omnes decem Sephiroth ſunt emanationes, ita quoque tres ſuperiores a Bli mah ab infinito & incomprehenſibili eſſentia emanarunt. Audiamus etiam R. Bechai comment. in legem fol. 4, 4. Sunt decem p. 68.
Sephiroth & non undecim, quia præter iſtum complexum decem Sephirarum non eſt tibi cogitandum & computandum, quod ſupra coronam eſt; hoc enim eſt cauſa cauſarum, & res occulta, de qua dici nequit, quod ſit Ens vel non Ens. Atque hæc eſt ſignificatio verborum in Sepher Jezira: Decem Sephiroth Beli Mah. Decem Sephiroth iſtius ineffabilis, id eſt, emanantes a Beli Mah ineffabili. Emanationem ipſam, quam Aziluth vocant, ita deſcribit R. Chajit Maarechet Haelahuth 71.
f. 18, 2. Emanatio nihil aliud eſt, quam verbum Dei O. M. qui dixit Gen. I, 3, fiat lux. Quamvis enim in Deum non cadant prolationes oris corporeæ, ſermo tamen interior (nempe cogitatio & Spiritus in Deo) verus Dei ſermo eſt, atque ob hunc ſermonem homo מדבר loquens appellatur, non autem propter ſermonem externum. Et quod revelatum eſt in Aziluth (emanatione) nihil aliud fuit quam vox, Spiritus & verbum, quemadmodum aſſeruit Autor Libri Jeziræ: *Unus eſt Spiritus Dei viventis, vox & Spiritus & verbum.* Ex qua ſententia noſter Cl. Autor Targumiſtarum מימרא דיי *verbum Domini* intelligit, & de ſecunda perſona cum Rittangelio interpretatur. 73.
Inter Symbola, quibus tres Sephiroth ſignificantur, refert quo- 76.
que illud in Sohar & Jezira frequentiſſimum שלש אמות א׳ מ׳ ש׳, quod vertit: tres cubiti ſunt אויר aer, מים aqua אש ignis, corrigitque Rittangelium, qui tranſtulit אמות *matres*, quas אמהות appellari exiſtimat. Sed fallitur, אמהות ſunt ancillæ & אמות matres, uti notum. Præterea, ignis, qui ſeveritas, aqua, quæ magnificentia, aer, qui pulchritudo appellatur, ſunt matres, quia influxum recipiunt a ſuperioribus Sephiroth, corona, ſapientia, & intelligentia. Huc quoque ſpectant verba, quæ in libro Jezira cap. 6 ſect. III fol. 89, 2. legimus: שלש אחד לבדו עומד *trinum unum ſolum ſubſiſtit*; quæ a R. Corduero ita explicantur: ſunt tres matres, una inſontem pronuntiat, una accuſat, una inter eas conciliat. Sic prima mater eſt clementia,

mentia, quæ influxum recipit ex corona, hæc inſontem pronuntiat. Secunda eſt ſeveritas, quæ influxum accipit ex intelligentia, hæc accuſat, tertia eſt magnificentia, quæ influxum
p. 79. recipit ex ſapientia, hæc conciliat. Ad Symbola, quibus tres ſupremæ Sephiroth repræſentantur, referuntur quoque ignis, aqua & Spiritus in libro Jezira cap. 6 S. 1. Ignis reſpondet intelligentiæ, quæ accuſat, aqua coronæ, quæ abſolvit, Spiritus ſapientiæ, quæ conciliat. Hinc ibidem adjicitur: ignis eſt ſuperius, aqua inferius, Spiritus conciliat utrumque. Si loco ignis ponas ſanguinem, qui etiam ſymbolum intelligentiæ eſt, & nota judicii (Kabb. Denudata p. 250 & Pardes Rimmon fol. 141, 3) videbis quod conveniant cum verbis 1 Joh. V, 7: *Tres ſunt, qui teſtificantur in cælo, Pater, ſermo, & Spiritus S. & hi tres unum ſunt*; hos appellant Cabbaliſtæ, coronam, ſapientiam vel verbum, & intelligentiam, quæ ſæpius in Jezira unum dicuntur. Et tres ſunt, qui teſtificantur in terra, Spiritus & aqua & ſanguis, quæ tria inferiora ſunt ſymbola trium ſuperiorum. Spiritus reſpondet ſermoni vel Filio, aqua Patri, ſanguis Spiritui S. Multo plura ſunt jucunda & meditatione digna, quæ non attingimus, perſuaſi, Lectorem ex his paucis intellecturum, quæ in hac abſcondita Cabbaliſtarum doctrina ex hac Diſſertatione eruditiſſima ſperare poſſit.

FIRMIANI LACTANTII EPITOME INſtitutionum Divinarum, Anonymi Hiſtoria de Hæreſi Manichæorum, Fragmentum de Origine Generis Humani & Q. Julii Hilariani Expoſitum de ratione Paſchæ & Menſis ex antiquiſſimo Biblioth. Reg. Taurinenſis Codice edita a CHRISTOPH. MATTHÆO PFAFFIO.

Pariſiis, apud Joh. Bapt. Deleſpine, 1712, 8.

Plag. 21.

NOva hæc eſt Scriptorum Latinorum eorumque hucdum ἀνεκδότων Collectio, quam Cl. Pfaffio debemus. Hic enim, cum Auguſtæ Taurinorum verſaretur, memor eorum, quæ Cl. Montfauconius de Codd. Biblioth. Taurinenſis manu deſcriptis in Palæographia Græca p. 261 commemoraverat, in rei ve-

Google

ritatem inquiſivit, nec ſpe fruſtratus inſignem Hebr. Græcorum Latinorumque Codd. copiam deprehendit. Ex his cum alia, tum ea inprimis, quæ nunc ſpeciminis loco prodierunt, deſcripſit, de quibus plura circa ſingula tradituri ſumus. Scripta hæc ſingula comprehenſa fuerunt uno volumine, quod ex Bibliotheca S. Columbani, qui Monaſterii & Bibliothecæ Bobienſis ſeculo VI inclinante autor exſtitit, depromtum eſſe ipſa inſcriptio oſtendit. Codex ipſe optimæ notæ eſt, iisque literis exaratus, quæ ſeculi V vel ſaltem VI ineuntis ætatem, Cl. Editoris judicio, produnt. Primum opuſculum continet Epitomen Inſtitut. Divinarum Lactantii, cujus extrema tantum pars, quæ *de juſtitia* inſcribitur, hucdum in Operibus divini Doctoris apparuit. Imo remotiſſimam quoque ætatem compendium hoc mancum habuiſſe, Hieronymo interprete ſcimus, qui in lib. de Viris Illuſtribus teſtatur, epitomen harum Inſtitut. ἀκέφαλον exſtare. Quo magis mirum videbitur antiquitatis ſtudioſis, eam eſſe noſtræ ætatis felicitatem, ut epitomen hanc integram conſpicere & cum Opere ipſo comparare liceat, quod eo rectius fit, quoniam ipſe Lactantius hoc labore perfunctus eſt in gratiam fratris ſui Pentadii. Ita enim habent verba ejus in præfatione: *Quanquam Divinarum Inſtitutionum libri, quos jampridem ad illuſtrandam veritatem religionemque conſcripſimus, ita legentium mentes inſtruant, ita informent; ut nec prolixitas pariat faſtidium, nec oneret ubertas; tamen horum tibi epitomen fieri, Pentadi frater, deſideras; credo, ut ad te ſcribam, tuumque nomen in noſtro qualicunque opere celebretur.* Ceterum compendium hoc Cl. Editor in 72 capita diſtinxit, ex quibus 60 priora nunc demum lucem adſpiciunt. In Prolegomenis toti Collectioni præmiſſis varia erudite admonentur, ſpeciatimque de nomine Firmiani Lactantii, quem minus recte Lucii Cæcilii vel Lucii Cœlii nomine appellari §. 12 & 13 affirmat, eo uſus argumento, quod nec *Hieronymus* nec *Auguſtinus* hoc ei nomen tribuant, ac præterea octo Codd. MS. Taurinenſes ad exemplum aliorum idem omittant. Quæ cauſa eſt, cur Cl. Editor §. 11 cum Cl. Nicolao le Nourry ſtatuat, librum de Mortibus Perſecutorum non Lactantio ſed Lucio Cæcilio, ſcriptori minus eleganti, vindican-

dican-

Digitized by Google

dicandum eſſe. Poſt hæc Editor ſententias quasdam Lactantii minus probandas & noſtra ætate fere exploſas tangit, v. c. quando carmina Sibyllina tanquam genuina contra Gentiles in aciem producit, v. §. 17 & 18, quando idem cap. 29 malum culpæ a Deo factum aſſeverat, v. § 19-21. Qua in re quamvis cum Manichæis non comparandus videatur Editori §. 21, idem tamen §. 22 non diſſimulat, Doctorem hunc propius ad illos accedere, dum alibi corpus malum, animam vero bonam eſſe affirmet. Sic nec cum experientia conciliari poſſunt, quæ Lactantius cap. 39 hujus Epitomes contra Antipodes diſputat, de quibus ſine riſu nec audiri nec dici poſſe ſtatuit In eo, quod de Chriſto ejusque divinitate cap. 42 & 43 commentatur Lactantius, videri is poterat a recte ſentientibus diſceſſiſſe, a qua ſuſpicione eum vindicat Editor §. 27 ſq. Quod ad Hiſtoriam de Hæreſi Manichæorum pertinet, quæ vix tribus paginis comprehenſa p. 181 ſq. legitur, non dubium eſt, quod Cl. Editor §. 38 monet, eam ex Actis Archelai Epiſcopi Carcharenſis cum Manete excerptam eſſe, quæ Zacagnius in Collectaneis Monumentorum vett. Eccleſiæ Gr. & Lat. Tomo I edidit. Sequitur Fragmentum libri *de origine Generis Humani*, ab incerto autore profecti, in quo id inprimis mireris, quod nomina Hebræorum propria ita interpretatur, ut vix per umbram videas, quomodo interpretatio cum Hebræo fonte comparari poſſit. In limine hujus tractationis videtur Autor p. 184 ad eorum ſententiam ſe convertere, qui Adamum ἀνδρόγυνον ſtatuerunt, id quod ex his ejus verbis intelligitur: *Cum factus eſſet homo in animam vivam, & eſſet ſolitarius, apparens in oculis Dei, quem tamen in abdito duos in unam carnem feciſſet, palam oſtendit, os de oſſibus ejus ſumens ex eadem, unamque carnem mulierem illi faciens, apparuerunt duo in unam carnem.* Comparentur, quæ Cl. Editor diſſerit §. 50. Interim ipſum hoc fragmentum non exiguum illis uſum præſtabit, qui in originem gentium inquirere allaborant. In calce apparet Q. Julii Hilariani *Expoſitum de ratione Paſcha & Menſis*, cujus *de mundi duratione* liber in Bibliothecis Patrum legitur, qui in limine hunc, qui nunc demum prodit, libellum commemorat. Hinc etiam intelligitur, errare eos, qui *Hilarianum* noſtrum

Hila-

Hilarionis nomine appellant, cum Codex Taurinenſis diſerte priorem nominis formam repræſentet. Hilarianum hunc ſæculo V vixiſſe Bignæus opinatus eſt, quem tamen ſæculo VI exeunte floruiſſe ſubſcriptio docet, quæ in calce Expoſiti hujus p. 245 exſtat, qua ſe opus hoc 3 Nonarum Martiarum poſt Conſulatum Arcadii IV & Honorii III conſummaſſe profitetur. Hinc robur accedit ad G. J. Voſſii ſententiam, quam lib. 2 c. 22 de Hiſtoricis Latinis pronuntiat p. 199. Ipſius libri argumentum ex inſcriptione ſatis perſpicitur: delineat enim Cyclum Paſchalem, Paſchatisque diem ſecundum veterem calculum definit. Hæc fere ſunt, quæ de his Opuſculis & Cl. Editoris diſſertat. præliminari dicenda videbantur, ubi tamen non eſt omittendum, quod in calce diſſertationis §. 46 de Anecdotis Biblioth. Taurinenſis generatim affertur, ingentem ſcilicet in ea exſtare Officiorum, Menæorum, πατερικῶν, Paradiſorum, Limonariorum &c. copiam, Acta itidem Sanctorum antiquisſimæ memoriæ, Patrum ſcripta complura, profanorum vero Scriptorum pauciora, inter quæ nominatim laudantur Sexti Empirici Pyrrhonic. hypotheſes & X libb. adv. Mathemat. Optandum omnino erat, ut Cl. Editor Indicem Codd. Græcorum hujus Bibliothecæ, quem in promtu ſibi eſſe teſtatur, una cum Indice Codd. Hebr. in lucem prodire pateretur.

CLAVIS DOMUS HEBER, RESERANS JAnuam ad ſignificationem Hieroglyphicam Literaturæ Hebr. perſpiciendam. Studio & labore CASPARIS NEUMANNI.

Vratislaviæ, apud Eſaiæ Fellgiebelii Viduam, 1712, 4.
Alph. 1 plag. 8.

NOtiſſimi ſunt & jam pridem celebrati Vener. Autoris labores, quos annis abhinc ſex & triginta, quod in præfatione, præſenti libro præmiſſa, ipſe teſtatur, in Hebraiſmo ex interioribus ſuis rationibus & ſignificatione literarum ipſarum Hieroglyphica accuratius deducendo & illuſtrando via non trita collocavit. Cujus quidem rei initium fecit, recogitans incertas difficultates Textus Hebraici in Philologorum ſcri-

Digitized by Google

ptis nusquam non appoſitas, quibus alia ratione medelam afferri non poſſe putavit, confirmatumque ſe ſenſit auctoritate Moſis Maimonidis, quem literis Hebræorum ſignificationes occultas, cum rebus ſignificatis convenientes, tribuiſſe autor eſt Buxtorfius in diſſertatt. Philolog. Theolog. diſſ. I §. 34. Sic & R. Schabtai, cui Bibliothecam Rabbinicam, quam *Labia dormientium* inſcripſit, debemus, Vener. Autori ſignificavit, ſe ſimile quid in R. Salom. Jarchii operibus legiſſe. Animum præterea addidit Celeb. Autori radicum cognatarum comparatio a *Jo. Forſtero* & *Jo. Avenario* diligenter inſtituta, ex qua apparet, voces literis ſibi invicem ſimiles ſimili quoque notioni eſſe ſubjectas. Inſtitutum itaque hoc urgendum ratus, & eruditorum judicia exploraturus, cogitata ſua, quamvis nondum ordinata ſatis & digeſta, publicæ luci expoſuit primum in *Geneſi*, deinde in *Exodo Linguæ S.* quæ nunc accuratiore methodo partim repetit, partim emendat, partim amplificat & auget. Commentationem ipſam in duas diſtinxit partes, quarum prior obſervationes de literarum Hebraicarum valore ſive ſignificatione, nomine, figura & ſono tradit; poſterior per Definitiones, Poſtulata, Axiomata, Corollaria & Problemata veram Etymologiæ hujus Theoriam & Praxin ſiſtit. In priore parte ſingulæ literæ ſe invicem ordine conſequuntur, atque ita conſiderantur, ut ſingularum *ſignificatio*, *nomen*, *figura* & *ſonus* conſtare poſſint. Ita de prima litera א obſervat, eam ratione ſignificationis ſpectatam, ſive radicalis ſit ſive ſervilis, *activitatis* & *motus* nude in ſe ſpectati ſymbolum eſſe; ratione nominis אלף notare א *activitatem* ſive *motum* ל *adverſative* ף anfractum, h. e. motum oppoſitos formantem angulos; ratione figuræ *angulos* formare *oppoſitos* ſive imaginem motus regreſſivi, tribus incidentiæ & reflexionis lineis formatam; ratione denique ſoni conſtare ſolo vocis humanæ initio omnium primo, quando nempe præcordiorum noſtrorum halitus per guttur ita movetur, ut jamjam ſonorus eſſe atque audiri incipiat, abſque omni adhuc modificatione alia, in reliquis loquendi organis producenda, id quod utique nil niſi tenuiſſima quædam erit adſpiratio, in linguis Occidentalium vix conſonante aliqua effabi-

effabilis. Ex his ſimul intelligitur, Vener. Autorem valorem literarum interiorem partim ex *uſu Scripturæ* in diverſis radicibus accuratius conſideratis obſervato, partim ex ſingularum *Nominibus* ſignificativis, partim ex *figuris* denique comprobare. Quam in rem hinc inde radices Hebræorum ſecundum hæc principia examinat, conſtitutisque earum ſignificationibus non unum interpretatur Scripturæ locum. Pars poſterior, *Exegeſeos* nomine dicta, primo loco prolegomena exhibet, naturam Linguarum in genere per definitiones, axiomata & corollaria exponentia. His ſuccedit tractatio in certa capita diſtincta, quorum I Linguam Hebræorum in communi contemplatur & p. 132 axioma quoddam generale, totum Hebraismum exhauriens, ſuppeditat in hanc ſententiam: *In Lingua Hebræa, quantum fieri poteſt, loquendum pariter eſt & ſcribendum 1 naturaliter, h. e. naturæ rerum convenienter, 2 eleganter, 3 breviter, 4 diſtincte.* Ad hoc axioma in progreſſu operis ſæpius provocatur, tanquam tale, quod Hebraismi genium quaſi in nuce complectatur. In dandis rerum grammaticarum definitionibus data opera Vener. Autor adhibuit appellationes & loquendi rationes veteribus Grammaticis receptas, quippe quibus lumen non contemnendum ineſſe deprehendit. Cap. II de Literis Hebræorum in genere, III de earum Sono & Pronunciatione, IV de ſcriptione exponit, ubi inter cetera axiomata XIII ad literas Samaritanas ſpectat, quas ait literarum quadratarum habere cadavera, ſcribentium feſtinatione & negligentia primum depravata, ſucceſſu vero temporis legibus quaſi firmata. Cap. V appellationes literarum VI & ſignificationes perſequitur, de quibus p. 152 hoc exſtat axioma: *Quælibet litera Hebræa, præter ſoni indicium, quod legentibus exhibet, peculiarem etiam ſibique propriam quandam habet ſignificationem ænigmaticam, quam ubique locorum ſervat.* Has porro ſignificationes peti ait a rerum naturalium motu & materia. Quemadmodum enim τὸ א *motum*, ita τὸ ב *materiam* & *ſpatium* notat: utrumque deinde elementa, quæ ſuccedunt, ita variant & determinant, ut v. c. litera ג in ſenſu Verbali *motum* deſignet, qui *obliquat & flectit*; in ſenſu Nominali vero *materiæ* vel *ſpatii flexus* & *obliquatio-*

nes &c. Ex his Corollarii loco p. 154 conficitur, hominem Philoſophiæ Naturalis & Matheſeos plane rudem ad Linguæ Hebr. intellectum accuratiorem & plus quam vulgarem ægre devenire. Cap. VII circa ordinem literarum aliis non obſervata commemorat. Cap. VIII ſyntheſin literarum, vocumque geneſin explicat, & inter cetera p. 164 obſervat, radices Hebr. omnium primas & ſimpliciſſimas eſſe biliteras, quas ſequuntur *triliteræ*, *quadriliteræ* & denique *exſuperantes*, ut בחלחלי. Hæc literarum conjunctio variis fieri ſolet modis, vel geminando literas easdem, vel conjugando diverſas: vel utroque modo, quod tabella exprimitur p. 168. In hoc capite multa ſunt præclare dicta, quæ cum ſine obſcuritate breviter explicari non poſſint, rectius in opere ipſo leguntur. Cap. IX de ſignificatione vocum Hebraicarum ejusque interpretatione in Linguis aliis præcipit. Significatio hæc vel *formalis* eſt, vel *materialis*, quarum illa voci per ſe & vi originis ineſt, in uſu loquendi perpetuo ſervatur, & cum in cognatis tum in derivatis apparet; hæc vero voci per varios loquendi uſus ex re, ad quam denotandam adhibetur, comparatur, quæ propterea non ubique valet, nec in cognatis aut derivatis ſentitur. Formalis illa vocis ſignificatio oritur ex literis & earum ſignificatione, diverſorum punctorum acceſſu ſecundum omnes orationis partes varie modificanda. Ex quo etiam apparet, literarum repetitionem vel geminationem ſignificationis augmentum ſecum ferre, id quod monetur p. 183. Colophonem tractationi imponit Cap. X de Praxi Etymologica ejusque difficultate & uſu. Scilicet ut formalis cujusque vocis ſignificatio & ejus emphaſis inveniatur, neceſſe eſt, 1 cognitum habere, quid ſingulæ vocis literæ & per ſe & in combinatione illa ſua ſignificent: 2 varios vocis uſus in exemplis Biblicis ope Concordantiarum vel dictionarii Jo. Avenarii inveſtigare: 3 in exemplis omnibus illa imprimis loca excutere, in quibus de rebus materialibus, phyſicis & mechanicis adhibetur: in his enim *propria* latet vocis notio, in ceteris vero, ubi de rebus intellectualibus ſermo eſt, *impropria*: 4 in *verbo* ſ. *radice* obſervare rationem conſtruendi verbum cum nomine, quod regit: 5 radices etiam cognatas in auxilium vocare: 6 imo, ubi vox nimis obſcura

ſcura ſit, linguas cognatas, ſpeciatim Chaldaismum, conſulere. Horum conſiliorum uſum ipſe Vener. Autor exemplis quibusdam illuſtrat & confirmat, in extrema vero pagina monet, ex hac tractatione ea oriri commoda, ut 1 L. Hebr. incomparabilis dignitas, ſublimitas, ſimplicitas & certitudo vindicetur, 2 radices amiſſæ reſtituantur, 3 per Genealogiam illam Etymologicam memoriæ in tenendis radicibus earumque derivatis ingens accedat ſubſidium, 4 vocum cognatarum vera cognatio pateat, 5 monſtroſa L. S. ambiguitas & æquivocatio tollatur, 6 regularum Grammaticarum numerus minuatur, & 7 vera V. T. interpretatio juvetur.

DE MOTU CORPORUM GRAVIUM, PENdulorum, & Projectilium in mediis non reſiſtentibus & reſiſtentibus ſuppoſita Gravitate uniformi & non uniformi atque ad quodvis datum punctum tendente, et de variis aliis huc ſpectantibus, Demonſtrationes Geometricæ; Autore JOH. BERNOULLI.

§. I.

Qui hanc materiam dudum pertractavit Vir omni laude major Iſaacus Newtonus in Opere ſuo incomparabili *Phil. Natur. princip. Matth.* anſam præbuit aliquid de ea ex noſtris meditationibus communicandi: qua in re non male egiſſe videbor, ubi oſtendero, inclytum illum Virum quandoque a veritatis ſcopo aberraſſe, quod diſſimulandum vel omnino celandum non ego tantum, ſed quivis intemeratæ veritatis mathematicæ amans & vel ipſe Newtonus minime arbitrabitur; cum præſertim ea ſit magni hujus Geometræ autoritas, quæ in argumento hoc nodoſo & difficili apud quamplurimos aſſentiendi magis quam examinandi animum reperiret. Etſi interim quæcunque ad rem præſentem ſpectant, accuratius, ut mihi videtur, jam pridem evolverim, quorum analyſin meam alibi communicavi juris publici faciendam: hoc loco conſtitui ea duntaxat impertire, quæ ad ſyntheticam demonſtrandi rationem revocari poſſunt, viamque ſternunt ad ſolutionem propos. *X* Sect. II Libri ſecundi Phil. Nat. Princ. qua quæritur

corporis gravis datam curvam in medio reſiſtente deſcribentis in ſingulis locis velocitas, medii reſiſtentia & denſitas, nec tantum pro uniformi gravitate directe ad horizontem tendente, ſed pro quavis gravitatis continuo variantis & ad datum punctum tendentis lege, ſicuti ex ſequentibus patebit.

Theor. I.

§. 2. *Sint A & B duæ directæ gravitatis vires ſed ambæ uniformes; dico velocitates acquiſitas duorum corporum, quorum unum ſolicitatur ab A, alterum a B, per æqualia ſpatia a quiete delapſorum eſſe in ſubduplicata ratione illarum virium in medio ſcilicet non reſiſtente.*

TAB. I. Fig. I. *Demonſtr.* Deſcendat corpus unum perpendiculariter vi gravitatis naturali *A*, incipiens deſcenſum in *L*, ſecundum verticalem *LM*; corpus vero alterum inchoet deſcenſum in eodem puncto *L*, ſed ſuper plano inclinato *LN*: Quoniam itaque hoc corpus non plena vi gravitatis urgetur, ſed ea tantum ejus parte, quæ ſe habet ad totam ut *LM* ad *LN* ſuppoſito angulo *LMN* recto, ſicuti ex compoſitione & reſolutione virium liquet; tantundem eſt ac ſi corpus hoc alterum directe urgeretur ſecundum rectam *LN* vi quadam uniformi *B* minori quam *A*, ita nempe ut *A. B* :: *LN. LM.* Notum autem eſt dudum velocitates in *M* & *N* eſſe æquales, ut & velocitatem in *N* eſſe ad velocitatem in quovis alio puncto *O* in ſubduplicata ratione *LN* ad *LO*; ſumta itaque *LO* æquali *LM*, erit velocitas in *N* hoc eſt velocitas in *M* ad velocitatem in *O* in ſubduplicata ratione *LN* ad *LM*, hoc eſt ſubduplicata ratione *A* ad *B*. *Q. E. D.*

§. 3. *Aliter.* Ex demonſtratis Hugenianis in Opuſculis poſthumis theorem. de vi centrifuga, quæ brevitatis gratia hic demonſtrare nolo, conſtat, vim centrifugam alicujus corporis in circulo horizontali ea velocitate gyrantis, quam acquireret cadendo ex altitudine dimidii radii, æqualem eſſe vi gravitatis; ſed ex iisdem patet, vires centrifugas duorum mobilium æqualium in circulis æqualibus gyrantium eſſe in duplicata ratione velocitatum, quare ſi concipiamus velocitates illas eſſe acquiſitas cadendo utrobique ex altitudine dimidii radii per vires uniformes *A* & *B*, manifeſtum eſt etiam *A* & *B* eſſe in duplicata ratione velocitatum acquiſitarum, proinde ipſas velocitates in ratione dimidiata virium *A* & *B*. *Q. E. D.* - Theo-




Fig. 2.





Fig. 6.

Fig. 7.



Digitized by Google

Digitized by Google

Theor. II.

§. 4. *Poſitis ut prius duabus viribus uniformibus ſed inæqualibus A & B, ſint vero & ſpatia emenſa inæqualia, dico velocitates acquiſitas duorum iſtorum mobilium in medio non reſiſtente eſſe in ratione compoſita ex ſubduplicata virium & ſubduplicata ſpatiorum emenſorum.*

Demonſtr. Sit enim iterum $LO = LM$, capiaturque alia LP major vel minor quam LO; quia itaque per præced. velocitas in M eſt ad velocitatem in O :: $VA. VB$, & velocitas in O ad velocitatem in P :: $VLO. VLP$; ergo ex æquo & per rationum compoſitionem, velocitas in M ad velocitatem in P :: $VA \times VLM$ :: $VB \times VLP$. Idem etiam ex conſideratione virium centrifugarum colligitur.

Theor. III.

§. 5. *Sint iterum vires uniformes A & B, dico ſpatia eodem tempore emenſa eſſe ut vires.*

Demonſtr. Ducta MQ normali ad LM; patet ex Galilæanis, ſpatia LM & LQ eſſe iſochrona, eſt vero $LM. LQ$ :: $LN. LM$ :: (per præced.) $A. B.$ *Q. E. D.*

Corollar. I.

§. 6. Hinc demonſtrari poteſt pendula quorum longitudines ſunt ut vires gravitatis a quibus agitantur, eſſe iſochrona.

Demonſtr. Sint enim LPC & lpc quadrantes circulorum vel alii quilibet arcus ſimiles quos pendula oſcillando deſcribunt; & intelligantur arculi minimi ſimiles ſimiliterque poſiti PQ & pq. Ductis jam horizontalibus LE, PF, QG, ut et le, pf, qg, erunt velocitates in & P & p tantæ quantæ forent in F & f cadendo ex altitudinibus EF & ef. Eſt vero ob ſimilitudinem arcuum (nominatis radiis R & r) $EF. ef$ :: $FG. fg$ :: $PQ. pq$ :: $R. r$ :: $A. B$; Ergo per convers. Theor. III altitudines EF & ef ut & Eg & eg ſunt iſochronæ, proinde tempuſculum per FG = tempuſculo per fg; & quia velocitates in F & f ſunt æquales velocitatibus in P & p, erit tempuſculum per PQ æquale tempuſculo per pq; idemq; cum valeat de omnibus arculis ſimilibus ſimiliterque poſitis ex quibus conflantur arcus toti ſimiles LPC & lpc, erunt etiam tempora per LPC & lpc inter ſe æqualia, hoc eſt arcus iſti ſunt iſochroni, quos pendula oſcillando deſcribunt, TAB. I. Fig. 2.

quo-

quorum longitudines ſe habent ut vires gravitatis a quibus agitantur. *Q. E. D.*

Coroll. II.

§. 7. Patet etiam pendula æqualia abſolvere oſcillationes ſuas temporibus, quæ ſe habent reciproce in ſubduplicata ratione virium gravitatis a quibus pendula agitantur.

Demonſtr. Intelligatur enim pendulum aliquod tertium brevius a vi minori *B* agitatum & iſochronum longiori a vi majori *A* agitato; ſunt autem ut dudum conſtat tempora oſcillationum duorum illorum pendulorum ab eadem vi *B* agitatorum in ſubduplicata ratione reciproca longitudinum; hoc eſt per coroll. præced. in ſubduplicata ratione reciproca virium.

Coroll. III.

§. 8. Hinc multitudines vibrationum eodem tempore peractarum a duobus pendulis æqualibus ſe habent in dimidiata ratione directa virium pendula agitantium.

Scholium.

§. 9. Quanquam hæc pleraque apud Newtonum & Hugenium vel jam demonſtrata reperiantur, vel non difficulter ex iis deducantur; cum tamen illorum demonſtrationes nonnihil perplexiores videantur, noſtræ vero vulgaribus tantum principiis innixæ etiam ab illis intelligi poſſint, qui profundiora Geometriæ non penetrarunt; eas hic communicare volui, hac præſertim de cauſa ne aliunde petere opus haberem ad ſtabiliendas demonſtrationes propoſitionum majoris momenti quas infra dabo.

§. 10. Interim annotare hic convenit modum æſtimandi & inter ſe comparandi vires gravitatis in diverſis terræ locis diverſarum latitudinum, per comparationem nempe longitudinis pendulorum iſochronorum; quorum obſervationes multis in locis accurate inſtituendæ monſtrarent, quousque experientia conſpiret cum ratiocinio & regula a Newtono tradita in Lib. III prop. 20. Sed Gallorum obſervationibus (quas craſſas vocat) videtur ipſe parum fidere, nec immerito, non tam quod ab ipſius computo abludant, quam quod ſibi mutuo contra-

Digitized by Google

contradicere videantur, dum in terræ regionibus ab æquatore remotioribus minorem aſſignant pendulo ſingulis ſecundis oſcillanti longitudinem quam in propinquioribus, atque ita quoque in illis corpora minus gravitarent quam in hiſce, quod ſane eſt contra omnem probabilitatem: cum enim corpora a circumgyratione terræ acquirant niſum recedendi a centro adeoque vi gravitatis quadantenus contrarium; qui eo major eſt quo loci parallelus eſt major; minus utique foret reſiduum gravitatis in locis ſub vel prope æquatorem quam in aliis ab eodem remotioribus, per conſequens in his pendula iſochrona requirerent majorem longitudinem quam in illis.

§. 11. Quando tamen Galli contrarium ſe obſervaſſe aſſeverant, pendulum ſcilicet *Pariſienſe* (cujus longitudo 3 ped. $8\frac{3}{5}$ lin.) ſuperare una tantum linea cum quadrante pendulum iſochronum in Inſula *Cayenna* quæ ab æquatore non omnino 5 grad. diſtat; ſed & ab eodem *Pariſienſi* deficere duabus lineis pendulum quod ipſi iſochronum eſt in Inſula *Gorée* haud procul a promontorio viridi, quam eandem differentiam a ſe etiam obſervatam aſſerunt in *Guadaloupe*, non obſtante quod ambæ hæ Inſulæ *Guadaloupe* & *Gorée* utpote 14 vel 15 graduum latitudinem habentes ab æquatore magis diſtent quam *Cayenna*. Hæc ita conſignata reperio in Collectaneis Aſtronomicis & Phyſicis (*Recueil d'obſervations Aſtronomiques & Phyſiques*) editis Pariſiis in fol. anno 1693, quæ miror unde habeat Newtonus quod dicit pag. 426: *Gallos factis experimentis inveniſſe, quod pendulorum minutis ſecundis ſingulis oſcillantium longitudo Pariſiis major ſit quam in Inſula Gorée parte decima digiti & major quam Cayennæ parte octava*; cum potius penduli *Cayennenſis* longitudinem parte decima, *Goréenſis* vero parte ſexta a longitudine *Pariſienſis* deficere Obſervatores Galli dixerint.

§. 12. Quæ itaque cum conciliari non poſſint cum Theoria de imminutione gravitatis prope æquatorem, malumus ſuſpicari obſervationes non fuiſſe accuratas, quam inæqualitatem illam pendulorum iſochronorum tantum apparentem non realem pronunciare cum La Hirio, qui ejus rei cauſam rejicit in elongationem metalli menſuram pedis ſibi inſculptam

Digitized by Google

gerentis, quod in regiones calidas translatum aliquam rarefacti-onem paſſum fuerit, unde pendulum collatum cum menſura nonnihil extenſa neceſſario brevius apparuit. Nollem quidem negare quod huic rarefactioni metalli aliquid aſcribi poſſet, eſt tamen extra controverſiam abbreviationem pendulorum prope æquatorem magna ex parte deberi imminutæ gravitati corporum; quocirca e re eſſet, ut quantum huic ſoli debeatur ſtudioſe inquireretur, quod meo judicio non adeo eſſet difficile.

§. 13. Calefacto ſcilicet aere in aliquo loco clauſo, in quo experimentum inſtitueretur ad certum usque caloris gradum ope thermometri annotandum; translata poſtea eadem regula ad quam in noſtris regionibus penduli longitudo fuit menſurata in regionem æquatori vicinam in cujus loco aliquo itidem clauſo aer ope ejusdem thermometri ad eundem caloris gradum attemperatus, conciliabit utique metallo, quo menſuretur pendulum, eundem rarefactionis gradum, quem obtinuit hic loci, ſi qua differentia deinde ſe proderet in pendulorum utriusque loci longitudine, eam certe imminutæ gravitatis actioni tunc unice aſcribendam eſſe, nemo qui hæc intelligit, dubitabit: quod enim Hirius ſomniat metalli extenſionem quoque fieri poſſe per vapores & habitus metalla penetrantes, quibus aër in Zona torrida inprimis ſcateat, nulla hoc attentione dignum judico.

§. 14. Illuſtrantur quæ hactenus diximus de effectu imminutæ gravitatis per experimenta primo globorum ſuper planis declivibus poſitorum. Cum enim ex demonſtr. *Theor. I & III* vis gravitatis abſoluta ſe habeat ad vim quo mobile deſcenſum molitur ſecundum declivitatem plani, ut ſinus totus ad ſinum inclinationis ejus. Sumantur duo pendula quorum longius ad brevius ſit ut *LM* ad *LQ* (vid. Fig. 1) oſcilletur longius in plano verticali, brevius vero ſuper plano declivi, cujus inclinationis angulus ſit *LNM*; erunt per *coroll. I Theor. III* oſcillationes utriusque penduli iſochronæ, quas ita eſſe etiam experientia docuit: oportet autem planum declive eſſe politiſſimum,

ſicut

ſicut & Globum, ne mutua attritio a quantulacunque ſcabritie oriunda officiat deſcenſui, eumve ullo modo remoretur.

§. 15. Deinde non minus curioſa ſunt minusve probant ratiocinia noſtra, quæ fiunt experimenta circa pendulorum oſcillationes fluidis perfectioribus, in quibus nempe abeſt ſenſibilis partium tenacitas, ita ut oſcillationes minimæ nullam offendant reſiſtentiam. In his fluidis conſtitutorum corporum gravitas (notante id apprime acutiſſimo *Newtono* pag. 294) duplex conſiderari poteſt, altera vera & abſoluta, nempe vis tota qua corpus deorſum tendit; altera apparens, relativa & vulgaris, conſiſtens in exceſſu, quo corpus magis tendit deorſum quam fluidum ambiens.

§. 16. Sumantur itaque duo pendula æqualia, quorum alterum in aere alterum in fluido aliquo nullius tenacitatis oſcilletur, quod fluidum tamen & ipſum habeat gravitatem adeoque eam quæ in pendulo eſt imminuat. Quod ſi jam animus ſit prædicere in qua ratione ſe habituri ſint numeri oſcillationum in aere & fluido eodem tempore peragendarum: ſit pendulum ex. gr. plumbeum oſcillans in aqua, cujus gravitas ſpecifica ſe habet ad gravitatem ſpecificam plumbi ut 7 ad 80 quam proxime, ita ut plumbum in aqua amittat $\frac{7}{80}$, retineatque $\frac{73}{80}$ ſui ponderis. Eſt ergo vis gravitatis abſolutæ qua agitatur pendulum in aere (quem hic nullius gravitatis ſenſibilis ſupponimus) ad vim gravitatis relativæ qua ſola pendulum agitatur in aqua ut 80 ad 73; unde per *Coroll. III Theor. III* numerus oſcillationum in aere ad numerum oſcillationum in aqua eodem tempore peragendarum ut $\sqrt{80}$ ad $\sqrt{73}$, ſeu ut 120 ad $114\frac{2}{3}$ quamproxime; hoc eſt pendulum aliquod ſemiſecunda notans dum in aere uno horæ minuto vibrationes 120 abſolvit, alterum pendulum plumbeum æqualis longitudinis in aqua perficiet tantum vibrationes $114\frac{2}{3}$. Quod accurate ſatis reſpondet experimentis inſtitutis ab ipſo La Hirio, quamquam præter ejus expectationem hunc ſucceſſum habentibus. *Vid. Comment. Acad. Scient. pro anno 1703 pag. 289. Edit. Pariſ.* Ubi dicit ſe primo ſumſiſſe globulum plumbeum 2 unciarum, ex quo pendulum confecerit ſemiſecunda notans in aere; hoc poſtea in aqua agitatum

uno minuto horario peregiſſe 112 oſcillationes; tum vero aſſumto globulo plumbeo 5 unciarum pro ſimili pendulo, ſe numeraſſe 114 oſcillationes uno minuto peractas, quæ differentia duarum oſcillationum haud dubie ex eo venit, quod globulus major cum minorem habeat ſuperficiem pro ratione molis patiatur minorem reſiſtentiam a tenacitate aquæ oriundam, quam globulus minor qui pro ratione molis majorem habet ſuperficiem.

§. 17. Quæ reſiſtentia utut perexigua ſit ſi excurſiones vibrationum non longæ ſint, nam breviſſimæ eodem modo & tempore peragerentur ac ſi aqua plane non reſiſteret, quod oſtendit etiam *Newtonus* pag. 308 Coroll. 2, poteſt tamen illa magis adhuc inſenſibilis reddi, ſi nimirum loco globuli ſumatur corpus lentiforme terminatum acie tenui ad aerem ſulcandum dum in latus oſcillatur, quo pacto nihil vel parum ſuperficiei occurrit fluido, a quo proin ſi præterea arcus vibrationum ſint parvi, tam imperceptibilis reſiſtentia corpori oſcillanti objicitur, ut jure merito negligi poſſit: hujusmodi lenticulam ſi in experimento ſuo La Hirius adhibuiſſet, non tantum 112 vel 114 ſed $114\frac{2}{3}$ aut 115 omnino oſcillationes uno minuto numeraturus fuiſſet. Quod autem eadem pag. 289 ſe attonitum ſtetiſſe fateatur, cum videret pendulum illud quod credebat vibrationes ſuas peracturum eſſe in aqua minimum ſingulis tantum ſecundis, illas tamen contra ſuam expectationem fere æque promtas vel ejusdem durationis deprehendiſſe ac in aere; oſtendit profecto animum admirationis plenum qui minus decet Geometram conſummatum quam hominem in hiſce profundioribus hoſpitem; nihil enim hic contigiſſe video, quod non ante experimentum prædicere potuiſſem: ne vero hoc gratis dictum ſit, examinet regulam ſequentem, ejusque periculum faciat in variis corporibus.

§. 16. Sit ratio gravitatis ſpecificæ corporis alicujus & aquæ ut c ad a; adeoque ejusdem corporis gravitas abſoluta vel extra aquam ad gravitatem relativam vel intra aquam ut c ad $c-a$. *Dico numeros oſcillationum extra & intra aquam æquali tempore peractarum fore ut* $\sqrt{c}$ *ad* $\sqrt{c-a}$. Ope hujus regulæ inveni ex

data

data ratione gravitatis aquæ & variorum corporum, numerum oſcillationum quas illorum ſingulorum pendula in aqua conficiunt uno horæ minuto dum in aere (tanquam non gravi conſiderato) abſolvunt 120 vibrationes. Quod calculus ſuggeſſit in adjectam Tabellam redegi, ex qua videre eſt numerum oſcil-

Gravitates	Corporum	In aere	In aqua	Oſcillationibus 120 in aëre reſpondent	Oſcillationes in aquæ
	Auri	400	379		117
	Plumbi	240	219		$114\frac{2}{3}$
	Argenti	218	197		$114\frac{1}{6}$
	Cupri	200	179		$113\frac{5}{7}$
	Ferri	168	147		112
	Stanni	156	135		$111\frac{2}{3}$
	Marmoris	84	63		$104\frac{2}{3}$
	Aquæ	21	0		0

lationum haud multum differre, etſi corpora ipſa notabiliter diſcrepent ratione gravitatis, modo aquæ gravitatem etiam ſenſibiliter excedant. Ex.gr. Aurum licet quinquies fere ſuperet marmor in aere & omnino ſexies in aqua, vix tamen decima parte plures in aqua oſcillationes conficit aurum quam marmor.

§. 19. Quod ſi eadem corpora oſcillentur in liquore adhuc leviori quam aqua, ex. gr. in oleo petræ quod ſe habet ad aquam in gravitate ut $16\frac{2}{5}$ ad 21, diſcrepantia illa oſcillationum erit adhuc minor, aurum namque perficiet in hoc liquore oſcillationes $117\frac{3}{5}$, quando marmor æquali tempore abſolvit oſcill. $107\frac{3}{5}$; ita ut jam duodecima circiter parte tantum plures ab auro quam a marmore peragantur vibrationes: unde conjectu facile eſt, in fluidis levioribus tandem evaneſcere omnem retardationem ſenſibilem; ſit quippe pro fluido aer ipſe ut gravis conſideratus, qui nempe in gravitate ſe habet ad aquam ut 1 ad 800, adeoque ad aurum ut 1 ad 15238, & ad marmor ut 1 ad 3200; eſt ergo ſecundum regulam numerus oſcillationum auri in vacuo, ad numerum oſcillationum ejuſdem in aere (ſubintellige ab æqualibus pendulis & eodem tempore peractarum)

Digitized by Google

ut $\sqrt{15238}$ ad $\sqrt{15237}$, hoc eſt quam proxime ut 30476 ad 30475: marmoris vero oſcillationes in vacuo (hoc eſt in fluido non gravi) erunt ad oſcillationes in aere ut $\sqrt{3200}$ ad $\sqrt{3199}$, vel quam proxime ut 6372 ad 6371; ita ut aurum ultra triginta millia, marmor vero plusquam ſex millia vibrationum in aere abſolvere poſſint, priusquam una tantum retardentur.

§. 20. Ex quibus liquet reſiſtentiam aeris a gravitate ejus oriundam hic tuto negligi, adeoque pendula in aere tanquam in vacuo agitata conſiderari poſſe; modo interim præcaveatur altera ejus reſiſtentia a denſitate & tenacitate ejus proveniens, quæ majoris momenti eſt, quæque dependet partim a velocitate partim a ſuperficie coporis ad aerem appellente, quare hæc reſiſtentia ut ſupra jam monui valde imminuitur & pene inſenſibilis redditur ſi pendulum habeat figuram lentiformem & in latus oſcillando deſcribat arcus breviſſimos, ita enim exigua velocitate ſed magna facilitate penetrat aerem.

§. 21. Ceterum regula valet etiam de corporibus quæ in fluidis levitant, hoc eſt quæ demerſa ſurſum tendunt ob prævalentem ſpecificam gravitatem fluidi; eſt enim levitas nihil aliud quam gravitas inverſa, taleque corpus exhibebit pendulum inverſum, capite fili ad fundum vaſis alligato dum lenticula ipſa oſcillando deſcribit arcus verticales ſupra centrum; quia vero exceſſus gravitatis ſpecificæ jam eſt penes aquam, faciendum eſt *ut* $\sqrt{c}$ *ad* $\sqrt{a-c}$, *ita vibrationum numerus extra aquam ad numerum earum intra eandem:* unde hoc emergit paradoxum, quod quo ex leviori materia ſunt pendula eo promtiores ſunt in fluido oſcillationes inverſæ, adeo ut etiam quemcunque promtitudinis gradum aſſequantur modo a ad c magnam ſatis habeat rationem, abſtrahimus hic ſemper a reſiſtentia tenacitatis fluidi. Si ex. gr. pro pendulo aſſumatur corpus ex materia duplo ſpecifice leviore quam aqua, hoc eſt ſi a ſit $= 2c$; faciet hoc pendulum oſcillationes utrobique & extra & intra aquam æquales numero: quod ſi vero illud fiat ex materia quintuplo leviori quam aqua, oſcillabitur duplo promtius in aqua quam in aere; in illa nempe binas abſolvit oſcillationes, dum ſingulas perficit in hoc: & ita de aliis.

§. 22. Ex

§. 21. Ex hiſce ſpeculationibus ut fructum aliquem percipiamus non abs re alienum erit, ſi communicetur ſequens

Modus explorandi ſolidorum & liquidorum gravitates ſpecificas ope pendulorum.

Hic ſcilicet peragitur citra adminiculum conſueti illius inſtrumenti hydroſtatmici alteriusve cujusdam machinæ; mediantibus ſcilicet duobus pendulis, quorum alterum oſcillaturum intra liquorem ſit ex materia non multo graviori quam ipſe liquor ponderandus; ſic enim differentia pendulorum duorum in aere & liquore oſcillationes iſochronas facientium ſenſibilior erit, quam ſi materia illa valde ponderoſa eſſet: In hunc finem ſupponamus lenticulam penduli in liquore agitandi (alterum enim ex quacunque ſit materia, modo non nimis levi ne aeris reſiſtentia officiat, nihil refert) eſſe ex ſtanno paratam; quo facto rationem gravitatis inveſtigaturus trium horum liquorum ex. gr. aquæ communis, olei petræ & olei tartari per deliquium, & ſingula tam inter ſe quam cum ſtanno comparaturus, pendulum ſuspenſum in aere longitudinis pro arbitrio aſſumtæ agitabo, & dein ſtatim alterum cujus lenticula ad modicam tantum profunditatem liquoris demerſa oſcillationes perbreves deſcribere debet, elongabo vel contraham, donec iſochronum evadat priori in aere oſcillanti: collata poſtea longitudine penduli in ſingulis tribus liquoribus ſucceſſive agitandi, ope ſcalæ alicujus accuratiſſimæ cum longitudine penduli in aere iſochroni, obſervabo rationem earum ut ſequitur.

Longitudines	Aere	conſtant	1000
pendulorum	Aqua	particulis	865
iſochronorum	Oleo pet.	in ſcala	895
in	Olea tart.	ſumtis	833

Cum igitur per *Coroll. I Theor. III* in eadem quoque ratione ſe habeant gravitates ſtanni relativæ in aere, aqua, oleo petræ, & oleo tartari, deſignabunt tres differentiæ inter 1000 & tres reliquos numeros, cum 1000 comparatæ quantum ponderis ſtannum amittat in unoquoque liquore demerſum adeoque

que & ipſam proportionem gravitatis ſpecificæ ſtanni horumque trium liquorum, nimirum

Gravitas ſpecifica	Stanni	ſe habet ut	1000 — 0	=	1000	vel proxime ut	96.
	Aquæ		1000 — 865		135		13.
	Olei petræ		1000 — 895		105		10.
	Olei tart.		1000 — 833		167		16.

Simili modo procedendum eſt in aliis: rem ipſam vero perficiendam & ad commodam praxin deducendam aliis relinquo quibus vacat & volupe eſt.

§. 23. Occaſio iſta opportune invitaret, ad materiam hanc de oſcillationibus provehendam, atque alium non ignobilem uſum indicandum, in quem incidi: delecto nempe fundamento genuino & unico, ex quo naturaliſſime fluit determinatio centri oſcillationis in pendulis compoſitis, citra precarias illas hypotheſes ab aliis aſſumtas necdum ſatis ſtabilitas: Quæ methodus præterea etiam in hoc aliis antecellit, quod pari facilitate doceat invenire centrum oſcillationis ſi penduli compoſiti partes ex varia materia & in liquore homogeneo, vel quod eodem venit, ſi partes penduli ex materia homogenea ſed in diverſis liquoribus oſcillentur; nec refert, ſi utriusque partes & penduli & liquoris ſint heterogeneæ, ad alterutrum enim caſuum duorum priorum reduci poteſt: de qua pendulorum ſpecie, eorumque centro oſcillationis definiendo nemo hactenus cogitavit; noſtram regulam cum ipſo fundamento ex quo eruta eſt differimus in tempus commodius, quo plus otii nobis fuerit: hoc interim monuiſſe convenit, conſiderationem vectis (per quam Frater meus b. m. aliquando rem eandem tentavit etſi non prorſus infeliciter) huic rei ſolam non ſufficere, ſed quod palmarium eſt, recurrendum eſſe ad effectum corporum diverſa gravitatis ſpecie deorſum tendentium, atque ad eorundem in ſe mutuo agentium efficaciam.

§. 24. Hactenus ad fluidorum in quibus corpora moventur reſiſtentiam non attendimus; per reſiſtentiam hic intelligimus vim quamcunque quæ motui corporis contraria eſt, & propter quam corpus motum ſuum, niſi aliunde continuo inſtauretur, paulatim amittit & tandem aliquando ad quietem redi-

gitur:

Digitized by Google

gitur: Unde vero dependeat reſiſtentia illa in fluidis, quamvis cauſam phyſicam agnoſcat, hujus loci non eſt anxie inquirere, ſive enim veniat a quadam partium tenacitate in fluido ob quam particulæ fluidi non ſtatim ad appulſum corporis a ſe mutuo ſeparantur, ſive a quadam attritione ex ſcabritie quæ non tantum in ſuperficie corporis ſed & in particulis minimis fluidum componentibus adeſſe poteſt, ſive demum oriatur illa ex ipſa fluiditatis imperfectione, qua nimirum fit ut cum fluidum actu non ſit diviſum in infinitum hoc eſt in particulas data quavis minores, ſed conflatum ſit ex moleculis ſolidis determinatæ magnitudinis, fit inquam ut in tali fluido corpus motum ſingulis momentis certam fluidi quantitatem ante ſe propellere & amoliri debeat, quod citra ſui motus imminutionem continuam peragere non poteſt, etſi alias nulla eſſet tenacitas, nullaque ſcabrities in partibus fluidi: quæcunque ergo vera ſit cauſa reſiſtentiæ fluidorum ſive una ſola ex tribus dictis, ſive quod veroſimilius omnes ſimul concurrant, ſive alia quædam locum obtineat, eam nunc ſupponimus non explicamus; neque etiam quam rationem habeat (quæ utique eſſet compoſita ex duplicata velocitatis & ſimplici medii vel fluidi denſitatis, ſi tertia a nobis indicata reſiſtentiæ cauſa admitteretur) pro certo definire volumus. Legantur quæ de ea conſcripſit Illuſtr. Leibnitius in Actis Lipſ. A. 1689 p. 39 & ſeqq. ubi de mediorum reſiſtentiis acutiſſime pro more ſuo diſſeruit: ego vero propoſitum meum mathematice proſecuturus reſiſtentiam ejusque rationem in abſtracto conſiderabo.

Theor. IV.

§. 25. *Eſto curva quæcunque LCK quam corpus vi gravitatis uniformis libere deſcribit in medio quocunque reſiſtente: Vis quam exerit gravitas ſecundum normalem ad curvam (quam ideo vocabo* vim gravitatis normalem*) erit ut ſinus anguli GCS quem recta curvam contingens CS conſtituit cum directione gravitatis CG: Vis autem quam exerit ſecundum tangentem (quam ideo vocabo* vim gravitatis tangentialem*) eſt ut ſinus ejusdem anguli complementi GCO.* TAB. I. Fig. 3.

Demonſtr. Sit CZ directio & quantitas gravitatis qua cor-

 pus

pus urgetur dum eſt in *C*: Ex puncto *Z* agatur perpendicularis *ZX* in rectam *CO* normalem ad curvam. Ex reſolutione virium patet vim gravitatis *CZ* quam ubique datam ſeu conſtantem ſuppono, reſolvi in duas collaterales *CX* & *XZ*, quarum illa exprimit ejus vim *normalem*, hæc vero ejus *tangentialem*: ſumta itaque *CZ* pro ſinu toto, erit *CX* ſinus anguli *CZX* ſeu *ZCS*; & *ZX* erit ſinus anguli *ZCX*, qui ejusdem eſt complementum: ſunt ergo vires illæ in ratione horum ſinuum. *Q.E.D.*

Coroll. Si Gravitas non ſit data ſeu non uniformis, erunt vires gravitatis *normales*, ut & *tangentiales* in ratione compoſita illorum ſinuum & quantitatis abſolutæ quam gravitas in ſingulis curvæ punctis obtinet, hoc eſt ſi *CZ* exprimat vim abſolutam gravitatis dum corpus exiſtit in *C*, exprimetur vis *normalis* per *CZ* x ſin. anguli *SCZ*, & *tangentialis* per *CZ* x ſin. ang. *ZCX*.

Theor. V.

§. 26 *Poſitis quæ prius, velocitas in quovis puncto C erit in ratione dimidiata coradii circuli oſculantis, voco autem coradium partem CG lineæ directionis gravitatis quæ a perpendiculari ex centro O circuli oſculantis in eam educta reſecatur.*

Demonſtr. Liquet utique projectile ea velocitate moveri debere, per quam acquirat vim centrifugam æqualem vi contrariæ *normali* gravitatis; Corpus enim quod libere aliquam curvam deſcribit in medio quolibet, non alia de cauſa curvam non deſerit, quam quod in ſingulis curvæ punctis tanta vi trahitur verſus centrum circuli oſculantis, quanta vi centrifuga ab eodem retrahitur, ut hoc pacto ſervetur æquilibrium; Vis autem qua mobile trahitur verſus centrum eſt ipſa vis gravitatis *normalis* quæ nempe exeritur a gravitate ſecundum normalem ad curvam, & quæ oſtenſa eſt proportionalis ſinui inclinationis curvæ ad directionem gravitatis, hoc eſt anguli *GCS*, ſeu ipſi æqualis *COG*: In hac ratione ergo ſe habebit etiam vis centrifuga a velocitate partim, partim a curvedine oriunda; Eſt autem ut conſtat ex Hugenianis vis centrifuga in ratione compoſita ex duplicata velocitatis directe & ex ſimplici ſemidiametri inverſe; concipienda quippe eſt particula minima curvæ *Cc*, tanquam arculus circuli

cujus

cujus centrum *O*, & radius *OC*, & in cujus circumferentia mobile circularetur celeritate uniformi & æquali ei quam in curvæ puncto *C* acquirit: Erit itaque $\frac{CG}{CO}$ id eſt ſinus anguli *COG*, cui proportionalis eſt vis *normalis* gravitatis, ut $\frac{\textit{Quadrat. Veloc.}}{CO}$ cui proportionalis eſt vis centrifuga in puncto *C*: unde quadratum velocitatis ut *CG*, & ipſa velocitas ut $\sqrt{CG}$, hoc eſt in dimidiata ratione coradii. *Q. E. D.*

Coroll. I.

§. 27. Si vis gravitatis non ſit uniformis, ſimili argumento probabitur: velocitatem *V* fore in ratione compoſita ex dimidiata coradii & dimidiata gravitatis, ſeu ut $\sqrt{CG} \times \sqrt{CZ}$, hoc eſt ut medium proportionale inter *CG* & *CZ*.

Coroll. II.

§. 28. Sit curva *LCK* arcus circuli cujus centrum *O*, tendatque vis gravitatis uniformis ad horizontem *OK*, qui caſus eſt ex Newtono pag. 263, erit *O* pro quovis puncto *C* in eodem ſemper horizonte *OK*, unde velocitates quæ ſunt ut $\sqrt{CG}$, ſe habebunt in ſubduplicata ratione diſtantiarum ab horizonte per centrum circuli tranſeunte, prorſus quidem ut aſſerit Celeb. Newtonus pag. 265, tametſi in difinienda reſiſtentia a vero aberret, quemadmodum ex demonſtratione ſequentis propoſitionis patebit. TAB. I. Fig. 4.

Theor. VI.

§. 29. *Ut corpus in medio reſiſtente agitatum deſcribat circulum LCK, ſuppoſita vi uniformi gravitatis quæ directe ad horizontem tendat, dico reſiſtentiam fore in ſingulis punctis C ad gravitatem ut 3OG ad 2OK.*

Demonſtr. Super axe *OL* & vertice *O*, deſcripta intelligatur parabola *ONE* cujuscunque parametri; fiatque ſuper eodem axe prolongato *OP*, eodemque vertice *O*, parabola alia *OVQ*, cujus parameter prioris ſit dupla: Dein ad punctum *L* & quodlibet aliud punctum *R*, applicentur ordinatæ *LE*, *RC*, *RN* horizontales, iſtisque proximæ *rc*, *rn*; atque ex punctis *E*, *N*, *n*, agantur verticales *EQ*, *NV*, *nu*, ſecantes parabolam *OVQ* in pun-

 ctis

ctis Q, V, u; ex quibus applicentur ad axem OP, horizontales QP, VT, ut. Ex Coroll. II. Theor. præced. manifeſtum eſt, ſi LE deſignet velocitatem quam corpus habet in ſupremo circuli puncto L, quod RN deſignabit velocitatem corporis cum fuerit in puncto C. Sed quia parameter parabolæ OQ eſt dupla parametri parabolæ OE, liquet OL eſſe $= 2\,OP$, & quamlibet aliam $OR = 2\,OT$, unde quoque $Rr = 2\,Tt$. Et quoniam velocitas LE ea eſt quæ requiritur, ut vis centrifuga corporis in L æqualis ſit ejus gravitati, erit illa velocitas (ut Hugenius monſtravit) tanta quanta acquireretur ſi grave in vacuo hoc eſt in medio non reſiſtente deſcenderet per altitudinem æqualem radio dimidio circuli: Adeoque PO erit altitudo per quam grave cum celeritate initiali EL vel QP in vacuo aſcendere poteſt, & ſic quælibet alia applicata. VT exprimit velocitatem qua cum grave ſurſum projectum in vacuo emetietur altitudinem TO. Hiſce præmiſſis, concipiamus corpus aliquod grave cum celeritate QP in medio non reſiſtente ſurſum projici ex P verſus O, illudque perveniſſe ad T, quando alterum in medio reſiſtente pervenit ad C; ita ut eo momento habeant ambo corpora æquales velocitates NR & VT paſſuras decrementa æqualia tempuſculis inæqualibus, ſe habentibus in ratione ſpatiolorum percurrendorum Cc & Tt. Jam vero vires quibus duo corpora æqualia & æquevelocia retardantur ſunt directe ut decrementa velocitatum eodem tempuſculo producta, vel quod idem eſt reciproce ut tempuſcula quibus fiunt æqualia decrementa velocitatum. Vis itaque gravitatis, qua corpus in vacuo aſcendens retardatur in T, eſt ad vim qua alterum corpus in medio reſiſtente deſcendens retardatur in C, viciſſim ut Cc ad Tt: Hæc autem vis poſterior æſtimanda eſt per exceſſum quo reſiſtentia medii in puncto C, ſuperat vim *tangentialem* gravitatis, quam nempe exercet gravitas ſecundum tangentem CS, & quæ per *Theor. IV* ad ipſam gravitatem ſe habet ut OG ad OC. Unde ſi gravitas vocetur G & Reſiſtentia R; erit $G.\ R - \frac{OG \times G}{OC} :: Cc.\ Tt :: 2\,Cc.\ Rr\ (Cb) :: 2\,OC.\ OG$, ſeu æquando extremorum & mediorum facta $OG \times G = 2\,OC \times R - 2\,OG \times G$, adeoque $3\,OG \times G = 2\,OC \times R$, quæ

in

in analogiam converſa dant $R.G::3OG.2OC(2OK)$, hoc eſt reſiſtentia ad Gravitatem ſe habet ut $3OG.2OK$; *Q. E. D.*

Coroll. I.

§. 30. Quia $3OG \times G = 2OC \times R$, adeoque $R = \frac{3OG \times G}{2OC}$, erunt, ob datas G & OC, Reſiſtentiæ in diverſis locis ad ſe invicem ut reſpectivæ OG.

Coroll. II.

§. 31. Quod ſi vero ſupponatur Reſiſtentia ut medii denſitas & quadratum velocitatis conjunctim, erit (nominando Denſitatem D) $D \times CG(R) = \frac{3OG \times G}{2OK}$, & proinde $D = \frac{3OG \times G}{2OK \times CG}$, hoc eſt denſitates ſunt, ob datas G & OK ut $\frac{OG}{CG}$, ſeu ut tangentis longitudo CM, prorſus quoque ſicuti Newtonus.

Scholium.

§. 32. Ratio a nobis aſſignata inter Reſiſtentiam & Gravitatem ut $3OG$ ad $2OK$ diſcrepat utique a Newtoniana, utpote quam ponit ut OG ad OK adeoque in ſeſquiaſtera ratione minorem quam quæ noſtra eſt: Ne quis vero qui hæc accuratius examinare nequit ſuſpicetur, perperam forte a nobis redargui, quæ a Viro acutiſſimo tanta cum induſtria fuere enucleata; demonſtrabo hic rationem illam Newtonianam ad manifeſtam contradictionem deducere: Nam ſi reſiſtentia ad gravitatem ſe haberet ut OG ad OK ut vult Newtonus; ipſa vero Gravitas cum ſe habeat ad vim *tangentialem*, ut OC ſeu OK ad OG, eſſet ex æquo, Reſiſtentia ad vim tangentialem ſeu motricem ut OG ad OG; foret ergo reſiſtentia huic vi motrici æqualis, adeoque velocitas in omnibus punctis C uniformis, quam tamen eſſe ut $\sqrt{CG}$ & proinde non uniformem ſupra monſtravimus, conſentiente quidem & ipſo Newtono.

§. 33. Error iſte qui tanto Viro excidit, non quidem in ipſa ejus ſolutione latet, quam juſtam eſſe & ab omni paralogiſmi vitio immunem deprehendi quamquam non parum detortam & intellectu difficilem; ſed quærendus ille eſt in ipſo applicandi modo, qui in eo laborat, quod pag. 263 in ſerie quæ exprimit DG

M 3 (vid.

(vid. Fig. ibid.) terminum quemlibet ſumat pro aliqua indeterminatæ DG differentiali ſeu ut ipſe vocat fluxione tanti gradus quantæ dimenſionis exiſtit littera o in ipſo termino, quod in primo & ſecundo verum eſſe poteſt, in reliquis vero minime; ſit enim ex. gr. DG, ut ſimplex poteſtas aliqua p ipſius OB ſeu a, ita ut DG ponenda ſit $= \overline{a+o}^{\,p}$, quæ itaque more Newtoniano in ſeriem conjecta dabit $DG = a^p + \frac{p}{1} a^{p-1} o + \frac{p \times p-1}{1 \times 2} a^{p-2} oo + \frac{p \times p-1 \times p-2}{1 \times 2 \times 3} a^{p-3} o^3 +$ &c. cujus termini ex opinione Newtoni exprimerent ſucceſſive differentiales omnium in eodem ordine graduum ipſius DG; interim excepto primo & ſecundo termino reliquos omnes a veris differentialibus abludere, communis differentiandi regula docebit; ſumta enim a pro indeterminata, cujus differentialis da ſupponitur conſtans, & differentiata ſucceſſive poteſtate a^p, invenietur pro differentiali prima $pa^{p-1}\,da$, pro ſecunda $p \times p-1\, a^{p-2} da^2$, pro tertia $p \times p-1 \times p-2\, a^{p-3}\, da^3$, pro quarta $p \times p-1 \times p-2 \times p-3\, a^{p-4} da^4$, &c. Unde hæc emergit ſeries, ſubſtituendo pro da litteram o, & ponendo ipſam a^p, tanquam differentialem gradus infimi ſeu nullius, pro primo termino, $a^p + pa^{p-1} o + p \times p-1\, a^{p-2} oo + p \times p-1 \times p-2\, a^{p-3} o^3 + p \times p-1 \times p-2 \times p-3\, a^{p-4} o^4$ &c. $=$ Summæ omnium differentialium, hæc autem, ut patet, diverſa eſt ab illa altera $a^p + \frac{p}{1} a^{p-1} o + \frac{p \times p-1}{1 \times 2} a^{p-2} oo + \frac{p \times p-1 \times p-2}{1 \times 2 \times 3} a^{p-3} o^3 +$ &c. $= DG$; duo enim tantum priores termini utrobique conveniunt, cæteri diſcrepant omnes in multiplicitate coefficientium.

§. 34. Non ſatis capio qua rationis ſpecie inductus fuerit Vir ſagaciſſimus, ut crederet terminos ſerierum harum per extractionem radicis prodeuntium eosdem eſſe cum terminis per differentiationis continuationem collectis, cum præſertim differentiandi differentialia vel fluxiones ex fluxionibus capiendi regula, ei vix latere potuerit, quod moneo ne quis plus quam par eſt tribuat radicum extractioni per ſpecies, in ſolutione problematum, quæ pendent a curvatura curvarum, quæque & commodius & verius ex differentiationis fonte obtinentur. Judicet

itaque

Digitized by Google

Digitized by Google




Fig. 1.

Digitized by Google

itaque æquus Lector quid tenendum ſit de uſu hujus Regulæ, quem deprædicat Autor pag. 264, in ſolvendis iſtius modi problematibus, quandoquidem uſus tam facile in abuſum degeneret: Vacillant certe omnia quæ in ſequentibus ex illa regula deducit pro determinanda ratione reſiſtentiæ ad gravitatem; ſicuti enim pro Circulo pag. 265, ita etiam pro hyperbolis pag. 268 & 269, ut & pro parabolis pag. 274, rationem reſiſtentiæ ad gravitatem ubique juſto minorem facit, & quidem iterum in ratione ſeſquialtera, quod ut evidentius pateat, dabo ſolutionem problematis Newtoniani *pag. 260. prop. X* generaliter concepti in hunc modum.

Reliquas Cl. Autoris Animadverſiones in proximum Menſem rejicimus. Interim in Tabula I repræſentavimus Figuras omnes, quæ ad eas ſpectant, eoque hic notamus, Tabulam illam ad Martium quoque diligenter conferendam.

MIRI CALCULI IN CORPORE HUmano inventi Delineatio.

Singularis formæ ac magnitudinis calculos aliquot delineavimus in Actis Anni 1708 M. Sept. Tabula VII ſub n. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. His merito accenſendus eſt is, cujus delineationem, nuper Vienna tranſmiſſam, hic in Tab. I Fig. 1 & 2, ut in utroque latere apparet, repræſentamus. Repertus autem is eſt eadem plane mole ac forma in renibus Illuſtriſſimi JOHANNIS WENCESLAI S. R. I. Comitis WRATISLAW, de *Mitrovicz*, S. Cæſ. & Reg. Maj. Act. Conſiliarii Intimi Camer. Reg. Bohem. Cancellarii & Magni Prioris Melitenſis, qui Anno ſuperiori die 21 Dec. Viennæ deceſſit. TAB. II. Fig. 1, 2.

DESCRIPTIO NOVÆ ANTLIÆ PNEUmaticæ, quam nuperrime conſtruxit JACOBUS LEUPOLDUS, Mechanicus Lipſienſis.

IN Tomo V Supplement. Sect. IX antliam pneumaticam experimentatoris dexterrimi *Hauksbeji* repræſentavimus, quæ ab ordinariis multum differt. Quemadmodum vero ingenioſus *Leupoldus* in perficiendis inſtrumentis tam mathematicis, quam ad philoſophiam experimentalem ſpectantibus laudabilem hactenus operam poſuit; ita non minori induſtria ſtructuram antliæ pneumaticæ *Hauksbejana* adeo immutavit, ut non

modo

Digitized by Google

modo meliori forma ſeſe commendet, verum etiam variis prærogativis inſtruatur. Dignam itaque judicamus, cujus deſcriptionem in gratiam curioſorum in his actis exhibeamus. Fulcrum A cum menſula B qua antlia mediantibus cochleis firmatur, ex nuce paratum. Duo cylindri D & C ſunt orichalcei, vectis E F ferreus cylindro itidem ferreo G affixus. Virgis ferreis I & K emboli cohærent, ventilabris ſingulari (quod inventor celat) artificio conſtructis inſtructi, mediante vecte LM elevandi ac deprimendi. Catinus N, cui vaſa imponuntur, ex orichalco pariter conſtat: epiſtomium vero in O applicatur, ut catino remoto, alia inſtrumenta mediante cochlea ad antliam firmari poſſint. Hujus beneficio vaſa evacuata clauduntur &, ſicubi opus fuerit, aer iterum admittitur. Tubus, per quem communicatio cum cylindris C & D atque cum epiſtomio O obtinetur, in ſchematiſmo non expreſſus, quia in parte averſa conſpiciendus. Utut autem cylindri ſatis exigui ſint, celerrime tamen miraque facilitate vaſa admodum capacia evacuantur. Tubus PP Mercurium continet, ut ex ejus altitudine de aeris evacuati quantitate judicium ſieri poſſit. Nec ſilentio prætereundum (id quod perfectionem antliæ *Leupoldianæ* palam loquitur) altitudinem Mercurii, non alias, quam in barometro mutationes intra triduum ſubiiſſe, vaſe in N evacuato, manifeſto indicio, quod nihil aeris externi per embolos in illud intrare potuit. Ceterum hæc antlia commode admodum de loco in locum transfertur & magno ſumtuum compendio conſtruitur.

TAB. II. Fig. 3.

NOVA LITTERARIA.

E Gallia intelligimus, Malebranchii Scrutinium veritatis Gall. altera vice nuper prodiiſſe multis additamentis auctum. Imprimis vero moliuntur nonnulla Mathematici. Renaudus enim, autor libri Gall. *Theorie de la Manœvre des vaiſſeaux*, dicitur aliquid ad prælum parare de lite, quæ olim ipſi interceſſit cum Hugenio. Nicollius tractatum aliquem de Cycloidibus typis propediem mandabit. De Lagny vero occupatur in elaboratione alicujus diſſertationis de Quadratura circuli. Et Montacortius Autor libri Gall. *Eſſay d'Analyſe ſur les jeux de hazards* novam hujus libri promittit editionem accuratiorem & meliorem.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Martii, Anno MDCC XIII.

GENEALOGIÆ VIGINTI ILLUSTRIUM IN Hiſpania Familiarum, ordine alphabetico exhibitæ, exegeſi hiſtorica perpetua illuſtratæ, iconibusque Inſignium exornatæ; ſtudio JACOBI WILHELMI IMHOF.

Lipſiæ, apud Jo. Frider. Gleditſch & Filium, 1712, fol. Alph. 4.

VOti demum, quod eruditus Orbis nobiscum conceperat, cum in his Actis A. 1710 p. 374 ſeq. ceu in brevi tabella exponeremus imaginem præſtantiſſimi operis, quo Generoſus Autor XX illuſtrium in Italia familiarum genealogias erat complexus, facti nunc compotes, gratulamur utique ſeculi hujus felicitati, qua contigit, ut poſtremam Hiſpanicarum genealogiarum partem velut extorqueri a ſe precibus noſtris pateretur, ſibi ipſi in eo adverſatus illuſtris Imhofius. Sic enim, nec aliter, niſi plane fallimur, *abſoluta* videri nunc poterunt *penſa, quæ* propitia *Minerva* ipſi jam olim *dederat;* a qua ideo etiam nunc rude donatur, ſive haſta pura, quippe emenſus tot diverſiſſimarum rerum ſpatia, de quibus pauciſſimi ne fando quidem unquam audiverant. Erga tanta merita non erit ingrata poſteritas, nec eam eripiet laudem, quæ debetur Imhofio, quod ſolus ipſe auſpicatiſſimo conatu excitaverit apud Germanos ſtudium genealogicum, perduxeritq; illud in eminens faſtigium, ac fecerit dubium, an ſui aliquando ſimilem ſit habiturus, cum non cuivis liceat eam adire Corinthum, quam ipſe adiit, inter ſcopulos plures ſine offenſione & vitæ, & officii, & famæ. Nos ſane, dum bono hoc lætiſſimi fruimur, adprecamur ipſi vegetam ſenectutem, placidumque ejusdem ex voluntate Dei clementi decurſum; pauca interim pro conſuetu-

Digitized by Google

ſuetudine noſtra ex Opere præſenti decerpturi, velut florum quendum faſciculum.

In illo autem exhibentur XX Familiæ in *Hiſpaniis* illuſtriores,
earumque ſtirpes diverſæ tabulis quam plurimis repræſentatæ, ita
quidem, ut ſimul, quæ ad explanationem earundem viſa ſunt
neceſſaria, ex monumentis tam raris, quam fide dignis, affe-
rantur in medium perſpicue eruditeque. Sunt vero ſtirpes pri-
mariæ iſtæ: I. *Avellano*, II. *Arias Davila*, III. *Bazan*, IV. *Borja*, V.
Centurion, VI. *Cordova*, VII. *Cueva*, VIII. *Guevara*, IX. *Guzman*,
X. *Lara-Manrique*, XI. *Mendoza*, XII. *Moura*, XIII. *Oſorio*, XIV. *Pi-*
mentel, XV. *Ponce de Leon*, XVI. *Portocarrero*, XVII. *Silva*, XVIII.
Toledo, XIX. *Velaſco*, XX. *Zuniga*. Ex ſingulis ſeligemus aliqua.
p. 6. De *Sanctio VII*, Navarræ Rege, refertur, quod *Incluſus* ideo appel-
latus fuerit, quoniam ſub vitæ finem ſævo cancri carcinomate fœ-
datus Tudelæ in arce ſe continuerit, ab omni congreſſu hominum
25. penitus abſtinens. *Rodericum Borgia*, fœdiſſimum Virum, qui po-
ſtea ſub *Alexandri* VI nomine thronum Romanæ Eccleſiæ occu-
pavit, maritus Vanotiæ Cataneæ, pluriumque liberorum ex ea pater
26. factus, deſcriptum videas, pariterque ejus filium, *Cæſarem Borgia*,
quo ſceleſtiorem hominem vix a Sole viſum eſſe merito affirmatur.
28. Melior utroque *Caſpar Borgia*, Cardinalis, qui, quod ſingulis annis,
dum Romæ vixit, decem mille aureos in pauperes effunderet, *Pa-*
tris pauperum accepit cognomen. In *Gonſalvo de Corduba* incon-
ſtantis fortunæ notabile conſpici poteſt exemplum; qui, cum ingen-
59. tibus rebus geſtis *Magni imperatoris* (*Gran Capitano*) titulo eſſet
cohoneſtatus, tandem in medio felicitatis ſuæ curſu obtrectatorum
linguas, Regisque ſui, Ferdinandi Catholici, ſuſpiciones vitare non
potuit; quibus factum eſt, ut primum poteſtas ejus anguſtioribus
circumſcriberetur cancellis, deinde a Rege in Hiſpaniam reduce-
retur, multis promiſſis præmiis, quæ tamen nunquam accepit. Fe-
liciſſimi, ſi divitias ſpectes, quæ inter familias illuſtres eſſe poſſunt,
94. exemplum conjugii eſt, quod Beltrano Emanueli de Guevara anno
1687 obtigit, quippe uxorem nacto Nicoloſam Manrique de Men-
doza & Velaſco, fratris ſui Michaelis, Ducis de *Naxera* unicam hæ-
redem, atque adeo ipſam *Ducem* de *Naxera*, *Comitem* trium Comi-
tatuum, *Marchionem* duarum Marcarum, *Dominamque* XXI, & for-

te

te plurium dynaſtiarum, numerantem in peculio ſuo CLX oppida, quæ inter CXXVI ad ſolum Ducatum Naxarenſem pertinent. Ex *Guzmanniana* familia ortum trahere *S. Dominicum*, ſacræ ſodalita- p. 120, 103.
tis, quæ ab ipſo nomen habet, auctorem, adfirmatur teſtimonio Marianæ. Eruditis fœminis accenſenda eſt *Maria Petronella Niño* de 105, 122.
Porres *Enriquez de Guzman*, uxor primum Petri Nuñez, Marchionis de Montealegre, poſtea vero Didaci Fernandez de Corduba, Marchionis del Guetor de Santillana, cujus a morte, quæ incidit in diem 28 Novembris 1701, inſignis ab ipſa non collecta ſolum, ſed lecta etiam diligenter, bibliotheca diſtracta fuit Madriti. Quam periculoſum ſit nonnunquam, habere arbitris fidem, docet exemplum 162.
Comitis Manrici de Lara, ſeculo XII; qui, cum judex litis de oppido Molina ab utroque Alphonſo, Arragoniæ Caſtellæq; Regibus, conſtitutus eſſet, ita ſententiam pronuntiavit a nemine exſpectatam: *quin*, inquiens, *mihi potius, quam alterutri veſtrum, Reges, Molinam addico, eamque majoratum poſteris meis perpetuum conſtituo*; quo etiam arbitrio Reges, confidentiam mirati, ſteterunt. Notabile eſt, quod de officio *Cancellarii majoris* in regno Caſtellæ, ex in- 164.
ſtitutione Regis Alphonſi Sapientis traditur, in qua hæc exſtant: Cancellarius eſt ſecundus officialis domus regiæ, ex illis, qui arcanorum ſunt arbitri, mediator inter Regem & ejus ſubditos; quidquid enim Regis nomine expediendum eſt, quocunque id fiat modo, præſcitu illius fieri, atque ab eo inſpici debet, antequam ſigillo ſubjiciatur, ne quid emanet, quod juri repugnet, Regique vel damno vel dedecori cedat; & ſi quid tale perſcriptum fuerit, id penna deleat & obliteret, id quod Latini *cancellare* vocant, a quo vocabulo *Cancellarii* nomen deſumtum eſt. Notatu etiam dignum eſt, quod 205.
de *Didaco Hurtado de Mendoza* refertur, viro, ut ſtudiorum liberalium, ita & rerum civilium militariumque & admiratore & auctore. Is Græcanica præcipue ſtudia, dum Venetiis ageret, ardenter promovit; multa quippe nondum viſa in Europa hac noſtra antiquorum auctorum, in hisque aliqua ſanctorum Baſilii Magni, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Alexandrini, nec non & Archimedis, Heronis, Appiani, monumenta, e Græciæ ipſius latebris, avariſſimorumque poſſeſſorum manibus abſtulit. Nimirum pro chariſſimo Turcarum magno Imperatori captivo, quem ab iis, qui in poteſtate

 habe-

Digitized by Google

habebant, non parvo ære redemerat, liberumque dimiſerat, non
aliam oblatæ ab illo Principe gratitudinis ſignificationem admitte-
re voluit, quam quod Venetis liberum eſſet a Turcarum ditione
grana, quorum indigebant, petere, librorumque aliquot Græcorum
ſibi ut eſſe liceret compoti, quod utrumque impetravit facile, LX
non minus arcis librorum manuſcriptorum, theſauro quovis pre-
tioſiorum, plenis Solymanni dono e poteſtate barbarorum recupe-
ratis; quæ tota librorum moles, a Geſnero etiam laudata, nunc in
p. 227. Eſcurialenſi Bibliotheca aſſervatur. Ceterum ſingularis eſt cere-
monia, qua olim Alvarus Oſſorius ab Alphonſo XI Caſtellæ Rege
creatus eſt Traſtamaræ *Comes*; nempe, *tres offæ in vini poculo oblatæ;*
cum inter ſe Rex Comesque tertio invitaſſent, uter prior ſumeret, a
Rege offa una ſumta, a Comite altera. Jus caldariæ in caſtris, in bello
vexilli, propriis inſignibus diſtincti, datum. In eam ſententiam con-
fectis tabulis atque recitatis, conſecutus adſtantium clamor plauſus-
que, læta fauſtaque novo Comiti ominantium. Is inſtituendi Comites
293. *ritus fuit.* In decoribus familiæ *Silvanæ* hoc commemoratu in-
primis dignum eſt, quod, extremis Philippi IV Hiſpaniarum Regis
temporibus, LXI titulos Ducum, Principum, Marchionum, Comi-
tum & Vice Comitum, quibus pollebat, numeraverit; quodque in
tribus Hiſpaniæ regnis, Caſtellenſi nempe, Arragonico & Luſitani-
co, *lineas cubiertas* habeat, id eſt, Magnates ex ſe ortos, qui in tribus
hiſce regnis prærogativa, caput coram Rege tegendi, emineant; vi-
delicet in Caſtellenſi, Ducem *Paſtranæ*, in Arragonico *Hixarienſem*,
& in Luſitanico Marchionem de *Goubea*; qua felicitate alia nulla in
318. omni gaudet Hiſpania. De Ferdinando Toletano, Duce de Alba, re-
fertur, qui trahere bellum & hoſtium impetum eludere artificioſe
ſolebat, quod aliquando Conſiliariis bellicis in regno Neapolitano
reſponderit, cum hortarentur illum, ut manus confereret cum ho-
ſtibus, qui ſeſe recipiebant: dixit enim, ſe nolle ludendo deponere
regnum Neapolitanum contra chlamydem ex auro & ſerico tex-
tam, quali tum temporis indutus erat Dux Guiſius imperator copi-
333. arum Heinrici ſecundi Regis Galliæ. Ludovicus de Velaſco, Mar-
chio de Freſno, *mutus* cognominabatur, eo quod loquendi faculta-
te deſtituebatur natura, quam tamen viciſſe fertur ars Emanuelis
Ramirez de Carion, qui fari eum & animi ſenſa eloqui utcunque
docu-

docuerit. Johannem Mirandæ Comitem, regnique Neapolitani Proregem, diſcedentem ex hac provincia, civitas Neapolitana luculento donabat congiario, quatuor fontibus videlicet ex auro conflatis, in quibus inſigniora ejus facta cælo expreſſa erant, nec non arma gentilitia, cum inſcriptione: *Comes a Miranda, Admirandus Comes.* p. 358.

Hiob Ludolffs Schau-Bühne der Welt ꝛc.

i. e.

JOBI LUDOLFI THEATRUM MUNDI, ſeu deſcriptio rerum toto terrarum orbe, maxime in Imperio Romano-Germanico, ſeculo XVII geſtarum. Tomus III, continuatus a CHRISTIANO JUNCKERO, Dresdenſi, Societatis Regiæ Boruſſicæ Membro.

Francofurti ad Mœnum, apud J. D. Zunneri heredes & J. A. Jungium, 1713, f. Alph. 8 plag. 15, inſertis figuris æneis.

IN animum induxerat Vir illuſtris, *Jobus Ludolfus*, politicam ſeculi XVII hiſtoriam pragmatico ſcribendi genere contexere, ejusque Tomum primum A. 1699 editum, qui res per triginta priores ejus ſeculi annos geſtas complectitur, hiſce in Actis A. 1700 p. 85 eum in modum recenſuimus, ut breviter Autoris methodum deſcriberemus dignisque exciperemus laudibus. Alterum Tomum, qui A. 1701 lucem vidit, hiſtoriæ tela ibi ad annum 1650 pertexta, pariter laudavimus A. 1704 p. 95. Poſtea vero, quam eodem illo anno Ludolfus e vivis exceſſit, non paucorum votis exoptatum fuit, ut alius hiſtoriarum ſuperioris ſeculi gnarus Vir ſuſcepta hac provincia inſtitutum B. Autoris ad finem perduceret. Rogatus igitur Celeb. Dn. *Junckerus* ſuppoſuit oneri huic humeros, continuare illud opus ſtrenue aggreſſus, edito nunc tertio Tomo, qui ab A. 1651 progreditur ad A. 1663, ſervata diligenter Ludolfina methodo, ſimulque præmiſſo uberiore, quam a Ludolfo factum erat, indice librorum, e quibus hoc opus congeſtum eſt. Nec minus oculorum curioſitati proſpectum eſt, figuris æneis eleganter inciſis paſſim interjectis. Atque hæc dixiſſe ſufficere poterat de ejus generis libro, cujus argumenta doctis lectoribus non ſunt obſcura, & cu-

Digitized by Google

jus percelebres Autores tantum elegantis texturæ, id eſt, hiſtoriæ in ordinem concinnum redactæ, firmatæque teſtimoniis fide dignis, & actorum publicorum tabulis, laudem quærunt. Ceterum cum plurima hoc in opere ſeſe offerant, quæ non vulgo ſolum legentium, ſed eruditis quoque, magnopere placebunt, quædam delibare operæ pretium fuerit. P. 48 ſeq. occaſione Edicti ab Ordinibus Belgii Generalibus facti narratur, Hollandicum Legatum *de Wit* ab Erneſto Pio, Duce Saxoniæ Gothano, ne carnem quidem ferinam aviculasque abeunti oblatas accepiſſe. P. 155 oſtenditur, fabuloſa eſſe, quæ vulgo ferantur de incredibili vi pecuniæ, Venetiis aſſervatæ in loco quodam, cui nomen ſit *Sanctum Sanctorum*. P. 427 occaſione tumultus in Suecia A. 1653 a ruſticis excitati obſeruatur, nullam unquam ſeditionem a ruſtica plebe motam fuiſſe, cui non cauſam dederit nimis grave & acerbum imperium. P. 442 ſagax ſit conjectura, fictam eſſe hiſtoriam illam de monſtro A. 1653 d. 1 April. in Gallia capto, (cujus heic imago appicta cernitur,) quæ in Theatro Europæo, & hinc a pluribus traditur. P. 793 Cl. Autor ipſemet ingenue emendat errorem ſuum, quo legationem Venetorum ad Cromwellum ad A. 1654 retulerat, a Nano edoctus, id demum A. 1657 contigiſſe. P. 935 ſeq. inſerta legitur Relatio adhuc inedita Dilherri de Leopoldi Imp. Viſitatione Bibliothecæ Noribergenſis. P. 1061 oſtendit, Autorem libri *Hiſtoire de la Paix aux Pyrenées*, & adjecti *Journal des Entrevues de deux Miniſtres de France & d'Eſpagne*, eſſe *Curtinum*, Magiſtrum libellorum ſupplicum: ex eoq; refert, Ludovicum de Haro, ſurdaſtrum licet, ad graviſſima tamen regni Hiſpanici negotia non ineptum fuiſſe. P. 1124 de Polonicis numis, qui *Tymſones* vocantur, quorumque quinque valorem Imperialis æquant, agitur, doceturque, nomen eos accepiſſe a *Thoma Tympf*, monetario, qui A. 1659 primus tales numos cudit. P. 1263 de Franc. Joſephi Borrii fatis quædam ſingularia leguntur. Pariter de Cardinale Mazarino nonnulla non ubivis obvia referuntur p. 1293 ſqq. Hæc ex Annotationibus. Ex ipſo hiſtoriæ corpore tria adduxiſſe ſatis eſto. P. 30 ſqq. ex Leone ab Aitzema copioſe exponuntur fœderatorum Belgarum conſilia poſt mortem Principis Arauſionenſis agitata, ubi & p. 45 refertur, hujus viduam filiolo ſuo, quem poſtea Regem Britanniæ factum eſſe notum eſt, impoſitum voluiſſe

nomen

nomen *Caroli Wilhelmi*: verum infantis hujus aviam, omen veritam, ſummopere obſtitiſſe, & ut *Wilhelmus Henricus* appellaretur, perfeciſſe. Noti illius Ulefeldii, Miniſtri Danici, fortuna volubilis triſtique tandem concluſa exitu copioſe atque accurate enarratur p. 97 ſqq. 431 ſq. & 1109. P. 138 exhibetur Alphonſi Mendez, Patriarchæ in India, epiſtola ἀνέκδοτος ad Gregorium, notum illum & B. Ludolfo perfamiliarem Abesſinum, Portugallico ſcripta idiomate, qua ei ſignificat, fervere adhuc Pontificiorum perſecutionem in Abeſſinia. P. 271 ſqq. iſtius Gregorii vita & mors in undis marinis obita enarratur ſub perſona Ludolfi: id quod Lectorem ideo monitum volumus, ne, cum ſcriptor hujus Tomi de ſemet ipſo loquitur, Cl. Junckero ſemper tribuat, quæ ſubinde de B. Ludolfo capienda ſunt. Denique cum Cl. Junckerus in Præfatione Continuationem hujus hiſtoriæ non ſolum ad ſeculi XVII finem, ſed & ad præſentem usque ætatem, promittat, precamur ei proſperam valetudinem, ut & huic promiſſo ſatisfacere, & *Principatus* quoque *Hennebergici Hiſtoriam* emittere poſſit, remotis, quæ impedierunt hactenus editionem, obſtaculis, utpote quam jamdudum abſolutam eſſe preloque paratam, ipſe p. 1154 meminit.

ATHENÆ GEDANENSES EPHRAIM PRÆTORII, Eccleſiarum Thorunenſium Senioris, ac ad B. Mariæ Paſtoris.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſch, & Fil. 1713, 8.

Plag. 16 ½.

MAxime Rev. Autor, pietate in patriam adductus, hoc opuſculo Dantiſcani Gymnaſii originem præſentemque ſtatum, una cum Rectoribus ac Profeſſoribus deſcribit, quanta fieri potuit diligentia. Nec dubitamus, eum poſteritati pergratum feciſſe, paremque mereri laudem cum aliis, qui hiſtoriam Academiarum celebriorumve Gymnaſiorum ſuſcepere exponendam. Neque enim talis opera ſoli patriæ fructuoſa eſt, ſed omnibus hiſtoriæ litterariæ ſtudioſis. Quare Lectorum in gratiam ex præſenti libro ſaltim clariſſimorum virorum nomina hic tanquam in tabula quadam ſuſpendemus, ut inde illi agros ſuos irrigare poſſint, quibus volupe eſt noſcere brevem vitæ ipſorum deſcriptionem, ſcriptorumque ab iis editorum Catalogum. Utraque enim ex parte ſatisfaciet Cl. Autor:

quii

Digitized by Google

qui poſtquam docuiſſet, Cœnobium Franciſcanorum A. 1555 a ſe-
pag. 1. natu Gedanenſi mutari cœpiſſe in Gymnaſium, ac *Jo. Hoppium*,
primum ejus Rectorem eundemque Profeſſorem, primam in eo le-
ctionem publicam habuiſſe A. 1558 d. 13 Junii: & inter alia memi-
niſſet, lege ſtatutum eſſe publica, ut Gymnaſii Rector & Doctoris
5. Theologiæ titulo inſignitus ſit & ſimul Paſtoris ad SS. Trinitatis
munus adminiſtret: recenſitis p. 15-20 Proto-Scholarchis, p. 21-171
in Rectorum Profeſſorumque deſcriptione verſatur. Hic igitur p. 30 occurrit *Jo. Placotomus*, A. 1574 defunctus: p. 42 *D. Jo. Fabricius*, m. 1629: p. 46 *Bartholomaus Keckermannus*, m. 1609: p. 74 *D. Jo. Botſaccus*, m. 1674: p. 80 *Henr. Nicolai*, m. 1660: p. 89 *D. Abr. Calovius*, m. A. 1686: cujus tamen hic nonniſi ea ſcripta indicantur, quæ Dantiſci publicavit; id quod & de Strauchii paulo poſt memorandi ſcriptis hic monitum eſto: p. 94 *Jo. Raue*: p. 96. *Jo. Fabricius*, Arabicarum litterarum peritia præſtans, m. 1653: p. 101 *D. Jo. Maukiſchius*, m. 1669: p. 107 *Jo. Petrus Titius*, m. 1689: p. 114 *Joachimus Paſtorius*, qui poſtea Pontificiorum in caſtra tranſiit, m. 1681: p. 123 *D. Ægidius Strauchius*: p. 127 *D. Samuel Schelwigius*, qui adhuc Rector eſt Gymnaſii: p. 139 *M. Frid. Chriſtianus Bucherus*: p. 142 *D. Joach. Hoppius*, m. 1712: p. 151 *D. Jo. Gottlieb Mollerus*, m. 1698: p. 155 *Gabriel Groddeccius*, m. 1709: p. 159 *Sam. Frid. Willenbergius*, p. 162 *Jo. Sartorius*, p. 165 *Paulus Pater*.

Adiunxit Rev. Autor p. 171-197 Seriem Rectorum reliquarum ſcholarum Gedanenſium: item p. 197-227 Syllabum Rectorum Gymnaſii Thorunienſis: in quibus præ ceteris celebrata ſunt nomina *Henr. Schævii* p. 213, *Chriſtoph. Hartknochii*, celebris Hiſtorici, p. 215 ſqq. & *Georgii Wendii* p. 222. Hodie Rectoratui præeſt *Petrus Janichius* p. 225. Concludit opus totum Catalogus Rectorum Gymnaſii Elbingenſis, cui nunc præeſt *Chriſt. Jacobus Koitzſchius*.

ספר המשוה

ſive

ΒΙΒΛΟΣ ΚΑΤΑΛΛΑΓΗΣ, *IN QUO SECUNDUM veterum Hebræorum Theologorum formulas allegandi & modos interpretandi conciliantur loca ex V. in N. T. allegata. Autore GUILELMO SURENHUSIO, Hebr. & Græc. litt. Profeſſ. Amſtelod.*

Am-

Amſtelodami, apud Joh. Boom, 1712, 4.
Alph. 4.

QVamvis non deſint, qui hucdum vel data opera & ex inſtituto, vel in commentationibus ſacris, alio conſilio ſuſceptis, in eo elaborarint, ut dicta novi Inſtrumenti cum antiqui Fœderis tabulis, ex quibus hauſta erant, conciliarent, & apparentem interdum diſſenſionem amoverent, reliquum tamen illi aliquid fecerunt, in quo Cl. Autoris, cujus induſtria alias ſpectata eſt, doctrina & ingenium vim ſuam experiretur. Poſtea enim quam is intellexit, Viros eruditos diverſas conciliandi rationes, quas in Præfatione ſtrictim perſequitur, ingreſſos minus feliciter eſſe, novam ipſe viam, ante vix tritam, aperiendam cenſuit, arbitratus, a Servatore & Divinis Scriptoribus nihil in N. T. prolatum eſſe alia ratione, quam quæ majorum, Doctorumque Judaicorum æqualium, exemplo ac more ſe tueri poſſet. Hanc ſententiam animo volvens confirmatum ſe ſenſit, quod in præf. profitetur, Judæi cujusdem ad Chriſtianorum ſacra converſi, ſed proſtliminio ad ſuos redeuntis, auctoritate ac teſtimonio, qui hoc modo allegationibus & interpretationibus V. T. in N. optime conſuli poſſe cenſuit. Operæ itaque pretium facturum ſe putavit Cl. Autor, ſi, conqviſitis ex ſcriptoribus Judaicis ſimilium allegationum exemplis, argumentum hoc in majore luce collocaret, & vel ſic tandem Judæis manifeſtum faceret, non eſſe, cur ipſi, quod ſæpe uſu venit, fidem Scriptorum N. T. ſuſpectam redderent ex mutationibus, quas in dictis V. T. factas criminantur, niſi ipſi & ſuam & Doctorum antiquiſſimorum conſuetudinem eadem opera damnare vellent. Hoc itaque labore egregie perfunctus eſt Autor, atq; id omnino egit, quod alii agendum eſſe paſſim ſubinnuerunt. Meminimus enim, Jo. Chriſtoph. Wagenſeilium τὸν μακαρίτην, in not. ad lib. Sota p. 162 rationem allegandi in N. T. receptam cum antiquo Judaicorum Doctorum more contuliſſe. Sed quod hic cum paucis aliis indice quaſi digito eminus oſtendit, id Cl. Autor plena manu nunc offert præſenti volumine, quod in quinque Libros diſtinctum, argumentum hoc ita perſequitur, ut lib. I Formulas allegandi, elucidandi & conciliandi Scripturas Hebræorum Theologis receptas, II eorundem modos allegandi, III modos interpretandi, IV modos exponendi & conciliandi Genealogias ſiſtat, & libro deniq; V ſingu-

Digitized by Google

los N.T. locos ex Veteri citatos ordine conſideret,ac quomodo ipſis
p. 1. cum V. T. optime conveniat, exponat. Ita lib. I §. 1 monetur, He-
bræis hanc allegandi formulam familiarem eſſe, ut dicant שנאמר,
ut dictum eſt, & וכתיב *& ſcriptum eſt*, quam imitati Scriptores ſa-
cri ſæpe ingeminant, hinc τὸ ἐῤῥήθη, τὸ ῥηθὲν &c. illinc τὸ γεγραμ-
μένον ἐςὶ, vel καθὼς γέγραπται. Utramque hanc allegandi formulam
ita diſtinctam cenſet Autor, ut prior tum adhibeatur, quando textus
ſacer non verbotenus, ſed quod ad ſenſum, allegatur; poſterior ve-
ro occurrat, cum dictum aliquod vel iisdem verbis, vel leviuſcula
mutatione facta, effertur. Neque tamen diffitetur Noſter, hunc for-
mularum uſum diſtinctum non perpetuo obſervari. Sic frequens
2. eſt Hebræis φράσις: לקיים מה שנאמר *ad confirmandum id, quod
dicitur*, quam præmittunt locis non ſecundum verba, ſed quod ad
ſenſum, recitatis, ut in Berachoth p. 65 col. 1. Atq; huic formulæ re-
ſpondere videtur Græca φράσις, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν, qua utitur
Matthæus cum alibi, tum c. II, 23, ubi ad vocem נצר Jeſ. XI, 1 alludit.
Ad hanc formulam proxime accedit altera זה קיים מה שכתוב
hoc confirmas id, quod ſcriptum eſt, quæ cum alibi, tum in Mechil-
ta fol. 10 col. 1 legitur. In iisdem ſcriptis Rabbinorum Scri-
pturam allegantium invenias אמר הכתוב h. e. *dixit Scriptura*
conf. Rom. IV, 3, IX, 17, ut & מה ראה הכתוב i. e. *quid pravidit
Scriptura?* e. g. in Rabboth fol. 242 col. 3, conf. Gal. III, 8, nec non
ראה מה כתיב h. e. *vide, quid ſcriptum ſit*, ut in Tarchuma fol.
29 col. 1, conf. Actor. XIII 40. Omittimus ceteras allegandi formu-
las, quarum & ſignificatio propria exponitur, & comparatio cum
phraſibus N. T. ſimilibus ſolicite inſtituitur, ex quibus ſingularem
& vix obviam exiſtimare poteras, quæ legitur apud Matth. IX, 13,
17. πορευθέντες δὲ μάθετε &c. ſed eadem occurrit tamen in Tanchuma
fol. 42 col. 3, ubi dicitur צא ולמד *ito & diſcito*. Cumque veteres Ju-
dæi interdum Scripturæ dictis utantur ſine præmiſſa allegandi for-
21. mula, ut in Berachoth fol. 9 col. 1 & 2, ratio apparet, quare idem in
N. T. fiat, v. c. Luc. I & II. Interdum quoque profanorum Scripto-
rum dicta inſtar ſacrorum proferuntur, ut in Eruvin fol. 65 col. 1,
23. Chulin fol. 29 col. 2 &c. Unde mirum non eſt, Mathæum II, 23 alle-
gare Prophetas, quamvis nemo eorum diſertis verbis Jeſum dixerit
fore Nazarenum. Nonnunquam etiam quædam recitantur, ac ſi Ca-

nonicis

Digitized by Google

nonicis libris fuerint tradita, in quibus tamen nihil eorum obvium eſt, v. c. in Schabbat fol. 88 col. 7, ubi mentio ſit timoris Moſis, in p. 24.
Targum ad Exod. VII, 11,12, ubi commemorantur *Jannes* & *Jambres*. Hoc magis apparet, cur eadem ratione uſi ſint divini Scriptores ep. ad Hebr. XII,21 & 2 Tim. III, 8. De ceteris formulis dignus eſt Noſter, qui legatur usque ad p. 36.

Lib. II de modis allegandi, veteribus Hebræis receptis, expo- 37.
nit, & ſub initium commemorat veterum de ordine, nominibus & diſtinctione librorum ſacri Codicis ſententiam, ubi ſpeciatim notatur ex *Bara Batbra* fol. 14 col. 2, Jeremiam inter Prophetas primum locum obtinuiſſe. Nec minus obſervare fas eſt, Doctores Gemaricos in Cod. Succa fol. 20 col. 1 tradere, in ordine Sectionum Legis verbisque S. Scripturæ & Codd. ſacris ante templum II & poſt ejus excidium ſub adventum Meſſiæ mutationem quandam & 38.
tranſpoſitionem exſpectandam eſſe; ſicut & in Gemara *Schabbat* f. 116 col. 1 temporibus Meſſiæ aliquot loca Scripturæ difficilia transponenda majoris perſpicuitatis cauſa dicuntur. Similia leguntur in R. Nathan Capitulis Patrum c. 34. Quæ domeſtica teſtimonia Judæis obvertenda putat Noſter, ubi illi ægre ferunt, Scriptores N. T. in allegationibus ſuis Jeremiam pro Zacharia commemoraſſe, & verba quædam vel commutaſſe cum aliis, vel tranſpoſuiſſe. Ceterum tralatitium eſt & pervulgatum, veteres Judæos contextum ſa- 41.
crum allegantes non ſemper in verbis hæſiſſe, ſed aliter atque aliter repetiiſſe, idque partim ideo, ut varios ex oraculis divinis ſenſus elicere poſſent, partim ut diffuſiora in compendium mitterent, vel elegantiori ſcribendi ratione uterentur, vel ne expoſito ſenſu literali vulgo errandi occaſio naſceretur, aut Regibus Gentilibus ſacra ſua & dogmata nude conſpicienda exhiberentur. Has enim cauſas mutationis frequentioris afferunt ipſi Judæi variis in locis, a Noſtro cum cura annotatis. In ipſa itaque mutatione allegationum ali- 43.
quando ex loco parallelo verba quædam adduntur, vel cum illis, quæ in allegato textu exſtant, permutantur, v. c. in Berachoth fol. 27 col. 2, Kidduſchin fol. 51 col. 1 &c. Unde mirum non eſt, Paulum Rom. IX,33 loco Jeſaiæ XXVIII,26 inſerere voces *καὶ πᾶς* ex cap. XI, 3, ex 1 Reg. XIX,10 addere *Κύριος*. Sic plura Scripturæ loca in unum contracta coaleſcunt, ut in Tanchuma fol. 17 col. 4 quatuor loca

Digitized by Google

unam efficiunt ſeriem: quemadmodum Matth. XXI, 5 conflatur ex
P. 47. duobus locis Jeſ. LXII,11 & Zachar. IX,9. Nonnunquam initia verſuum ſine allegationis formula recitantur, quamvis Scriptor vel maxime ad ſequentia reſpiciat, quæ propterea paraphraſi quadam repræſentari ſolent. Vide Tanchuma fol. 36 col. 4 & confer Act.
48. I, 20. Non raro vel unicum ex toto commate verbum ad rem probandam idoneum decerpitur, ut in Tanchuma fol. 23 col. 1 ex Dan. IV, 34; & ſic apud Marcum XV, 24 ex commate 12 cap. LVII Jeſ. unum & alterum vocabulum deſumitur, ut probetur, Jeſum inter
49. duos latrones medium in cruce hæſurum eſſe. Hic notandum inprimis eſt, verba quædam interdum citari, cum tamen res probanda non tam ex illis, quam ex ſequentibus confirmari poſſit. Exemplo eſt Maimonides ad Succa IV col. 1. Hoc modo Paulus Rom. IV,18 poſteriora verba Geneſ. XV 5 ὅτως ἔςαι τὸ σπέρμα σε allegant, cum tamen ad ſuperiora reſpiciat. Porro ad majorem rei fidem faciendam ad partes vocantur Moſes, Prophetæ & Hagiographa, ut *Maccoth* fol. 10 col. 2 & *Peſikta Sotarta* fol. 1 col. 1, quod in N. T.
51. non raro fieri apertum eſt. Ex eodem loco diverſa de diverſis etiam ſubjectis demonſtrari ſolent, ſicut in Tanchuma fol. 48 col. 4 locus Habac. I, 7 ad Adamum, Pharaonem & alios accommodatur. Similiter Paulus Rom. IX,33 & X, 11, ac Petrus 1 ep. II, 6 eodem Jeſaiæ loco ex XXVIII,16 diverſo conſilio utuntur. Fieri ſolet, ut priora & poſteriora commatis verba, illis, quæ interjecta ſunt, omiſſis, referantur; quod imitatur Paulus Epheſ. V, 14 allegans Jeſ. LX, 1, 2. Inter-
56. dum emphaſis unius verbi inprimis urgeri ſolet, ut *Berachoth* fol. 3 col. 2, quemadmodum ſequitur Paulus Rom. IV, 3, 17, & 1 Cor. XV, 27.
57. Liber III progreditur ad explicandam rationem inter-
59. pretandi, illuſtrandi & conciliandi Scripturæ loca, veteribus receptam. Ita Doctores Hebræi ſæpe mutant vocales, dicendo אל תקרא כך אלא כך *ne legas hoc, ſed illo modo:* v. c. in Berachoth fol. 7 col. 2, ubi pro שמות legere jubetur Lector שמות ex Pſ. XLV, 19. Quod quidem illi ideo facere ſolent, ut campum habeant, in quo ingenii, ad allegorias inveniendas proclivis, copias explicare poſſint. Vide hanc in rem lib. *Zohar* fol. 288 col. 4 & Maimonid. *More Nevochim* Parte III c. 43, qui poſterior teſtatur, Interpretes, dum ita agunt, expoſitiones has allegoricas non pro vero Scri-

pturæ

pturæ ſenſu habere , ſed inſtar ænigmatum ad delectandos lectores p. 62.
afferre. Hinc apparere putat Noſter, cur Act. III,23 ex Deut. XVIII,19
pro מִמֶּנּוּ legatur מֵעַמּוֹ & Act. VII,43 pro כִּיּוּן ex Amos V , 26 בִּיּוּן ſive
רֵיחָן ſicut Hebr. XI,21 pro מִטָּה exſtat מַטֵּה. Imo non ſolum vocales
ſed & literæ ipſæ ad eliciendum ſenſum allegoricum mutantur ab 63.
Hebræis, ut in Barachoth f. 30 col. 2 pro בהדרת *in pulchritudine*
legitur בחרדת *in tremore*. Horum exemplo Paulus Hebr. X, 5 pro
כרית ex Pſ. XL legiſſe videtur ברית. Interdum literæ & vocales 64.
ſimul mutantur, ut in Berachoth f. 14, 1. ex Prov. XIX, 23, ſicut Actor.
XIII,41 ex Habac. I. 5 pro בַּגּוֹיִם legitur בּוֹגְדִים. Alibi literæ aliquot
vel detrahuntur vel adduntur vocibus, alibi transponuntur, alibi 65.
una vox in duas dividitur, vox alia cum alia permutatur, ordo ver- 66, 67.
borum invertitur, quod contingit etiam Matth. XXVII,9, 10 & ali- 68.
bi, imo non ordo ſolum mutatur ſed & quædam adjiciuntur, ut 70.
Hebr. XII, 6 ex Hagg. II,6, interdum quædam omittuntur. Vete- 71.
rum Judæorum is quoque mos eſt, ut, ubi ſenſus literalis obſcurus 74.
eſt, aut rationi legive alii adverſatur, ad allegoricam interpretatio-
nem ſe convertant, ut in Gemara ad Zevachim c. IX,7, id quod in le-
ctione N. T. probe tenendum eſt. Hebræi varios adhibent modos,
ubi concilianda ſunt ea, quæ aliter, ac a Moſe vel Prophetis tradita
ſunt, eveniſſe videntur. Hos exponit Noſter p. 75 ac deinde usque
ad p. 89 ſimiles obſervationes promit, & cum N. T. comparat.

Lib. IV repræſentat antiquam Judæorum rationem Genealo- 89.
gias conſignandi. Sic conſtat, eandem perſonam diverſis gaudere 91.
nominibus, nomina propria deſumi a rebus, quas geſſerunt Viri, 92.
vel a locis, vel agente, ex qua orti ſunt: eadem transpoſitione vel
alio modo mutari ſolent, nec ſemper referenda ſunt ad eos, quibus 93, 94.
communiter tribuuntur, ſed ad illos quoque, qui eis quoad acti-
ones ſimiles ſunt, id quod in Rabbot ſæpe obſervatur, & argumen-
to eſt, Judæos Eliam, Servatoris πρόδρομον, minus recte Eliam pro-
pri: ſic dictum interpretari. Porro in libris Chronic. & Eſræ tranſi- 96.
tus ab una genealogia ad aliam, nonnullis, quæ interjectæ ſunt,
omiſſis, fieri ſolet; viciſſim in Chronic. libris eadem genealogia bis
recenſetur. Interdum diverſæ generationes ob impietatem non 97.
recenſentur, ut monet Raſchi ad Gen. XI & XVI, unus idemque
Vir ad duas tribus refertur, ut Jain 1 Chron. XI,22 ad tribum Judæ & 99.

p. 100. Num. XXXII 41 ad tribum Manaſſis reducitur : filii,parentibus ſive
majoribus neglectis,compendii cauſa enumerantur, & filius primo-
genitus ceteris poſtponitur,ut 1 Chron. XI,18,urbes pro incolis, &
101. incolæ pro urbibus accipiuntur. Nonnunquam duarum matrum
ſit mentio, licet unius poſteritas omittatur &c. Hi canones cum
nonnullis aliis afferuntur a Cl. Autore, & exemplis V. T. inſtruun-
tur, eo fine, ut aditus ad Genealogiam Servatoris noſtri a Matthæo
113. & Luca traditam muniatur, quod ex lib. V manifeſtum evadit. Hic
enim omnem illum apparatum, quatuor prioribus cum cura colle-
ctum, ad palmarium negotium accommodat,& ſingula N. T. dicta
ordine perſequitur, in quibus ad V. T. vel diſertis verbis, vel ſaltem
non obſcure & quod ad ſententiam provocatur. In illorum expli-
catione ita in univerſum occupatur Cl. Autor,ut, conſiderata prius
allegandi formula, modum allegationis cum antiquiori, a Rabbi-
nis recepto, comparet, oſtendatque, nihil vel mutatum, vel addi-
tum, vel detractum, vel tranſpoſitum in V. T. oraculis eſſe, quod
non ſimili modo a Judæorum Doctoribus in aliis exemplis factum
ſit, ita quidem, ut certa & idonea cauſa cujuscunque mutationis
reddi poſſit. Quod dum agit Cl. Autor,ſæpe inculcat, errare omni-
no eos, qui Scriptores N. F. LXX Int. verſionem interdum ample-
xos putent, cum,quæ aliquando inter eos conſenſio occurrat, non
tam deſtinato Apoſtolorum & Evangeliſtarum conſilio tribuenda
ſit, quam inde repetenda, quod verba V. T. adeo manifeſta fuerint,
ut eodem modo explicari Græce debuerint. Qua quidem in re ve-
remur, ut multos inveniat conſentientes. Ex his perſpicitur, cre-
dimus,Cl. Autoris inſtitutum, qui in Præfatione monet Lectorem,
apparatum illum exemplorum, quibus Judaica allegandi Scripturas
ratio explicatur, multis acceſſionibus ab harum rerum ſtudioſo lo-
cupletari poſſe. Addere nobis & hoc liceat, Philonis Judæi,æqua-
lis fere Scriptoris,Opera Lectorem peritum in eadem ſententia con-
firmatura eſſe.

JOHANNIS ORTWINI WESTENBERGII, JCti & Anteceſſoris, Principia Juris ſecundum ordinem Digeſtorum ſeu Pandectarum in uſum Auditorum vulgata.

Har-

Harderovici, typis Hermanni Rampen, 1712, 8.
Alph. 3 plag. 9.

DEcennium eſt & quod excurrit, cum Principia Juris ſecundum ordinem Inſtitutionum D. Juſtiniani conſcriberet in uſum Auditorum publicique juris faceret Celeb. Weſtenbergius, & conſtat ex Actis Anni MDCCV Menſe Majo de Tractatu ejusdem ſingulari de cauſis obligationum, novem Diſſertationes complexo. Jam ipſum Pandectarum opus aggreſſus eſt, non ut Commentarium earum ſiſteret, ſed potius naturalem ordinem perſequeretur, hoc ipſo gratiam legentium ſibi conciliaturus. Nec laude ſua defraudandus eſt, quam perſpicuitate ſtyli & brevi ac concinna rerum præcipuarum delineatione meruit. Hottomanni vero, Duareni ac Bockelmanni veſtigia in eo preſſit, quod ad inveniendum ordinem Pandectarum inprimis Edictum Perpetuum multum adjumenti afferre credidit, cujus & verba ſæpisſime declarationis gratia inſeruit. Ab allegatione interpretum abſtinuit, ne nimium excreſceret labor, collationemque Jurium ſpecialium differendo expeditius, quam eadem cumulando fieri poſſe judicans, poſitiones tantum luculentas tradidit, quibus leges aptas ac neceſſarias cum cura ſubjecit.

DE CONTAGIOSA EPIDEMIA, QUÆ IN Patavino agro & tota fere Veneta ditione in Boves irrepſit, Diſſertatio, Autore BERNARDINO RAMAZZINI, Practicæ Medicinæ Profeſſore Publico.

Patavii, ex typographia Joh. Baptiſtæ Conzatti, 1712, 8.
Plag. 3.

ANnus cum dimidio jam dum effluxit, cum dira quædam contagio inopinanter & violenter ſatis bubulum genus pervaſit, flammæ ad inſtar, quæ ope nulla humana conſopiri, nedum reſtingui poſſet. Hæc primum quidem in Vicentino agro ſubobſcure obſervari cœpit, mox in Patavinum transgreſſa aperte ſe prodidit, ac longe lateque effuſa, usque ad ipſa urbis pomœria magnam ac horrendam boum ſtragem edidit. Quin & in diverſis Germaniæ locis illa obſervata fuit, nec jam omnem ſævitiem depoſuiſſe, ſed in Mediolanenſi ditione adhuc dum graſſari, in Relationibus publicis

per-

Digitized by Google

perhibetur. De hac igitur tam portentoſa boum clade pro more ſuo, ſingulis annis ſibi ſolenni, die 9 Novembris A. 1711, præſenti in Diſſertatione verba facere conſtituit Clariſſimus Ramazzini, hujus morbi indolem, cauſas perveſtigando, & quibus remediis illi obviam ſit eundum, docendo.

Affectum, qui bubulo generi bellum indixit, ex frigore, horripilatione, mox ex calore acri & vehementi per univerſum corpus diffuſo cum pulſus frequentia, febrem eſſe, ſatis liquet; malignam vero, exitialem, peſtilentialem etiam, ſi mavis, eſſe, aperte teſtantur, quæ illam comitantur ſymptomata; qualia ſunt magna anxietas, & gravis anhelitus, etiam cum ſtertore, & in principio febris ſtupor, & ſpecies quædam veterni, continuus ex ore & naribus graveolentis materiæ deſcenſus, fœtidiſſima alvi proluvies, interdum etiam cruenta, anorexia, & abolita penitus ruminatio, puſtulæ quinta vel ſexta die per totum corpus erumpentes, ac tubercula variolarum ſpeciem referentia, communis tandem omnium eodem modo circa quintam & ſeptimam interitus, cum boves pauciſſimi evaſerint. Cauſam ejus a contagioſo fomite deducit Autor. Conſtare dicit, ex boum cohorte, quam e Dalmatia & conterminis regionibus Mercatores in Italiam ſolent adducere, bovem unum a ceteris ſeceſſiſſe, qui a bubulo repertus & in latifundium Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Comitis Trojani Borromei, Canonici Patavini, pro hoſpitio perductus eadem labe, qua erat infectus, hoſpites ſuos fœdavit; illo enim paucos poſt dies mortuo paulatim eodem morbi genere omnes miſere periere, uno tantum ſuperſtite, cui in collo factum fuerat ſetaceum. Non mirum igitur eſt, ſi per aporias & effluvia, quæ ad modum atmoſphæræ exſpirant, a bobus ægris, ab extinctis, a ſtabulis, a paſcuis, quæ ipſimet boves paſcendo infecerant, promtius autem & facilius ab ipſis bubulis & ipſorum veſtibus contagio hæc, ſi in ſubjectum proprium & mumiale, ut vocant, incidat, tam longe lateque ſeſe effuderit. Ubi igitur hæc aura venenata ſubtiliſſima bovem aliquem afflavit, ſpiritibus vitalibus & ſeroſo latici ſe conſocians, dum in orbem agitur, naturalem ſanguinis conſiſtentiam læſit, & viſcerum fermenta corrupit; quare naturales viſcerum functiones paulatim vitiari & debitas excretiones coerceri neceſſum fuit. Supponit enim Clariſſ. Ramazzini, imo

pro

Digitized by Google

pro comperto habet, venenum iſtud eſſe de illorum genere, quæ ſanguinem potius figant, & coagulent, quam diſſolvant. Præter ſymptomata enim, quæ febrim comitari diximus, ocularis hoc teſtatur inſpectio, dum a laniis boves extincti diſſecantur, qui licet adhuc calentes parum aut nihil ſanguinis effundunt, imprimis cum iſti animantis generi ſanguis ex ſua natura craſſus contigerit, & ad tot dies protracta fuerit febris. Sive igitur in bove illo peregrino lues iſta primum fuerit concepta, ſive aliunde contracta, perinde eſt, cum tandem ad aliquod animal ſit deveniendum, in quo productum fuerit morboſum ſeminium. In boum interim cadaveribus omnibus hoc peculiare repertum eſt: in omaſo nempe corpus quoddam durum & compactum, ventriculi parietibus fortiter adhærens, magnæ molis & intolerandæ graveolentiæ; in aliis vero partibus ut in cerebro, pulmonibus, hydatides conſpectæ ſunt, ſicut etiam ingentes veſicæ ſolo flatu plenæ, quæ diſſectæ diram mephitim exhalabant; item ulcera in radice linguæ, & ad illius latera veſiculæ ſero plenæ. Idque corpus durum & compactum inſtar calcis in omaſo primum productum contagioſi miaſmatis fuiſſe judicat Clariſſ. Autor. Prognoſin etiam addit, credens ſcilicet, poſt tot tentamina & experimenta & poſt obſervatam methodum medendi hujus veneni verum & ſpecificum repertum iri medicamentum, quo malignum illud virus penitus extirpari poſſit. Levamen etiam aliquod exſpectat ab adventante hyeme & a ventis aquilonaribus, nec putat, contagium hoc labem corporibus humanis affricare poſſe, quoniam alia animalia ruminantia & cum bobus ſymbolizantia intacta ſunt relicta; nec miaſma illud ab aere ortum ſuum traxerat, modo in tumulandis cadaveribus omnis cura adhiberetur. Pro cura interim ex fonte Chirurgico commendat venæſectionem, inuſtiones lato ferro candenti in collo utrinque faciendas, perforationes aurium, mediante ferro rotundo, indita poſtea radice hellebori, ſetaceum ſub mento; linguam inſimul & palatum aceto & ſale colluere ſæpius, frictionesque parare jubet. Ex fonte Pharmacevtico alexipharmaca, cardiaca & ſpecifica propinari vult, & quidem ex regno vegetabili Chinæ Chinæ uncias tres, in libris 10 vel 12 aquæ cardiacæ cujusdam vel vini non generoſi infundendas, eaſdem pro 4 vel 5 doſibus exhibendo, in febris tamen principio & cum primum

Digitized by Google

bos ægrotare cœperit. Ex Animali ſperma ceti ad drachmas duas in vino tepido diſſolutum. Ex Minerali antimonium diaphoreticum. Contra verminationem Mercurium infuſum aut petroleum cum lacte injiciendum ſuadet. Tandem ex fonte diætetico potiones parari vult ex farina hordei, tritici, panis contriti, inſtar ptiſanæ; & fœni puri, odorati, menſe Majo collecti, in aqua macerationem commendat. Detinendi interim ſunt boves in loco calido, & cuſtodiendi, ſtragulis cooperti, cavendo, quantum poſſibile, ab aere frigido, quotidie ſtabulum ſuffumigando, ex baccis juniperi, galbano & ſimilibus. Pro prophylaxi munditiem injungit ſtabulorum, quorum parietes a cruſta ſunt liberandi, pura itidem alimenta, cavendo, ne fœnum, paleæ & alia a pluviis & illuvionibus fuerint inquinata; parcius quoque eos alendos eſſe exiſtimat. Frictiones itidem utiles erunt non ſolum manu, ſed & ſtrigilibus factæ, & palearia ſub mento candenti ferro perforata & funiculo indito aperta ſervare conveniet.

CONGHIETTURE DEL DOTTOR PIETRO ANTONIO MICHELOTTI, Filoſofo, e Medico d' Arco &c.

i. e.

CONJECTURÆ D. PETRI ANTONII MICHELOTTI, Philoſophi & Medici Arcenſis, circa naturam, cauſas, & remedia morbi in genus bovinum multis in civitatibus, prædiis, & pagis ad ditionem Venetam vicinasque regiones ſpectantibus circa autumnum Anni MDCCXI graſſantis.

Venetiis, apud Joh. Gabrielem Herzium, 1712, 8.

Plag. 4.

SUperiori Diſſertationi Clariſſimi Ramazzini merito jungimus has Clariſſimi Michelotti conjecturas, idem ſcilicet argumentum elucidantes; quoad cauſam tamen a priori diſſentit hic, eam communem & univerſalem, ab aere petendam, ſupponens. Obſervavit enim, per integrum annum ab Octobre 1710 ad menſem usque ei, quo hæc ſcripſit, proximum, circa ſolſtitium hybernale, auſtrinam & pluvioſam fuiſſe conſtitutionem, ventos frigidos ortos, multamque primo vere decidiſſe pluviam, unde propter caloris defectum

ctum nec aquæ thermales debitum effectum ediderint, nec fructus, nec frumenta debito tempore ſuum perfectionis ſtatum nacti fuerint: quam anni omnino conſtitutionem occaſionalem eſſe potuiſſe febris malignæ cauſam, genus bovinum infeſtantis, putat, ſanguinis inde maſſam coagulantem ejusque fermentationem naturalem turbantem. Nec ſibi perſuadere poteſt, ab exteris bobus indigenis fomitem mali communicatum eſſe, cum, qui ſumma cura cuſtoditi & ab aliorum commercio remoti fuerint boves, idem malum perpeſſi eſſent. Pro præſervatione optat mutationem conſtitutionis autumnalis in hyemalem & aeris pluvioſi in ſerenum. Ducere porro jubet boves in loca ſicca, moderate calida, a Sole perluſtrata, omnem autem atmoſphæram humidam & defatigationem ab iisdem arcere, pro potu aquam tepidam ex fonte limpido hauriendam, & cum tantillo ſalis commiſcendam præbere, bonæ ſortis fœnum offerre, & ſtabula cum lignis odoratis, e. g. cupreſſi, lauri, ſuffumigare. Quoad curam non multus eſt in excogitando appropriato remedio, bene gnarus, quam difficile ſit, ejusmodi animalibus medicamenta obtrudere, vel eorundem juſtam doſin excogitare; talia certe ea eſſe debere aſſerit, quæ motum ſanguinis accelerent, & violentam fermentationem ſupprimant. Hæc de libellis his nuper ad nos allatis. Ceterum cum plura in Italia opuscula hactenus de boum epidemia prodiiſſe, ex Diario Veneto Anni 1712 didicerimus, de iis quoque, Diarii hujus fide, ſuccincte agemus Suppl. T. V Sect. X.

CONTINUATIO DEMONSTRATIONUM JO. BERNOULLI, quarum initium Menſi ſuperiori pag. 77 ſeqv. inſertum eſt.

Problema I.

§. 35.

Tendat vis uniformis gravitatis directe ad planum horizontis, ſitque reſiſtentia ut medii denſitas & quadratum velocitatis conjunctim, requiritur tum medii denſitas in locis ſingulis, quæ faciat ut corpus in data quavis linea curva moveatur, tum corporis velocitas in iisdem locis; tum & ratio reſiſtentiæ ad gravitatem.

Solutio. Sit LC curva data quæcunque; LR ejus axis; IO evoluta, ex cujus nempe evolutione deſcribitur curva LC; radius evo- TAB. I. Fig. 3.

 lutæ

Digitized by Google

lutæ *CO* pertinens ad punctum *C*; ejus coradius *CG* & ſubradius *OG*, hoc nomine voco perpendicularem ex centro circuli oſculantis ductam ad lineam directionis gravitatis & quæ coradium terminat. Sit quoque *EN* curva velocitatum, cujus nempe ordinata *NR* exprimit velocitatem projectilis in *C*, ſicuti *EL* exprimit velocitatem initialem quacum illud exit ex puncto *L* ſecundum directionem horizontalem, etſi forte curva hanc directionem nusquam habeat, inſervit enim hæc ſuppoſitio pro omnibus directionibus. Sit porro curva *PQV* Parabola ſuper communi axe continuato *PT* deſcripta, cujus applicata quælibet *VT* exprimat velocitatem quam grave acquireret ſi ex altitudine *PT* ſola vi gravitatis deſcenderet in medio non reſiſtente.

§. 36. Hiſce ita præparatis, conſideremus qua cauſa fiat, ut projectile in motu ſuo haud deſerat curvam *LC*, ſed ei ſemper inhæreat quaſi alligatum eſſet extremitati *C* fili *CO*, quod ab initio curvæ *OI* circumplicatum & ad *L* usq; protenſum eſſet, poſtea evolveretur, & hoc motu corpus curvam *LC* deſcriberet, utpote quod a filo continue retineretur, ne in quolibet puncto *C* evaderet ſecundum tangentem *CS*, id quod ſubito ſoluto filo neceſſario contingeret, niſi gravitas & medii reſiſtentia hoc impediret: Jam vero cum, ut videtur, libere moveatur projectile in curva, aliquid aliud adeſſe debet quod fili retinentis vires ſubeat, quodq; in quolibet puncto *C* tantum vim activam exerat ad trahendum corpus ſecundum directionem *CO*, quantam alias reſiſtentiam paſſivam præberet filum impediendo tantum ne elaberetur corpus ſecundum tangentem, quæ reſiſtentia, ut patet, æqualis eſt vi centrifugæ qua illud naturaliter conatur recedere a centro, dum continuo affectat directionem ſuam naturalem ſecundum rectam tangentem in puncto *C*, in quo verſatur.

§. 37. Retinetur itaque projectile in curva *LC*, quia in ſingulis hujus punctis urgetur duabus viribus oppoſitis & æqualibus, una nimirum extrorſum ſecundum directionem *OC*, ex gyratione circa *O* acquiſitam, altera introrſum ſecundum directionem *CO* priori oppoſitam, quæ producitur ab actione gravitatis normaliter ad curvam derivatæ. Vis prior ex natura corporum gyrantium ſe habet conjunctim ut quadratum velocitatis directe, & longitudo radii

CO in-

CO inverſe: poſterior vero quæ a gravitate exercetur ſecundum normalem ad curvam ſe habet ad ipſam gravitatem abſolutam, ut coradius *CG* ad radium *CO*, per compoſitionem virium. Erit igitur ubique $\frac{NR^2}{CO}$ ut $\frac{CG \times G}{CO}$ (per *G* intelligo gravitatem abſolutam) hoc eſt ob datam G ut $\frac{CG}{CO}$, adeoque *NR* ut $\sqrt{CG}$, ex quo patet velocitatem mobilis in quolibet puncto *C*, ſe habere in dimidiata ratione coradii, hoc eſt $NR, EL :: \sqrt{CG}. \sqrt{LI}$. Quod erat inveniendum pro velocitate.

§. 38. Reſiſtentia determinatur hoc pacto: Corpus grave verticaliter deſcendens in medio non reſiſtente dum percurrit *Tt* velocitate acquiſita *VT*, acquirit incrementum velocitatis *iu* æquale incremento *bn*, quod acquirit projectile ſimili velocitate *NR* percurrendo *Cc*; ſunt autem corporum æquevelocium ſpatiola percurſa *Tt*, *Cc*, ut tempuſcula, quibus percurruntur, tempuſcula vero ſunt reciproce, ut vires incrementa æqualia velocitatum producentes; Ergo etiam hæ vires ſunt reciproce ut ſpatiola percurſa, hoc eſt $G. \frac{OG \times G}{CO} \pm R :: Cc. Tt$ (per *R* intelligo vim Reſiſtentiæ, quæ ad vim gravitatis normalem & per $\frac{OG \times G}{OC}$ expreſſam addenda eſt in aſcenſu, & ſubtrahenda in deſcenſu, ad habendam vim retardatricem vel acceleratricem $\frac{OG \times G}{CO} \pm R$; notandum itaque in ambiguitate ſignorum, ſuperius pro aſcenſu, inferius pro deſcenſu valere.) Porro cum velocitas in *L*, tanta ſit, quantam acquireret, ſi grave in vacuo hoc eſt in medio non reſiſtente neque gravitatem imminuente, quale hic ſub *non reſiſtente* ſemper ſubintelligitur, deſcenderet per altitudinem æqualem ſemiradio Evolutæ, ſicuti Hugenius monſtravit de corpore circulariter gyrante, nam vis centrifuga in quolibet curvæ puncto tanta cenſetur, quanta foret, ſi mobile eadem celeritate gyraret in circulo curvam in eo puncto oſculante, quia linea curva & circulus oſculator eandem habent curvaturæ quantitatem in puncto oſculi. Erit ergo $PD = \frac{1}{2} LI$; & ob $\sqrt{PT}. \sqrt{PD} ::$ (per naturam parabolæ) $VT. QD :: NR. EL ::$

Digitized by Google

$\surd CG. \surd LI$, erit $PT. PD :: CG. LI$, unde $PT = \frac{1}{2} CG$, earumque elementa dPT ſeu $Tt = \frac{1}{2} dCG$; In ſuperiori itaque analogia $G. \frac{OG \times G}{CO} \pm R :: Cc. Tt$, pro $\frac{OG}{CO}$ ſubſtituatur æquivalens $\frac{Cb}{Cc}$, & pro Tt ſcribatur $\frac{1}{2} dCG$, prodibit $G. \frac{Cb \times G}{Cc} \pm R :: Cc. \frac{1}{2} dCG$, unde $R = \frac{G \times \overline{2Cb - dCG}}{\mp 2Cc}$, vel $R. G :: 2Cb - dCG. \mp 2Cc$: hoc eſt Reſiſtentia ſe habet ad Gravitatem ut duplum elementi abſciſſæ demto elemento coradii ad duplum elementi curvæ propoſitæ; Quod ſi vero elementum coradii ſit negativum, vel quod idem eſt ſi creſcentibus abſciſſis LR, decreſcant coradii CG, ſicuti fit ſi curva LC eſt ex. gr. circulus, habebit ſe Reſiſtentia ad Gravitatem ut duplum elementi abſciſſæ auctum elemento coradii affirmative ſumto ad duplum elementi curvæ propoſitæ. Quod erat inveniendum pro Reſiſtentia.

§. 39. Hinc liquet eandem proportionem obſervari, tam in aſcenſu quam in deſcenſu projectilium per curvam, hoc tantum diſcrimine, quod reſiſtentia in aſcenſu negativa ſit, ſi ea quæ in deſcenſu eſt affirmativa, & viciſſim; Reſiſtentia autem negativa, hoc eſt, talis quæ motum juvet, phyſice eſt impoſſibilis; unde manifeſtum eſt, duo media poſitive reſiſtentia excogitari non poſſe, in quorum uno aſcendens projectile eandem curvam deſcribat, quam deſcribit in altero deſcendens.

§. 40. Neque igitur in uno medio utcunque variante ratione denſitatis mobile deſcribere poteſt curvam, quæ habeat circa axem duas partes ſimiles vel easdem, adeoq; parabolæ omnes cujuscunq; gradus (excepta parabola conica, quæ ſola in medio non reſiſtente, vel ſaltem in medio denſitatis infinite parvæ deſcribi poteſt,) & ejusmodi aliæ curvæ, quæ circa axem verticalem ab utraque parte deorſum verſus extenduntur in ramos ſibi mutuo ſimiles, in natura rerum admitti non poſſunt, etſi vel maxime mediorum denſitates pro arbitrio moderari in noſtra poteſtate eſſet. Ubi enim reſiſtentia in aſcenſu eſt poſitiva eoque nomine phyſice poſſibilis, eo ipſo fit negativa in deſcenſu & ideo impoſſibilis; vel vice verſa, ſi poſſibilis eſt deſcendendo, fit pro aſcenſu impoſſibilis utpote negativa.

§. 41.

§. 41. Utrum vero Linea aliqua aſcenſu an deſcenſu deſcriptibilis ſit, cognoſcitur ex ipſa noſtra formula $R = \frac{G \times \overline{2Cb - dCG}}{\mp 2Cc}$ in qua ſi dCG ſuperat $2Cb$, aſcenſus eſt poſſibilis, ſecus vero deſcenſus; contrarium accidit cum $2Cb$, majus eſt quam dCG. Ergo ubi neutrum neutro majus eſt, ſeu cum $2Cb = dCG$, id quod fit in parabola communi, hoc ſolo caſu aſcenſus & deſcenſus eſt poſſibilis, reſiſtentia quippe tunc nulla eſt.

§. 42. Quod ſi vero Linea data EC ejus ſit conditionis, ut creſcentibus abſciſſis LR decreſcant coradii CG, & ideo etiam velocitates NR, ſicuti fit in circulo, erunt elementa dCG negativa, atque ideo R ad G, ſeu reſiſtentia ad gravitatem ut $2Cb + dCG$ ad $\mp 2Cc$, ſeu, quemadmodum jam monuimus, ut duplum elementi abſciſſæ auctum elemento coradii poſitive ſumto ad duplum elementi curvæ ipſius propoſitæ, cujus rationis exponens cum ſemper ſit negans in aſcenſu, & ſemper affirmans in deſcenſu, patet omnes ejusmodi Lineas curvas in univerſum ſumtas pro ſolo deſcenſu inſervire poſſe, quod in circulo quidem obſervavit ſummus Newtonus pag. 266, ſed in aliis inobſervatum præteriit: Verum & hoc inſuper patet, quod obiter tango, pro circulo in ſpecie, in quo elementum coradii poſitive ſumtum, elemento ipſius abſciſſæ æquale eſt, haberi $R.G$ :: $3Cb.\ 2Cc$ :: (vid. Fig. Newt. pro circulo) $3OG.\ 2OK$, quod jam ſupra oſtenſum confirmat.

§. 43. Cum igitur pro determinatione reſiſtentiæ in qualibet curva requiratur cognitio *Coradii* evolutæ, vel circuli oſculatoris, non alienum erit, ſi commodam hic pro eo exhibeam formulam. In Actis Lipſ. an. 1701 pag. 137 dedi modum univerſalem exprimendi in differentialibus tantum primis radium oſculi ſeu evolutæ, quippe quem oſtendi æqualem eſſe $\frac{dt^3}{dudy^2}$ (per u intelligo quantitatem ex x, y & conſtantibus utcunque compoſitam in æquatione differentiali ad curvam $dx = udy$, ad talem enim omnes reduci poſſunt:) quoniam igitur radius evolutæ eſt ad ſuum coradium ſemper ut elementum curvæ ſeu dt ad elementum applicatæ ſeu ad dy, invenietur coradius $= \frac{dt^2}{dudy}$.

§. 44.

Digitized by Google

§. 44. Inventis hoc modo celeritate & reſiſtentia, ſupereſt ut medii Denſitas D quoq; determinetur: Hæc autem ex illis fluit independenter a natura curvæ, nam deducenda eſt ex ſola hypotheſi, ſive ſit arbitraria ſive naturalis; Sic ſi R hic ponatur $= VVT$, hoc eſt ſi reſiſtentia ſit in ratione compoſita ex duplicata velocitatis & ex ſimplici Denſitatis, erit $D = \frac{R}{VV}$, ſeu Denſitas erit conjunctim ut reſiſtentia directe & quadratum velocitatis inverſe; ita ut nihilo alio opus ſit quam ſupra inventum valorem ipſius R dividere per quadratum velocitatis, ſive per coradium CG.

§. 45. Si quis hanc regulam ſequatur, comperiret quod ſupra dixi, ſimilem nempe lapſum identidem commiſſum circa hyperbolam in Opere Newton. pag. 268, ubi Vir Inclytus invenit Reſiſtentiam ad Gravitatem ut XY ad YG (vid. ipſius Fig.) pro quo ſcribendum eſt ut $3\,XY$ ad $2\,YG$; ſicuti etiam pag. ſequ. 269, qua agitur de hyperbola gradus indefiniti n, pro aſſignata ratione reſiſtentiæ ad gravitatem ut XY ad $\frac{3nn+3n}{n+2}VG$, ſubſtitui oportet hanc alteram ut XY ad $\frac{2nn+2n}{n+2}VG$. Nec non pag. 274 (ſerperet enim error per omnia quotquot fierent exempla) ubi applicatio inſtituitur ad parabolam indefiniti pariter gradus n, concluditurque Reſiſtentia ad Gravitatem, ut (vid. Fig. Autoris) TG ad $\frac{3nn-3n}{n-2}VG$, ſed rectius ut TG ad $\frac{2nn-2n}{n-2}VG$; & quidem pro deſcenſu, nam pro aſcenſu ponendum eſt ut TG ad $\frac{2nn-2n}{2-n}VG$; ita ut aſcenſus hic non quolibet caſu ſit in natura poſſibilis, ſed tunc tantum quando n ſimul major eſt unitate & minor binario, ſecus enim ſi extra hos limites cadit, parabola non niſi pro deſcenſu inſerviet, hoc eſt grave cum debita velocitate ex A projectum ſecundum tangentem, deſcribere quidem poteſt arcum AX deſcendendo, ſed non arcum AG aſcendendo; quod ipſe ſagaciſſimus Newtonus animadvertiſſe non videtur. Sed pergo ad ſolutionem problematis quod Newtoniano multo eſt generalius.

Proble-

Digitized by Google

Problema II.

§. 46. *Tendat Vis gravitatis non uniformis ſed quacunque data lege variabilis, ad punctum aliquod datum tanquam ad centrum virium, ſitque reſiſtentia utcunque ex ratione denſitatis & velocitatis compoſita: Quæruntur velocitas, reſiſtentia, & denſitas in locis ſingulis, quæ faciant, ut corpus in data quavis Linea moveatur.*

Solutio. Eſto itaque LC curva quævis data; centrum virium X, per quod ducta recta LX pro axe habeatur, & quævis alia CX pro linea directionis; ſit item evoluta IO, radius ejus CO pertinens ad quodvis punctum C, coradius CG & ſubradius OG, angulum rectum facientes ad G. Centro X, radioque XC deſcripto arcu CR, & eidem proximo cr; ad puncta R, r, intelligantur applicatæ RN, rn, quæ deſignent velocitates mobilis in C, c, ita ut N, n, ſint in curva velocitatum ENn. TAB. I. Fig. 5.

§. 47. Concipiatur nunc ſuper axe PD in LX prolongato, parabola PQ, cujus applicata quælibet QD exprimat velocitatem quam in medio non reſiſtente corpus aliquod acquireret, ſi ex altitudine PD deſcenderet vi uniformis gravitatis æqualis ei quam habet projectile in L: Concipiatur præterea ſuper eodem axe alia parabola PV, cujus quævis applicata VT ſimiliter deſignet velocitatem, quam mobile aliquod acquireret ſi in medio non reſiſtente caderet ex altitudine PT, vi uniformis gravitatis æqualis ei quam projectile habet in diſtantia RX vel in loco C.

§. 48. Quod ſi jam velocitatem in C, hoc eſt applicatam NR determinare lubeat; ſimili argumento quo ſupra §. 37 factum eſt concludam, ob æqualitatem vis centrifugæ & vis oppoſitæ retractionis a gravitate oriundæ, $\frac{NR^2}{CO}$ ſe habere ut $\frac{CG \times G}{CO}$ (per G jam intelligo gravitatem vel vim centralem data lege variabilem) adeoque NR^2 ut $CG \times G$, & NR ut $\sqrt{CG \times G}$; hinc ſequitur velocitatem projectilis in quovis puncto C, eſſe in ratione compoſita ex ſubduplicata coradii & ſubduplicata vis gravitatis, ſeu $NR.\ EL :: \sqrt{CG \times G}.\ \sqrt{LI \times g}$, per g intelligo vim gravitatis in diſtantia XL, vel in ipſo loco L.

§. 49. Reſiſtentiam venabimur hac ratione: Ex punctis E & N

Q ductæ

Digitized by Google

ductæ concipiantur duæ rectæ parallelæ axi LX ſecantes parabolas PQ & PV in punctis Q & V; ex quibus applicentur QD & VT: Quoniam itaque altitudines PD & PT ſupponuntur ſpatia percurſa in medio non reſiſtente a duobus corporibus, quorum unum a vi gravitatis uniformis g, alterum a vi gravitatis uniformis G urgetur, erunt per *Theor. II* celeritates acquiſitæ conjunctim in ſubduplicata ratione tam virium quam ſpatiorum emenſorum, hoc eſt $\sqrt{PT \times G}.\ \sqrt{PD \times g} :: VT.\ QD :: NR.\ EL :: \sqrt{CG \times G}.\ \sqrt{LI \times g}$, adeoque $PT.\ PD :: CG.\ LI$: Eſt vero ex Hugenianis ſupra citatis $PD = \frac{1}{2} LI$; ergo etiam $PT = \frac{1}{2} CG$. Quare ſi ducta intelligatur rectæ NV parallela nu, & applicata tu, ut habeatur particula Tt, quam dum corpus per gravitatis vim G velocitate VT percurrit, projectile vero æquali velocitate NR percurrit particulam curvæ Cc, utrumque acquirit æquale velocitatis incrementum, illud nempe iu, hoc bn: unde ſimili ratione ut ſupra §. 38 factum elicio $G.\ \frac{OG \times G}{CO} \pm R :: Cc.Tt$, vel etiam $G.\ \frac{Cb \times G}{Cc} \pm R :: Cc.\ Tt$.

§.50. Ut vero innoteſcat quid hic ſit Tt, advertendum eſt, ob variabilitatem gravitatis G, etiam parabolam PV eſſe variabilem; quare huic proxima intelligatur parabola Pw, cujus nempe applicata quælibet $w\theta$ exprimat velocitatem acquiſitam in medio non reſiſtente pro altitudine $P\theta$ a vi gravitatis uniformis & æqualis ei quam projectile habet in c, vel in diſtantia Xr, hoc eſt quæ ſit $G + dG$. Sit itaq; $w\theta$ applicata ex puncto w, in quo parabola illa ſecat rectam nu. Jam vero ex eo quod PT ſit ſemper $= \frac{1}{2} CG$, adeoq; & $P\theta =$ ſemicoradio ad punctum c pertinenti, erunt & differentiæ inter ſe æquales, ſeu $T\theta = \frac{1}{2} dCG$. Verum ob tw & tu æquales, quæ velocitates denotant in θ & t a gravitatibus uniformibus $G + dG$ & G generatas, erunt quoq; producta ſpatiorum percurſorum per reſpectivas gravitates æqualia, utpote quæ quadratis iſtarum velocitatum proportionantur per Theor. II. Hoc eſt $P\theta \times \overline{G + dG} = Pt \times G = \overline{P\theta + \theta t} \times G$, & demtis æqualibus remanebit $\theta t \times G = P\theta \times dG =$ (ob differentiam inaſſignabilem inter PT & $P\theta$) $PT \times dG$, ideoque $\theta t = \frac{PT \times dG}{G}$, aggregando itaque $T\theta$ & θt, habebitur $Tt = \frac{1}{2} dC$

$G +$

Digitized by Google

$G + \frac{PT \times dG}{G} = (\text{ob } PT = \tfrac{1}{2}CG)\, \tfrac{1}{2}dCG + \frac{CG \times dG}{2G} = \frac{G \times dCG + CG \times dG}{2G} = \frac{d\overline{CG \times G}}{2G}$. Suffecto hoc valore ipſius Tt in analogia ſuperiori prodit $G.\ \frac{Cb \times G}{Cc} \pm R :: Cc.\ \frac{d\overline{CG \times G}}{2G}$, ex qua habetur $R = \frac{2Cb \times G - d\overline{CG \times G}}{\mp 2Cc}$.

§. 51. Quod ut ſymbolice exprimatur (poſitis Rr vel Cb, dx; bc, dy; $Cc, dt = \sqrt{dx^2 + dy^2}$,) velocitas quæ ſupra inventa eſt proportionalis ipſi $\sqrt{CG \times G}$, vocetur v, adeoque vv pro $CG \times G$, & $2v\,dv$ pro $d\overline{CG \times G}$ ſcribi poteſt; quo facto Reſiſtentia R erit $= \frac{G\,dx - v\,dv}{\mp dt}$.

§. 52. Nota interim, quod cum Rr vel Cb vel dx conſiderari poſſit tanquam differentiale ipſius XC vel XR æque ac ipſius LR, cum qua creſcente, & ipſa vis gravitatis G & velocitas v ut creſcentes ſupponuntur, dum in Schemate parabola Pw major quam parabola PV & recta rn major quam recta RN repræſentantur; hinc quoque in applicatione regulæ ad exempla, dx & dG contrariis ſignis ſunt afficiendæ, ſi XC vel XR vocetur x, quia tunc x & G contraria ratione creſcere ſupponit figura: adeoque manente dG & dv cum ſigno ſuo, pro $+dx$ ſcribendum eſt $-dx$, & $+dx$ pro $-dx$. Sed ſi LR dicatur x, nihil in ſignis mutandum erit, quod majoris cautelæ gratia monuiſſe ſufficiat.

§. 53. Denſitas medii poſt velocitatis & reſiſtentiæ inventionem ex qualibet hypotheſi aſſumta nunc ſponte fluit, ut ſupra jam vidimus; ex. gr. ſi $R = vvD$, hoc eſt ſi reſiſtentia ſupponatur in ratione compoſita ex ſimplici denſitatis & duplicata velocitatis, habebitur viciſſim Denſitas ut Reſiſtentia directe & quadratum velocitatis inverſe, adeoque $D = \frac{R}{vv} = \frac{G\,dx - v\,dv}{\mp vv\,dt}$. Et in univerſum ſi ſupponatur $R = v^n D$ (per n intelligo exponentem cujusvis poteſtatis) erit utique $D = \frac{R}{v^n} = \frac{G\,dx - v\,dv}{\mp v^n\,dt}$.

Digitized by Google

§. 54 Ad exempla non deſcendo, cum præſertim hanc materiam alio modo & via analytica jam olim pertractaverim, cujus quoddam ſpecimen, ante aliquot annos Illuſtr. Academiæ Scient. Reg. Gall. exhibui, commentariis ſuis annuis ſi dignum deprehenderit publicandum, quod quidem jam factum percipio in Tomo ad A. 1710 qui nuper demum prodiit. Unici tamen exempli loco, quod inſtar omnium ſit ſumamus Spiralem logarithmicam, quæ radios omnes ex centro virium ductos interſecat ad angulos rectos.

TAB. I. Fig. 5. §. 55. Eſto igitur *LC* talis ſpiralis, centrum virium *X*, ex quo ducta quælibet *XC*, faciat cum curva angulum datum *XCc*, cujus ſecans ſit ad ſinum totum ut *m* ad 1. Ponatur vis gravitatis, vel vis centripeta, reciproce ut dignitas quælibet *n* data, diſtantiæ locorum, aut quod perinde eſt ponatur $G = \frac{1}{XC^n} = XC^{-n}$, ut & $R = vvD$. Nunc quoniam in hac curva puncta *G* & *X* coincidunt, ſive $GC = XC$, erit $v\ (\sqrt{CG \times G}) = XC^{\frac{1-n}{2}}$, $R\ \left(\frac{Gdx - vdv}{\pm dt}\right) = \frac{3-n}{\pm 2m} XC^{-n}$, & $D\left(\frac{R}{vv}\right) = \frac{3-n}{\pm 2m} XC^{-1}$; hoc eſt velocitas in ſingulis locis *C* eſt ut dignitas diſtantiæ locorum, cujus index eſt $\frac{1-n}{2}$; Reſiſtentia ut ejuſdem alia dignitas cujus exponens eſt $-n$ multiplicata per coefficientem $\frac{3-n}{\pm 2n}$, vel, quia hic invariabilis eſt, ſimpliciter ut diſtantiæ dignitas exponentis $-n$, niſi ſit $n = 3$, quo caſu evaneſcente iſto coefficiente, & ipſa reſiſtentia evaneſceret ſeu evaderet nulla: Denſitas demum eſt, ut diſtantiæ dignitas cujus index eſt -1, ducta etiam in coefficientem $\frac{3-n}{\pm 2m}$, vel ſimpliciter reciproce ut diſtantia locorum: niſi ſit pariter $n = 3$, nam & Denſitas hoc caſu evaneſceret; quod quidem ex reſiſtentia evaneſcente ſtatim manifeſtum erat. Ex quibus omnibus varia fluunt conſectaria.

Conſect. I.

§. 56. Si *n* major quam 3, ſpiralis per aſcenſum; ſin minor, per deſcenſum deſcribitur; ſi vero $n = 3$, poterit illa per aſcenſum & per deſcenſum deſcribi, tunc enim tam denſitas quam reſiſtentia

nulla

nulla eſt, unde patet ſpiralem logarithmicam deſcribi in medio non reſiſtente, cum vis gravitatis ſeu vis centripeta eſt reciproce ut cubus diſtantiæ a centro virium, quod in ipſo centro curvæ exiſtit; prorſus ut Newtonus invenit pag. 47, licet vox *reciproce* ibi ſit omiſſa, lapſu ut credo typothetæ.

Conſect. II.

§. 57. Sequitur ex noſtra demonſtratione, Virum ſæpe laudatum propoſitioni ſuæ *X V* pag. 284 non omnem dediſſe amplitudinem, quam dare potuiſſet, quando dicit, *Si medii denſitas in locis ſingulis ſit reciproce ut diſtantia locorum, ſitque vis centripeta in duplicata ratione denſitatum*, quod *corpus gyrari poteſt in ſpirali, quæ radios omnes a centro illo ductos interſecat in angulo dato*; ſi enim dixiſſet in *quacunque multiplicata ratione denſitatum*, propoſitio in hoc ampliori ſenſu ſumta non minus vera fuiſſet: quovis quippe numero pro *n* admiſſo in dignitatem diſtantiæ locorum exurgit medii denſitas reciproce ut ipſa diſtantia, excepto ſi vis caſu quo $n = 3$, qui denſitatem facit nullam vel potius infinite parvam, ita ut aliquo ſenſu etiam ſit reciproce ut diſtantia locorum; cum nihil obſtet, quo minus infinite parva inter ſe comparentur, non minus quam finita.

Conſect. III.

§. 58. Quandoquidem igitur ſuppoſita vis centripeta in quacunque ratione multiplicata diſtantiæ ſive directa ſive reciproca, ſemper requirit pro ſpirali logarithmica deſcribenda medii denſitatem reciproce ut diſtantiam ſimplicem; revidendam commendamus Illuſtri Newtono demonſtrationem ſuam prop. 16 pag. 288, qua aſſerit *medii denſitatem poſſe eſſe reciproce, ut quavis dignitas diſtantiæ locorum, dummodo vis centripeta ſit reciproce ut diſtantia in dignitatem illam ducta.*

Conſect. IV.

§. 59. Cum ſupra §. 49 inventa ſit $PT = \frac{1}{2} CG$, ſequitur corpus in medio non reſiſtente gyrari poſſe in circulo cujus radius $= CG$, quando eadem vi gravitatis ad centrum urgetur & eadem celeritate gyratur quas habet mobile in curvæ puncto *C*: fiunt enim hoc pacto vis centripeta & vis centrifuga æquales: Unde in ſpeciali exemplo Logarithmicæ ſpiralis, ubi punctum *G* cadit in *X*, veloci-

 tas

Digitized by Google

tas in loco quovis C, ea ſemper eſt, qua cum corpus in medio non reſiſtente gyrari poteſt in circulo ad eandem a centro diſtantiam XC: quod idem invenit Vir ſummus, quanquam pro ſua tantum hypotheſi nimis reſtricta de vi centripeta in duplicata ratione denſitatis. vid. Coroll. I. pag. 285.

Confect. V.

§. 60. Mutetur jam ſpiralis obliquitas, ita ut anguli XCc ſecans ſit ad ſinum totum, ut p ad 1; erit jam denſitas ad denſitatem in priore ut $\frac{3-n}{+2p} XC^{-1}$ ad $\frac{3-n}{+2m} XC^{-1}$, hoc eſt, ſi datur diſtantia XC, ut $\frac{1}{p}$ ad $\frac{1}{m}$; adeoque denſitas proportionalis eſt $\frac{Cb}{Cc}$ ſive $\frac{OG}{OC}$; ſi vero diſtantia illa non datur, erit denſitas ut $\frac{OG}{OC \times XC}$: Quod congruit corollario 2[do] Newtoniano pag. 285 & 286 quamvis ex particulari hypotheſi deducto.

Confect. VI.

§. 61. Vis reſiſtentiæ $\frac{3-n}{2m} XC^{-n}$ poſitive ſumta eſt ad vim centripetam XC^{-n} ut $\frac{3-n}{2}$ ad m; in hypotheſi vero particulari ubi $n=2$, erit ut $\frac{1}{2}$ ad m; hoc eſt ut $\frac{1}{2}\, Cb$ ad Cc ſive ut $\frac{1}{2}\, OG$ ad OC; Sic igitur tertium Coroll. Newton. pag. 286 in hoc tantum caſu valet. Idem etiam de coroll. ſequenti 4[to] dici poteſt: Nam licet in caſu iſto corpus nequeat gyrari in ſpirali logarithmica, niſi cum vis reſiſtentiæ minor eſt quam dimidium vis centripetæ, poteſt tamen gyrari in quacunque ſint alia ratione duæ illæ vires, ſi tantum n debito modo major minorve ſupponatur quam 2: Si ex. gr. $n=1$, hoc eſt ſi vis centripeta ſit ut ipſa medii denſitas, vel reciproce ut diſtantia locorum; erit vis reſiſtentiæ ad vim centripetam ut 1 ad m, nempe ubiq; ut Cb ad Cc ſeu ut OG ad OC, unde patet corpus in hac ſpirali gyrari poſſe, modo vis reſiſtentiæ minor ſit quam tota vis centripeta. Et quod ſingulare eſt in hoc caſu, velocitas ubique eſt uniformis, fit enim $v\left(XC^{\frac{1-n}{2}}\right) = XC^{\frac{0}{2}} = 1$.

Digitized by Google

Con-

Conſect. VII.

§. 62. Liquet porro, cum in velocitatis expreſſione $v = X C^{\frac{1-n}{2}}$, non ingrediatur littera *m*, fore velocitatem in diſtantiis, a centro æqualibus in omnibus hiſce ſpiralibus æqualem, adeoq; tempora aſcenſus vel deſcenſus eſſe ut ipſas longitudines ſpiralium, & quidem in generali hypotheſi, ſicuti Newton. pag. 286 Coroll. 5 idem indicat pro caſu particulari $n = 2$. Sed multa alia prætereo, atque Lectoris ut quousque noſtra cum Newtonianis conveniant, ipſe examinare poſſit, lubens relinquo.

§. 63. Quod ſupereſt non neceſſe duco, ut multis moneam, Regulam noſtram generalem de motu projectilium in mediis reſiſtentibus comprehendere etiam caſus omnes qui formari poſſunt de mediis non reſiſtentibus. Velocitas quippe quæ independenter a reſiſtentia ſe habet ut $\sqrt{CG \times G}$ ſi ducitur in tempuſculum quo percurritur lineola Cc, & quod tempuſculum in medio non reſiſtente proportionale eſſe areæ circa centrum virium deſcriptæ, hoc eſt, triangulo CXc vel ejus duplo $CX \times bc$ eleganter demonſtravit Newtonus pag. 37, provenit ipſa lineola percurſa Cc, ut productum, nempe ut $CX \times bc \times \sqrt{CG \times G}$; (eſt enim ſpatium uniformi velocitate percurſum in ratione compoſita ex velocitate & tempore) ſumtisque quadratis erit Cc^2 ut $CX^2 \times bc^2 \times CG \times G$; unde G ſe habebit ut $\frac{Cc^2}{CX^2 \times bc^2 \times CG}$; ſeu (quia ducta perpendiculari XS ad tangentem $\frac{Cc}{bc} \doteq \frac{CX}{SX}$, & ob ſimilia triang. OCG & XCS, $CG \times CX = OC \times SX$) ut $\frac{CX}{OC \times SX^3}$, quod ipſiſſimum eſt Theorema pro lege virium invenienda ex natura curvæ datæ, mihi olim ſed ſine demonſtratione transmiſſum a perexímo Geometra Abrahamo Moyvræo, a me poſtea cum demonſtratione quamvis ex alio fundamento petita remiſſum. Eo itaque inſtar formulæ uti licebit ad determinandam vim centripetam ex natura curvæ datæ, ſive etiam hanc ex illa, & ex utravis celeritatem ac tempus periodicum.

§. 64. Hoc vero magni diſcriminis obſervandum eſt inter utrum-

Digitized by Google

utrumque, quod prius ubi data curva quæritur vis centripeta, peragitur per methodum differentialium directam, adhibendo nudam tantum & ſimplicem terminorum differentiationem: Sed poſterius, quo nempe ex data lege virium quærenda eſt curva, paulo pluſculum laboris requirit in quibusdam exemplis, in quibusdam aliis ne quidem in poteſtate adhuc eſt, conceſſis licet figurarum quadraturis: nam tunc conſulenda venit methodus integralium, quæ prioris eſt inverſa, ſed nondum ad optatam perfectionem evecta.

§. 65. Interim quod non eſt ſilentio prætereundum, ſæpe per hanc methodum, ut fieri ſolet, plures diverſi generis curvæ eidem quæſito ſatisfaciunt: Sic ex. gr. ſi quæratur curva quam mobile in medio non reſiſtente deſcribit, ſuppoſita vi centripeta in ratione reciproca cuborum diſtantiarum, cui quæſito ſupra cum Celeb. Newtono diximus reſpondere Spiralem Logarithmicam; præterea aliam alius generis ſpiralem ſatisfacere dudum obſervavi, quæ hanc habet naturam, ut ducta recta ex umbilico ad quodvis in curva punctum ſit reciproce proportionalis angulo, quem eadem recta cum alia poſitione data conſtituit: vel quod eodem recidit, Sit X centrum circuli ABH & ſimul umbilicus ſpiralis CDE, hac proprietate gaudentis, ut ad ejus quodvis punctum C ducta recta XC ſe habeat reciproce ut arcus AB initium ſumens a puncto quodam fixo A; ſeu ſi mavis ut rectangulum $XC \times AB$ ſit dato æquale, ita ut non incongrue hæc ſpiralis vocari poſſit *Hyperbolica*, vel etiam *Archimedea inverſa*, utpote quæ cum *Arbimedea ordinaria* hoc commune habet, quod in utraque diſtantiæ punctorum ab umbilico ſint proportionales circulationibus emenſis, in Archimedea vulgari *directe*, in Noſtra vero *inverſe*.

TAB. I. Fig. 6.

§. 66. Ut itaque hæc noſtra Spiralis Hyperbolica CDE, (quæ aſymtoton habet LM parallelam rectæ XA, & ab ea diſtantem intervallo æquali arcui AF, vel cuicunque alii arcui concentrico GC inter axem XA prolongatum, & curvam ipſam intercepto, omnes namque iſti arcus ſunt inter ſe æquales) ut, inquam, hæc ſpiralis deſcribi poſſit in medio non reſiſtente, dico, requiri vim centripetam quæ ſit in triplicata ratione reciproca diſtantiarum: Hoc ita ſe habere non ſecus ac in ſpirali logarithmica, facile quivis per regulam noſtram comperiet.

§. 67.

§. 67. Neque hoc ſatis eſt; dico præterea, non tantum infinitas eſſe curvas, quæ reciprocam rationem triplicatam diſtantiarum pro lege virium admittant, ſed & ex utraque curvarum claſſe vel potius ex earum duobus ſummis generibus, nempe tam algebraicarum quam tranſcendentium ſuppetere quaſdam ſpecies quamvis diverſiſſimas: Sunt enim quædam ad quarum conſtructionem requiritur comparatio linearum circularis & rectæ, quædam aliæ quæ ſupponunt comparationem arearum circuli & hyperbolæ, quædam etiam, ubi arcus circulares ſecum invicem comparandi veniunt, atque inter has, quod mireris, innumeræ dantur prorſus algebraicæ, magis minusque compoſitæ & ad quemvis dimenſionis gradum aſcendentes: cui aſſerto ut fidem faciam, docebo hic naturam harum curvarum, pro quibus legem virium centripetarum ope theorematis Moyvræani ſupra demonſtrati quilibet facile inveniet, ac videbit eam eodem modo ſe habere ut in duabus ſpiralibus logarithmica & hyperbolica. Quomodo vero ad ipſarum curvarum cognitionem me perduxerint calculi integralis certa compendia mihi uſitata, non eſt hujus loci ut explicem.

§. 68. Ecce interim Curvarum illarum ex arcuum comparatione univerſalem conſtructionem: Per centrum virium quod ſit in *X* ductæ rectæ pro axe inſervienti *XA*, agatur intervallo arbitrario parallela *ZG*; dein centro *X* deſcriptis arcubus concentricis *AM*, *BN*, *CO* &c. qui ſinguli ad partem ſuam a parallela *ZG* terminatam, habeant datam aliquam rationem conſtantem, nimirum ut ſit *a.b* :: *AG.AM* :: *BH.BN* :: *CI.CO* :: &c. orietur curva *MNOP*, quæ algebraica eſt ſi ratio data *a* ad *b* ſit numeri ad numerum, quamvis pro rationis illius diverſitate diverſæ quoque dimenſionis curva exiſtat, ſecus vero ſi *a* & *b* ſint incommenſurabiles, erit curva tranſcendens. Utcunque autem ſe habeat ea ratio *a* ad *b*, & qualiſcunque inde emergat curva ſive algebraica ſive tranſcendens, dico fore hanc curvam ſemper ejus naturæ, ut ad ipſam deſcribendam corpus requirat vim centripetam tendentem ad punctum *X* atque cubis diſtantiarum reciproce proportionalem; hoc eſt ut vis in loco *M* ſit ad vim in loco quovis alio *N*, ut viciſſim XN^3 vel XB^3 ad XM^3 vel XA^3. Curva hæc raris affectionibus gaudet, habet enim primo duas aſymtotos a centro virium *X* æqualiter remotas, nempe TAB. I. Fig. 7.

 diſtan-

Digitized by Google

diſtantia quæ eſt quarta proportionalis ad *a*, *b* & perpendicularem *XZ*, atque una ex illis aſymtotis parallela eſt axi *XA*, atque altera cum eadem angulum facit qui ſe habet ad angulum rectum ut 2*b* ad *a*. Quod inſuper animadverſione dignum eſt, ſi *b* aliquoties ſuperet 2*a*, curva priusquam deſinat in aſymtotos, tot gyros integros circa centrum *X* conficit quot ſunt unitates in $\frac{b}{2a}$. Et in ſpecie quidem ſi $b = 2a$, curva ſemel tantum circa centrum circulatur, ab una nimirum extremitate infinita procedens & in alteram deſinens: ita ut jam ambæ aſymtoti ſint axi parallelæ & ab eodem diſtantes intervallo quod duplum eſt intervalli parallelæ *ZG*, hoc eſt duplum perpendicularis *XZ*. Si *b* minor quam *a*, curvæ *MNOP* erit convexa verſus axem *XA*, eamque tunc deſcribere poteſt mobile ſi vis centripeta ſit negativa, hoc eſt, ſi mutetur in vim centrifugam, proportionalem tamen reciproce cubis diſtantiarum a centro *X*. Sed nimium hiſce immoror, pergo ad alia.

§. 69. Quemadmodum igitur ex eo quod pro gyratione corporis in ſpirali logarithmica requiritur vis centripeta in reciproca triplicata ratione diſtantiarum, male quis concluderet hujus propoſitionis converſam, aſſerendo nempe *quod ergo viciſſim poſita hac lege vis centripetæ neceſſe ſit, ut curva exiſtat ſpiralis logarithmica*; ſiquidem altera ſpiralis noſtra Hyperbolica & aliæ multæ curvæ tam algebraicæ quam tranſcendentes eadem virium lege gaudeant: Ita quoque ex eo quod demonſtratur corpus gyrans in Sectione conica centro virium exiſtente in foco requirere vim centripetam reciproce proportionalem quadratis diſtantiarum, non ſine aliqua paralogismi ſpecie colligitur, ſuppoſita iſta virium centripetarum proportione curvam motu corporis deſcribendam fore Sectionem Conicam, tametſi Newtonus ipſe in eundem lapidem impegerit, vid. pag. 55 Coroll. II, ut & in ſimili caſu pag. 49 Coroll. I, niſi prius demonſtretur, hic ſe rem aliter habere quam in hypotheſi virium cubis diſtantiarum reciproce proportionalium quam diverſis curvis convenire poſſe oſtendimus; atque ſectiones conicas ſolas eſſe, quæ admittant vires in duplicata reciproca ratione diſtantiarum.

§. 70. Hanc autem converſam primus ego, quod ſciam, inveni ac demonſtratam dedi prælaudatæ Acad. Reg. Scient. Gall. quam poſtea

Digitized by Google

poſtea, me monente, ſua quoque Demonſtratione munivit Celeb. noſter Hermannus; ita ut nunc de Orbitis Planetarum veram Ellipſium conicarum formam habentibus dubitare amplius non liceat, conceſſa ſcilicet eorum attractione verſus Solem quadratis diſtantiarum reciproce proportionata: de qua veritate antea certi eſſe non poteramus; quid ſi enim plures curvæ diverſi generis eidem huic virium centralium legi reſpondiſſent, ut alteri iſti reciprocæ triplicatæ reſpondere vidimus? ſane non video, cur Ellipſes potius quam alias curvas, quæ æque ſatisfacerent, Planetarum Orbitis attribueremus.

§. 71. Atque hactenus prolata ſunt quædam tantum ex Obſervationibus jam olim mihi ſubnatis ex lectione Operis Newtoniani; ea vero nunc demum cum publico communicare volui, quia intelligo, alteram hujus Operis Editionem parari, quæ hoc adhuc Menſe quo hæc ſcribo prælum ſit evaſura, multis annotationibus, correctionibus, noviſque inventis aucta & exornata; inter quas correctiones eam quoque conſpectum iri audio, quam ſupra §. 32 inſerui de non recte definita ratione reſiſtentiæ ad gravitatem in Opere Newtoni pag. 265, quamque Vir incomparabilis ab Agnato meo Nicolao Bernoullio ſtudiorum noſtrorum Cultore ſolertiſſimo nuper in Anglia degente ante obſolutam impreſſionem novæ editionis opportune monitus, ſingulari ſcheda libro ſuo inſerere non fuit dedignatus.

§. 72. Hanc vero materiam præ ceteris enucleandam duxi, quod ea, fatente Viro ſummo pag. 290, perplexæ eſſet diſquiſitionis atque adeo explanationem & dilucidationem imprimis requireret; num vero ſcopum attigerim, judicium ſit penes Lectorem hoc mihi ſaltem ſuffecerit, ubi videro ipſum Newtonum hæc mea qualiacunque approbaturum; ſi mihi præſertim tam felici eſſe contingeret, ut quæ Vir laudatiſſimus de hoc argumento ediderit correctiora (ſecundæ quippe curæ emendant priores) ea cum hiſce meis eſſent, ſi non prorſus eadem, ſaltem quod ſpero non diſſentanea.

§. 73. Ceterum agnoſcet, opinor, incomparabilis Newtonus, me hic aliud nihil intendiſſe, quam quod ipſe petit a Lectore ſuo in fine præfationis: abfuit nimirum longiſſime animus reprehendendi lapſus in materia tam difficili; quin potius eos candide corrige-

Digitized by Google

re, defectus quoſdam (quorum pauci ſunt in tam vaſto opere) benigne ſupplere, atque veritatem novis conatibus inveſtigare, fuit id quod ubique mihi propoſui.

Additio ad §. 38.

Ut analogia inter reſiſtentiam & gravitatem quæ hic uniformis ſupponitur, ($R.\,G::2\,Cb - dCG.\mp 2\,Cc$,) exponi poſſit per quantitates ordinarias & finitas, pro univerſali formula: Concipiantur coradius cg, & ſubradius og, priori coradio & ſubradio proximi, quorum ille ſecet OG in puncto F. Sitque OH radius evolutæ *ſecundæ*, per cujus nempe evolutionem generatur evoluta *prima* IO. Sit pariter Evolutæ ſecundæ coradius OM & ſubradius HM. Hinc quia per naturam Evolutarum $CO.\,OH::Cc.\,Oo$, & $OH.\,HM$ $(::CO.\,CG)::Oo.\,Fg$, erit ex æquo $CO.\,HM::Cc.\,Fg$, unde $Fg = \frac{HM \times Cc}{CO}$; adeoq; dCG hoc eſt $cg - CG$ vel $Fg - Cb = \frac{HM \times Cc}{CO} - Cb$, & $2\,Cb - dCG = 3\,Cb - \frac{HM \times Cc}{CO}$: quo ſubſtituto in analogia noſtra $R.\,G::2\,Cb - dCG.\mp 2\,Cc$, mutatur in hanc $R.\,G::3\,Cb - \frac{HM \times Cc}{CO}.\mp 2\,Cc$, in qua ſi porro ſubrogentur pro Cb & Cc earum proportionales OG & CO, prodibit hæc nova $R.\,G::3\,OG - HM.\mp 2\,CO$; Hoc eſt quod reſiſtentia ſe habebit ad Gravitatem ut triplum ſubradii evolutæ primæ multatum ſubradio evolutæ ſecundæ, ad duplum radii ipſius evolutæ primæ. Ex quo ſtatim judicare licet de poſſibilitate phyſica aſcenſus vel deſcenſus per curvam: Si enim $3\,OG - HM$ ſit quantitas negativa, vel quod idem eſt, ſi ſubradius evolutæ ſecundæ major ſit triplo ſubradii evolutæ primæ, aſcenſum pronunciabimus poſſibilem; ſin ille minor ſit triplo hujus, hoc deſcenſum phyſice poſſibilem arguet: Si vero æqualis ſit, quod fit in parabola ordinaria, natura utrumque admittet, nam reſiſtentia tunc nulla eſt. Quod attinet ad formulam §. 50, qua exprimitur reſiſtentia $R = \frac{2\,CB \times G - d\overline{CG \times G}}{\mp 2\,Cc}$, ubi ſupponitur vis gravitatis variabilis, pro diverſa ratione diſtantiarum a centro virium, poſſet illa quoque univerſaliter exponi per quantitates finitas ſi tempus & locus id permitteret; ſed aliquid Lectori noſtro faciendum relinquimus.

Vere

Vernünfftige Gedancken von den Kräfften des Menſchlichen Verſtandes ꝛc.

h. e.

COGITATIONES RATIONALES DE VIRIbus intellectus humani earumque in veritate cognoſcenda uſu legitimo; Autore CHRISTIANO WOLFIO, in Academia Regia FRIDERICIANA Mathem. P. P. O. Societatum Regiarum Britannicæ atque Boruſſicæ Socio.

Halæ Saxonum, ſumtibus Rengerianis, 1713, 8.

Plag. 13.

CUm Cel. Autor intelligeret, Elementa ſua Matheſeos Germanica multis non improbari; elementa quoq; Philoſophiæ Germanica edendi conſilium cepit. En primam veluti eorum partem, in qua philoſophiæ rationalis elementa enodantur. Notiones eadem ratione diſtingvit, qua Leibnitius in Actis A. 1684 p. 537: unde multum ſibi luminis in hac materia affulſiſſe in Præfatione fatetur. Addit autem de ſuo, quomodo ad notiones tum obſcuras, tum claras, easq; tam confuſas, quam diſtinctas perveniatur, & quando tandem notiones adæquatæ evadant. Quatuor nimirum conſtituit modos ad notiones perveniendi. Aut enim eas aſſequimur, dum ſuper iis, quæ percipiuntur, reflectimus; aut dum determinationes quasdam omittimus; aut dum novas ſuperaddimus: aut denique dum ſimiles comminiſcimur: qua de re jam quædam propoſuit in Actis A. 1707 p. 507. Fiunt autem ex ipſius ſententia notiones diſtinctæ, ſi in re percepta repræſententur non nimis multa, nec difficulter a ſe invicem diſcernenda, ſique nos ſingula, quæ diſcerni poſſunt, primo ſigillatim, mox conjunctim conſideremus, eorumque ordinem ac nexum meditemur. Unde ſimul liquet, quando notiones fieri debeant confuſæ, quando prorſus obſcuræ. Cum vero ex notionibus nil certo poſſit concludi, niſi realitate ipſarum evicta, ideo oſtendit, tum quomodo a poſteriori, tum quomodo a priori ad hujus cognitionem perveniatur. Docet deinde, quid requiratur, ut notiones ſint definitiones vel temporariæ, rebus ad certum aliquod tempus ab omnibus aliis diſtingvendis aptæ, quibus in vita commu-

Cap. 1.

Digitized by Google

ni utimur; vel perpetuæ, rebus omni tempore ab aliis diſcernendis commodæ, quarum in ſcientiis eſt uſus. Poſteriores more recepto in nominales & reales dividit. In illis potiſſimum caveri jubet, ne ex vocibus definito non clarioribus conſtruantur, nec circulus committatur. Hæ involvere debent modum quo definitum poſſibile eſſe intelligitur: qui ubi intelligitur, eſſentiam rei intelligi arbitratur. Monſtrat autem quatuor vias ad definitiones reales perveniendi. Aut enim ex poſſibilium cognitorum combinationibus novum elicimus poſſibile antea nobis incognitum, veluti cum ex machinarum ſimplicium combinatione compoſitam producimus, cujus antea nihil nobis erat cognitum; vel per analyſin definitionum nominalium eas invenimus, juxta regulas ab Autore præſcriptas inſtituendam; vel organica in partes ſecamus; vel denique generationi rerum, dum in natura contingit, attendimus. A rebus ad verba pro-
Cap. 2. greditur, quibus notiones vel alteri ſignificamus, vel abſentes nobismetipſis confuſe repræſentamus. Monet enim inter alia, nos raro notiones rerum, de quibus loquimur, coram intueri; ſed plerumque ſufficere, ut, dum ſymbolis utimur, confuſe recordemur, nos olim
3. notiones coram intuitos eſſe. Atque hinc deducit, quod verbis intelligibilibus non ſemper reſpondeat idea, ſimulq; docet, quanam re opus ſit, ut verba a rebus diſtingvamus, & unde logomachiæ oriantur, quomodo evitentur. Fundamentum diſtinctionis propoſitionum in univerſales & particulares in eo conſtituit, quod ratio, cur rei cuidam aliquid conveniat, vel non conveniat, quærenda ſit vel in re ipſa, vel extra eam. Inprimis autem magni facit diviſionem propoſitionum ratione inventionis in experientias, axiomata, poſtulata, theoremata & problemata, cui maximam partem praxeos ſuæ ſuperſtruit, de qua infra dicemus. Scilicet experientiæ ipſi ſunt propoſitiones, quæ cognoſcuntur, dum ad perceptiones noſtras attendimus: axiomata propoſitiones theoreticæ; poſtulata practicæ ex
4. conſideratione unius definitionis deductæ; theoremata vero propoſitiones theoreticæ, problemata practicæ ex plurium definitionum collatione reſultantes. Quæ de experientiis tradit, pleraque
5. jam ſtrictim propoſuit in Actis A. 1708 p. 163. Ad eruenda axiomata & poſtulata analyſin notionum commendat, quæ in eo conſiſtit, ut notiones diſtinctæ quærantur eorum, quæ in definitione involvantur.

Digitized by Google

vantur. Theorematum vero inventioni & problematum reſolutioni inſervire cenſet non modo eandem notionum analyſin, verum etiam recordationem eorum, quæ ante de iisdem rebus vel a priori, vel a poſteriori cognovimus. Inprimis autem tres methodos reſolvendi problemata tradit. Nimirum ſi effectus pro arbitrio aſſumitur, notio ejus diſtincta quæri atque in memoriam revocari debent, quæ de eadem re nobis cognita ſunt, ut appareat, num cauſæ illius effectus in his contineantur. Multorum problematum reſolutiones ex definitionibus & theorematibus eruuntur, antequam conſtet, quid fieri debeat. Si effectus a poſteriori innoteſcit, aut, dum contingit, præſentes ſumus eidemque attendimus, aut non attendimus, vel prorſus abſentes ſumus. In caſu primo cauſæ omnes cognoſcuntur, quæ in ſenſus incurrunt. Similiterque in caſu ſecundo & tertio ſuadet Clariſſ. Autor, ut rei ſtatus conſideretur, tum qualis fuerit ante mutationem, tum qualis ſit a facta mutatione, inde nimirum deveniri in notitiam actionum ad rei mutationem neceſſariarum. Quodſi ergo ante cognitorum ſeriem percurras, haud difficulter innoteſcet, quænam ſint illa, unde iſtiusmodi actiones proficisci queant. Ad cauſarum influxum inveſtigandum eadem præſcribit, quæ ante ad theoremata invenienda inculcaverat.

Syllogismorum ortu, indole ac legibus explicatis, monſtrat, ſyllogismos formales continuo formari ab eo, qui demonſtrationem aliquam Geometricam diſtincte percipit, aut theoremata Geometrica inveſtigat. Imo oſtendit, quomodo eorum auxilio ad demonſtrationes Geometricas formales etiam extra Matheſin perveniri detur, eosdemq; medium certisſimum erroribus omnibus reſiſtendi contra præcoces nonnullorum cenſuras commendat. Demonſtrationem perfectam eam demum cenſet, quæ continuo Syllogismorum nexu in propoſitiones identicas & experientias claras tandem reſolvitur, quamvis diſſuadeat, ut Syllogiſmis formalibus utamur. Progreditur ad explicandum diſcrimen inter ſcientiam, fidem & opinionem, errorumque originem explanat. Scientiam in definitionibus, quantum fieri poteſt, adæquatis & demonſtrationibus fundari arbitratur. unde Matheſeos ſtudium certisſimum ad ſcientiam medium ipſi videtur, quo nempe demonſtrandi habitus acquiritur. Multus eſt in examinandis iis, unde certitudo fidei, præſertim hu-

Cap. 6. 7.

manæ

manæ pendeat. Errores proficiſci docet vel inde,quod definitionibus utamur non ſatis explicatis, aut de quarum poſſibilitate nobis nondum conſtat, vel quod in ratiocinando præmiſſis adhibeamus nondum ſufficienter probatis. Unde facile apparet,quænam errores præcavendi media præſcribat.
Cap. 8. Sequitur applicatio hactenus traditorum ad varios uſus.
9. Traduntur regulæ ex quibus judicium fieri poteſt de viribus tam propriis,quam alienis, utrum veritati cuidam inveniendæ, aut,ſi tanquam inventa proponitur, examinandæ ſufficiant, nec ne.
10. Docetur,quomodo de inventis non minus alienis, quam propriis ſanum judicium ferri poſſit: ubi addiſces, quomodo in quocunque veritatum genere non modo verum a falſo, certum ab incerto, ſed & ſolidum a ſuperficiario ſit diſcernendum & quibus modis ab accurata methodo aberretur.
11. His affinia ſunt, quæ de examinandis libris in medium afferuntur: ubi generalia de libris judicia formantur,ad caſus ſingulares haud difficulter applicanda, ita ut ratio judicii ſingularis ex illis generalibus reddatur.
12. Præſcribuntur etiam regulæ, quas obſervare tenetur libros inprimis dogmaticos cum fructu perlecturus.
13. His aliæ nonnullæ junguntur ad ſacras paginas interpretandum. Cum autem Scripturæ ſacræ interpretationem his duobus abſolvi ſtatuat Autor,ut cum ſingulis vocibus notiones genuinæ conjungantur & nexus veritatum revelatarum tum inter ſe, tum cum philoſophicis oſtendatur, ideo potiſſima ipſius cura eſt monſtrare,quomodo ad notiones illas perveniatur. Monet inprimis in iſtis rebus,quæ etiam citra revelationem ſuo ſaltem modo cognoſci poſſunt,eas locum habere notiones, quæ a rebus præſentibus abſtrahuntur: in ſupernaturalibus aut Deum explicaſſe notiones,aut ad eas perveniri,ubi mutationes ſpirituales in nobiſmetipſis experimur.
14. Quænam ad convincendos alios ſint neceſſaria, ſtudioſe inquirit: ubi conſuetas in Mathematicorum demonſtrationibus citationes laudat, quia ex illis extemplo manifeſtum redditur, quænam ſint præmittenda, ut convictio habeat locum. Recenſentur caſus, in quibus convincentis, tum etiam in quibus convincendi culpa convictio ceſſat. Additur, quomodo diſtinguenda ſit a vana perſuaſione: qua occaſione de præjudiciis præcipitantiæ, autoritatis ac nimiæ erga ſe confidentiæ agitur, modoque ea tollendi.
15. Methodo convincendi agnata eſt methodus confutandi: ubi inter

alia

Digitized by Google

alia monſtratur,quam turpiter contra leges hujus methodi peccent, qui confutandos convitiis laceſſunt. Aut enim animus eſt, inquit Noſter,erroris convincendi adverſarium, aut famam ejus laceſſendi penes imperitos atque malitioſos.In primo caſu imprudentiæ; in poſteriori inhoneſtatis notam incurrunt.In illo enim eligunt media a ſcopo abducentia; in hoc a virtute ſe alienos oſtendunt, affectuum nempe ſenſuumque imperio ſubjecti. Hinc a viris doctis ac probis, qui virtutem eruditioni jungunt, contemtu vindicari hominum ineptorum injurias, temeritati ſuæ pœnas dantium,dum ſe & ſolidæ doctrinæ ignaros, & affectuum pravorum ſcelerumque Cap. 15. mancipia produnt. Tandem de diſputandi methodo diſſeritur. Omnes vero hos uſus ex ante traditis nexu continuo deducit.

JO. HENRICI BOECLERI OPERUM TOMUS III & IV.

Argentorati, ſumtibus Jo. Reinoldi Dulsſeckeri, 1712, 4. Alph. 6.

POſt exhibitos in Actis noſtris A. 1702 p.125 & A. 1712 p.547 Operum Bœcleri Tomos duos priores, ſequentium etiam contenta paucis & per indicem quaſi annotabimus. Tomo III exſtant: *Commentarius de rebus ſeculi a C. N. IX & X per ſeriem Germanicorum Cæſarum*; *Muſeum ad amicum*; *de ſtudio politico bene inſtituendo Diſſertatio Epiſtolica*; *de Politicis Lipſianis Diſſertatio*; *Synopſis de Legato, occaſione Polybianarum de Legationibus Eclogarum ex hiſtoriis collecta*; *Decas quæſtionum hiſtorico-politicarum ex Libro I Juſtini collectarum*; *Epiſtola ad Amicum*, qua rationem reddit, cur opera promiſſa hactenus nondum ediderit; *Excerpta controverſiarum illuſtrium*; *Excerpta e præfatione ad Ambroſii officia, & Rudimenta officiorum extemporali ſpecimine doctrinæ de officiis prudentiæ & juſtitiæ breviter delineata*; *Diſſertatio de comparanda Latinæ linguæ facultate*, qua de Scriptoribus Latinis pleriſque judicat; & denique *Sceptrum Apollinis ad Comitem Guſtavum de la Gardie, Academiæ Upſalienſis Rectorem Magnificentiſſimum*.

Tomus IVtus Orationes, Diſcurſus, Poemata & Programmata complectitur. Illæ partim in laudem Chriſtinæ Sueciæ Reginæ, honoremque Principum ac Heroum; partim in funere Virorum il-

Digitized by Google

luſtrium, aut Academiæ nomine dictæ ſunt. Eminet in iis Elogium Chriſtophori Forſtneri, dignum non minus Autore, quam eo cujus honori ſcriptum eſt. Reliqua pro occaſione varia argumentum nunc lætum nunc triſtius expendunt. Ceterum notamus, quatuor his tomis novum nunc titulum *Operum omnium* una cum Præfatione Celeb. Fabricii, in qua de laudibus Bœcleri agit, eſſe præmiſſum.

JO. CASPARI KHUNII, HIST. ET ELOQV. P. P. Argent. Orationes Panegyricæ. Quibus accedunt aliæ varii argumenti cum aliquot Programmatibus.

Argentorati, ſumtibus Jo. Reinoldi Dulsſeckeri, 1712, 4. Alph. 2 plag. 2.

Ludovici XIV res pace belloque geſtas ita laudarunt temporum noſtrorum ingenia, ut conſumta propemodum omnis videri poſſet eloquentia, niſi ejus non integram exhauſtam eſſe vim, nova ſtyli felicitate Cl. Khunius oſtenderet. Quod vero officium ultro alii invaſerunt, quibus vel magnitudo rerum ſcribendi audaciam dedit, vel adulationis gloria ad cauſam ſuffecit: Noſter pietate ductus præſtitit, quæ publico Academiæ Argentoratenſis nomine maximo Regi probanda erat. Et hanc quidem abunde Clariſſimus Vir probavit XI Panegyricis, quorum primum poſt Pacem Ryſvicenſem, reliquos in Natalem Regis ſingulis annis habuit. Videmus in iis plane egregium, omnia occupare, quæ blandiens oratio invenit, verborum lenocinia, atque adeo caſu oblata in omen vertere, ex naſcente felicitate majoris augurium capere, quæ oſtendi non debent adverſa præterire, lætis immorari, ea denique quorum gloria ex ſolido eſt, ita narrare, ut plus nominis quam operis habeant. Nec ſui diſſimilis in Orationibus, quas ſub auſpicium Profeſſionis & Rectoratus, vel in collatione honorum dictas, Panegyricis adjecit, *de Philoſophiæ moralis vaſtitate*; *quod cum eloquentia reliqua ſtudia vel floreant, vel jaceant*; *de damno per neglectum hiſtoriarum in rem litterariam & civilem invecto*; *de Jure Gentium, quo orbis literarius utitur*; *de Jure Belli inter literatos*; *de eloquentiæ neglectæ cauſis*; pro inſtituti diverſitate varie perorans. Sequuntur Orationes ligato ſermone in paſſionem Domini ſcriptæ, & ultimo Programmata, in quibus

bus cum vel antiquitatis ſenſum eruat, vel ritum illuſtret, vel ſententiam exponat, euntibus per materiarum ſeriem non injucunda futura eſt lectio.

M. MINUCII FELICIS OCTAVIUS, EX ITErata recenſione JO. DAVISII, L. L. D. Collegii Regin. Cantabr. Socii; cum ejusdem Animadverſionibus, ac notis integris Deſ. HERALDI & NIC. RIGALTII, nec non ſelectis aliorum. Accedit Commodianus, ævi Cyprianici Scriptor, cum obſervationibus antehac editis, aliisque nonnullis, quæ jam primum prodeunt.

Cantabrigiæ, impenſis Cornelii Crownfield, 1712, 8.

Plag. 18 ½.

NOtiſſimus Autor ex tot iteratis editionibus eſt Minucius Felix, notiſſimi magnorum virorum, Woweri, Elmenhorſtii, Meurſii, Rigaltii, Heraldi, Ouzelii, Cellarii, Gronovii, in eum labores, notæ quoque Cl. Daviſii in eundem adnotationes, cujus prima libri editio nuper admodum A. 1707 prodiit, a nobis quoque in his Actis Suppl. T. IV S. X p. 422 ſq. recenſita. Quare neceſſe non eſſe putamus, ut de hac iterata editione multis verbis agamus: ſufficit, nos monere, notas ejus aliquot locis ab eo eſſe locupletatas, & Diſſertationem Franc. Balduini iterum præmiſſam. De novo vero jam addita eſt pag. 188 Lucæ Holſtenii epiſtola de verubus Dianæ Epheſiæ, locum quendam Minucii illuſtrans, quæ etiam inſerta legitur Tomo VII Antiqu. Græcarum Jac. Gronovii p. 393 ſ. Commodiani quoq; Instructiones jam adjecit, a Rigaltio & H. L. Schurtzfleiſchio hactenus editas, quorum prioris obſervationes omnes additas leges, poſterioris vero miramur nullam a Daviſio mentionem eſſe factam, uti nec Supplementorum, quæ ex bibliotheca Ill. Spanhemii, & ingenio Cl. Maturini Veiſſerii la Croze ab eodem Schurzfleiſchio Wittebergæ 1709 plag. 3 ſunt edita. Notas ipſe Daviſius Rigaltianis in Commodianum pauculas inſeruit.

LUDIBRIA MALEVOLA CLERICI, VEL PROſcriptio pravæ mercis ac mentis praviſſimæ, quam expoſuit in Minucio Felice Jean le Clerc, année 1712 Tome XXIV de la Bibliotheque Choiſie.

Sine loco. 8°. Plag. 3 ½.

Digitized by Google

Recenſuerat more ſuo Jo. Clericus Minucium Felicem Daviſii, de quo modo egimus, eamque editionem magis commendaverat, quam Gronovianam, quædam etiam a Daviſio prolata contra Gronovium defendens, id quod Autor noſter, quem ipſum Gronovium eſſe facile apparet, acerbe reprehendit. Salſum eſt hoc ſcriptum, variisque ſcommatibus refertum, quod vel ex ſtylo conſtat, qui Gallica Clerici vocabula *librementer*, *injurias groſſieras*, *ſentimentum* &c. ore Latino exprimit. Statim ab initio quædam tanguntur ad quæſtiones ſive Diſputationes Tuſculanas a Daviſio editas, in quibus & Bentleji quædam conjecturæ redarguuntur. Ad ipſum vero Minucium quod ſpectat, in plerisque apud Noſtrum ſermo eſt de iis lectionibus, in quibus a Gronoviana editione receſſit Daviſius approbante Clerico. Non vero conſultum putamus ea omnia prolixe recenſere, quia ad cujusque palatum non faciunt. Plurima ită ſunr comparata, ut non tam Daviſius feriatur, quippe cujus in his litteris eruditio non eſt ignota, quam Clericus, qui in talibus ab Autore noſtro non admodum exercitatus creditur. Reprehenditur inter alia Clericus p. 26 ſ. quod ſtatuat, Chriſtianis olim exprobratam eſſe capitis aſinini adorationem, oſtenditur autem, id ſaltem ex gentilium quadam perſuaſione factum eſſe, quia occulta eſſe Chriſtianorum ſimulacra putarunt. Reliqua, quæ occurrunt, ita ſane ſunt comparata, ut de eis ſilere ſit conſultiſſimum. Nec ipſe ſolum Clericus & Daviſius, ſed & alii, Kuſterus, Grotius, Huetius &c. data occaſione perſtringuntur. Inſerta quoque eſt p. 35, 36 epiſtola Clerici ad Gronovium ſcripta, in qua hujus amicitiam transmiſſo aliquo opuſculo ambierat Clericus.

JO. HENRICI ACKERI OPUSCULA ELOquentiæ, comitata Cl. Theologi & JCti Paganini Gaudentii Prælectionibus in Taciti Vitam Agricolæ. Faſciculus ſecundus.

Rudolſtadii, ſumtibus Jo. Felicis Bielckii, 1713, 8.

Plag. 7.

Clariſſimi Ackeri, cujus Opuſculorum Eloquentiæ Faſciculum I in Actis A. 1712 pag. 288 commemoravimus, alterum nunc exhibemus Faſciculum, qui ad modum prioris itidem argumen-

gumenta varia complectitur. Maximam partem conſtituit olim in Academia Jenenſi habita, nunc vero aucta de *Politicis Empiricis Diſſertatio*, quæ, expoſitis terminis, mediisque ad experientiam ducentibus, Politicorum Empiricorum exempla, addito horum & dogmaticorum parallelismo ſtudioſe collegit. Sequuntur, quæ ſtrenæ nomine duobus in Aula Schwartzburgica Patronis ligato ſermone obtulit; inde quæ in Rectoratu Burcardi Gotthelf Struvii ſcripſit, ac tandem Paganini Gaudentii in caput IV vitæ Agricolæ Prælectiones; quæ ſingula eloquentiam produnt non vulgarem.

BURCARDI GOTTHELF STRUVII ACTA Literaria ex MStis collecta. Faſciculus VIII, IX & X.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1713, 8.
Plag. $7\frac{1}{2}$.

SEptem priorum faſciculorum contenta in Actis A. 1703 p. 59 & 1710 p. 286 dedimus, ac de inſtituto celeberrimi Autoris egimus. In his vero, qui nunc cum reliquis ſub tit: *Collectanea Manuſcriptorum* uno Volumine comprehenſi ac Indice inſtructi proſtant, primo loco exhibet Inſtructiones pro Alexandro Farneſio Cardinali & Pontificis Romani ſedisque Apoſtolicæ apud Imperatorem Maximilianum de latere Legato, quem Leo X Papa anno 1518 ad Cæſarem miſit, ut eundem ad bellum contra Turcas incitaret, & aliquos etiam modos pecuniæ ad hoc bellum cogendæ proponeret. Nihil vero de hac legatione & Sleidanum & Seckendorffium memoraſſe ait, probatque ex ſubſcriptione, inſtructionem illam a Jac. Sadoleto, qui Leoni X ab epiſtolis fuit, conſcriptam eſſe. Deinceps legationis a Papa Paulo III ad Ferdinandum Romanorum Regem miſſæ mentionem facit, & quid Hieronymus Diarius, Camerarius, nomine Papæ agere debuerit, exponit. Tertio loco ſuppeditat Paralipomena ad Jo. Aventini Annales Bojorum, quæ nec in aliis, nec in nova Cl. Gundlingii editione reperiuntur. Profert illa ex Bibliotheca publica Jenenſi, quæ editionem Annalium a Nicolao Ciſnero Baſileæ anno 1580 factam, in recenſione autem editionum Aventini omiſſam, poſſidet. Sequuntur ſupplementa epiſtolarum amœbearum Jo. Chriſtiani L. B. a Boineburg & Zachariæ Prueſchenck a

Digitized by Google

Lindenhoven, ex quibus nonnulla ſcitu neceſſaria faſciculo tertio & quinto, ut allegato loco notavimus, inſeruerat. Horum excerptorum partem quandam V. C. Chriſtoph. Auguſtus Heumannus, Seminarii Theol. Iſenacenſis Inſpector, Collega noſter perinduſtrius, emendavit, plenioremq; de ipſo autographo codice notitiam in literis ad Noſtrum miſſis dedit, & multa adjecit, quæ illuſtrandæ rei literariæ inſervire poſſunt. Notamus ſaltem ex illis, quod Boineburgius ſcripta habuerit affecta, nimirum Fortuita de claris in omnis eruditionis genere Scriptoribus, Apparatum viri Politici, Notitiam ſtatus jurisque Publici, exercitationes de uſu errorum in republica, de pœnitentia & patientia juris. Ceterum decem his Faſciculis, novo jam titulo *Collectaneorum* prodeuntibus, novam quoq; Præfationem præmiſit doctiſſimus Autor, in qua eorum operam collaudat, qui diverſa antiquitatis monumenta collegerunt, ac ſcitu neceſſaria ex MStis eruerunt. Laude igitur dignos cenſet Henr. Caniſium, Melch. Goldaſtum, Lucam Dacherium, Labbeum, Mabillonium, Baluzium, Jac. Tollium, Ludov. Antonium Muratorium & Ant. Matthæum, quorum veſtigia ſecutus ſimilia ex variis codicibus cum Eruditis communicare voluit. Monet vero diverſa adhuc inedita ſe poſſidere lectu digniſſima, quæ ſuo tempore publicæ luci exponet. Qua occaſione nuntiamus, nunc in eo eſſe totum Cl. Struvium, ut Freheri ſcriptores Rerum Germanicarum, paſſim notis ſuis illuſtratos, Argentoratenſis typographi ſumptibus excudat.

NOVA LITERARIA.

Edidit haud ita pridem Petrus Sigismundus Papen, Verbi Divini Miniſter Berolino-Colonienſis, *Majoris Lexici Biblici onomatophraſeologici in Codicem Sacrum Novi Teſtamenti compendiolum.* Dignitatem enim exegeſeos ſacræ, & lexicorum hoc in argumento defectum perpendens, imo juſtis Theologorum, ſigillatim B. Franzii, deſideriis ſatis facturus, lingua Latina Lexicon aliquod Biblicum N. T. elaborare conſtituit, in quo & nomina, & phraſes rerum ita ſecundum Alphabeti ordinem diſponuntur, ut quivis ſenſum Spiritus S. facillime invenire queat, unde & ſufficientem cujusque loci exegeſin ſe additurum promittit. In hoc itaque compendiolo ſpecimen quoad voces *carnis* & *Spiritus* cum B. L. communicare, inſti-

tuti

Digitized by Google

tuti rationem reddere & Lectoris conſilia, atque adminicula ſibi expetere voluit. Confecto hoc opere, pari ratione Lexici in V. T. conficiendi ſpem injicit. Quod ſi vero ob adverſam valetudinem, & hinc metuendam mortem labor ad umbilicum non poſſit perduci, filio natu majori, in Academia Julia Theologiæ jam operam danti, laborem iſtum committet.

Olsnæ A. 1712 prodierunt Chriſtiani Rungii, Gymn. Magd. Vrat. Coll. Miſcellanea literaria, de quibusdam ineditis Hiſtoriæ Sileſiacæ ſcriptoribus ac Operibus, 4 plag. 4to. Decennium fere eſt, ex quo Godofredus Rhonius Vratislavienſis, cujus vita his Miſcellaneis præmittitur, præter alia, quibus hiſtoriam patriam illuſtravit, ſcripta, Epiſtolas hiſtoricas tres de quibusdam ineditis Hiſtoriæ Sileſiacæ ſcriptoribus edidit, inq; his Jo. Longini Chronicon de Epiſcopis Vratislavienſibus, Nicolai Henelii Sileſiographiam renovatam, Henrici Wenceslai a Neudorff Diarium Sileſiticum, Friderici Holſtenii Annales Boleslavienſes, ac Franciſci Fabri Sileſiam, nec non Origines Vratislavienſes recenſuit. Hoc Rhonii inſtitutum, morte Viri, quæ anno 1694 contigit, abruptum, continuaturus Cl. Rungius, ea methodo, ut primo autoris vitam, deinde MSti argumentum per capita tradat, hoc primo Miſcellaneorum ſpecimine Rudolphi, Epiſcopi Vratislavienſis Statuta Capituli Cathedralis Vratislavienſis, Nicolai Polii Annales Vratislavienſes, ac denique Godofredi Ferdinandi de Buckisch & Lewenfels Acta eccleſiaſtica exhibuit.

Romæ Rev. Abbas Jo. Carolus de Stadel, Canonicus Cathedralis Curienſis & Equeſtris Wimpin. Conſiliarius Eccl. Ser. Electoris Palatini, ſuperiore anno edidit ſuis ſumptibus, 1 Compendium Coſmo-& Geographiæ, nec non Chronologiæ Summorum Pontificum. Cardinalium, Imperatorum, Regum, Ducum & Principum, in quo ſtatum modernum omnium Patriarchatuum, Archi-Epiſcopatuum & Epiſcopatuum, iisque ſubditarum Eccleſiarum, Parochiarum, Monaſteriorum, & qui ex ſingulis colliguntur, redituum, una cum rebus notabilioribus provinciarum exponuntur; 2 Dictionariolum Italico-Germanicum, Italis imprimis, qui Germanicam linguam addiſcere cupiunt, admodum proficuum, in quo ad Germanica exprimenda uſus eſt charactere Italico. Sed de his, cum primum ad nos ipſi libri perferentur, dicemus uberius.

E Di-

Digitized by Google

E Diarii Veneti Tomo IX, qui ſpectat ad A. 1712, diſcimus, Bononiæ Bernardum Cavallerium prelo paraſſe Opus VIII Voluminum in 4, quo ad veram eruditionem conſequendam methodos, regulas & conſilia præſcripſit, eoque de requiſitis egit eorum qui literis operam dare velint, de adminiculis, virtutibus eruditum decentibus, vitiisque literatorum, tum mediis gratiam ſcriptis conciliandi, aliisque. Romæ Joſephus Maria Tommaſius, qui tertium nuper Tomum edidit Inſtitutionem Theologicarum SS. Patrum, in eo eſt, ut Gregorii M. *Sacramentarium*, quod verum rituale Eccleſiæ Romanæ perhibent, multo, quam in poſtrema Pariſienſi editione prodiit, accuratius emendatiusque edat. Prodiit vero Petri Antonii Conſignani J. C. *de Viris illuſtribus Marſorum liber ſingularis, cui etiam Sanctorum & Venerabilium vita, nec non Marſicanæ inſcriptiones acceſſerunt*, Romæ, 1712, 4. Lucæ (ut e Tomo X Diarii Ven. patet) Opus poſthumum Bartholomæi Beverini prodiit, nempe *Syntagma de ponderibus & menſuris, in quo veterum Numorum pretium & Menſurarum quantitas demonſtratur*, in 12, cui & acceſſit *de Romanorum Comitiis* libellus. Romæ Antonius Thomas Schiara A. 1712 ingens volumen in fol. edidit ac ſummo Pontifici dedicavit ſub tit. *Romanus Pontifex omnium jurium diſpoſitione propugnandus Chriſtiana Reip. exhibetur: labor fidelibus cunctis, tum Eccleſiaſticis quavis dignitate fulgentibus, tum ſæcularibus, pro utroque foro, interno ſcilicet & externo, proficuus.* Ut plura alia prætermittamus, illud ſaltem notamus, Autores Diarii deteſtari maxime Epiſtolam, ſub nomine ficto Criſofani Cardiecleti, qui eſt Jo. Chryſoſtomus Scarfo, Monachus Baſilianus, & ſub tit. *Giunta al primo Tomo del Giornale de Letterati d' Italia* editam. Quæ dum ſcribimus, affertur ad nos Epiſtola alia ſub t. *Giunta al Tomo II del Giornale di Letter. d' Italia di Monorfelino &c. In Ven.* 1712, 12. Verum hæc mittimus, quod litibus illis nos immiſceri non deceat. Ceterum inter Viros eruditos Italos ſuperiori anno mortuos unum memoramus Laurentium Alexandrum Zacagnum, Cuſtodem Bibliothecæ Vaticanæ, qui annos natus quinquaginta quinque die 26 Jan. A. 1712 Romæ deceſſit.

Proſtat cum hoc Menſe Suppl. T. V Sectio X, ſperamusque, cum Aprili & Majo Sectiones reliquas XI & XII proditu as, quibus Tomus V Suppl. abſolvetur.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCC XIII.

Anweiſung zur wilden Baum-Zucht.

h. e.

SYLVICULTURA OECONOMICA, AUTORE JOHANNE CAROLO DE CARLOWITZ, Potentiſſimo Polonorum Regi & Electori Saxoniæ a Conſiliis, ſummoque metallifodinarum Præfecto.

Lipſiæ, apud Joh. Fridericum Braunium, 1713, fol. Alph. 5 plag. 8.

Cum non ſine ratione paſſim per Germaniam metuant, qui ſylvis præficiuntur, ne tandem ligna ad multiplicem in vita humana uſum neceſſaria deficiant, non ſine ſummo poſterorum detrimento; optime de Germanis noſtris meritus eſt Illuſtris & Generoſiſſimus Autor, quod non modo propria, ſed & majorum ſuorum experientia adjutus ea publico impertiri conſilia non dedignatus fuerit, quibus uberior arborum ſylveſtrium proventus promovetur. Etenim quemadmodum agros & hortos colimus, ut major frugum fructuumque copia proveniat; ita ſuadet, ut ſimilis cura ſylvarum culturæ impendatur, eumque in finem arborum ſationem ac plantationem accurate deſcribit. Partes operis utiliſſimi duæ ſunt. Prior octodecim capitibus cum de ſylvis in genere, tum de hodierno lignorum defectu atque tempeſtiva arborum plantatione tractat: poſterior capitibus duodecim varias arborum ſylveſtrium ſpecies deſcribit, ſylvarum utilitatem prædicat, & ligna cædere cæſaque in carbones & cineres convertere docet. Recenſet nimirum ſylvas varias, vel olim vel nunc in Germania celebres, quamvis tantum obiter. Veterum circa ſylvas ſuperſtitionem, ad ipſos etiam Chriſtianos propagatam, atro carbone notat & varia narrat, unde argumenta deſumere li-

Digitized by Google

cet oratori encomium ſylvarum & arborum conſcripturo. Phænomena arborum ad rationes phyſicas utcunque revocat & providentiæ divinæ veſtigia luculenta in ſylvis monſtrat. Pro arboribus annoſis ex circulis in ſtipite conſpiciendis certum ætatis indicium deſumi poſſe negat, tum quod unus ſæpe circulus duorum, immo trium & plurium annorum accrementa comprehendat, tum quod novi circuli (& fidem Noſtro habemus) non amplius accreſcant, ſed ceteri tantum amplientur, ubi ad juſtam ætatem arbor pervenit. Hodierni lignorum defectus cauſas cenſet multiplicem eumque non ſatis providum eorundem uſum, conſiliorum de lignis parcendis neglectum, temerarium de cultura ſylvarum non neceſſaria præjudicium, multorum in ſylvis extirpandis aut lignis cædendis imprudentiam. His porro accenſet, quæ inimica ſunt arboribus, ventos, nivem, æſtum, frigus, fulgur, grandinem, rorem corroſivum, inſecta, feras, pecudes, jumenta, morbos, peſtem, incendia. Notatu dignum eſt, quod aſſeverat, per aliquot annos multas arborum myriades peſte proſtratas eſſe. Quo plura vero ſunt, quæ arboribus nocent, eo major earum cura geri debet. Oſtendit itaque tum ex Scriptura ſacra, tum ex corpore Juris Civilis, tum ex conſtitutionibus Regum atque Principum, quantam iisdem impendere teneamur, nec ſine ratione contendit, in Miſnia inprimis ligna conſervari non poſſe niſi per ſationem ac plantationem: multum vero reditibus ſuis obeſſe, qui ſylvas in agros convertunt, in locis præſertim montoſis. Ne autem quis ſpernat conſilia minime ſpernenda, exemplo non uno docet, plantationem arborum ſylveſtrium eſſe poſſibilem, & varias Principum de ea conſtitutiones commendat. Prolixum nimis foret recenſere omnia, quæ ad eandem feliciter abſolvendam præcipit, quomodo ſcilicet ſoli qualitas ſit examinanda, quomodo ipſum exercendum, quomodo ſemen colligendum, aſſervandum & juſto tempore eidem committendum, quomodo terra paſtinanda, quomodo plantæ tenellæ fovendæ. Suffecerit itaque pauca annotaſſe. Soli qualitatem exploraturus accipe pauculum terræ & eam aquæ commiſceto. Viginti quatuor horarum intervallo elapſo aquam filtrato, cujus odor & ſapor ſoli qualitatem prodet. Solum

lum paludoſum frigore; ſabuloſum & arenoſum æſtu arboribus inſidiatur; argillaceum proceritati earum inimicum: fertiliſſimum vero eſt, in quo ſabulum & arena terræ pingui permiſcetur. Arenoſum limo & ligno putrefacto melioratur; argillaceum vero calce ac cineribus. Omni ſolo fertilitatem conciliant muſcus, folia, rami arborum, ubi putreſiunt. Educandæ ſunt arbores ad ſemina gignenda aptæ, aeri libero atque ſoli expoſitæ. Ut ſponte decidentia terram contingant, gramina cum muſco removenda. Colligenda ſunt ſemina matura, caſui proxima & in loco nec nimis humido, ne putreſcant, nec nimis ſicco, ne oleum transſpiret, conſervanda. Recentia terræ committenda & antequam germinent, ne frigus iisdem noceat. Plantulæ tenellæ citius excreſcunt, ſi ſolum aqua rigatur particulis fimi nitroſis ac ſulphureis largiter imbuta. Quemadmodum autem arboribus frugiferis multiplicandis egregie inſerviunt plantaria; ita ut ſimilia multiplicandis ſylveſtribus deſtinentur, ſuadet Noſter, plures una ſuppeditans regulas illi obſervandas, qui arbores ex plantario alia in loca translaturus. Neque inanem judicat operam, quæ in transplantandis arboribus exoticis collocatur: qua data occaſione multas earum deſcribit. Varias deinde commemorat arborum ſylveſtrium ſpecies. Agit de abiete, pinu, picea, taxo, larice, quercu, fago, caſtanea, nuce, ceraſo ſylveſtri aliisque arboribus fructus edentibus, de tilia item, platano, betula, fraxino, alno, ulmo, bobo, ſalice & populo tam alba, quam Lybica ſeu tremula. His jungit frutices, avellanas puta, buxum, liguſtrum, roſam caninam, arbutum, hederam cum aliis nonnullis. Deſcribit lignorum uſum in ædificiis excitandis, in vaſis & utenſilibus parandis, in cibo & potu coquendis, nec non in aliis innumeris vitæ humanæ neceſſitatibus. Sylvarum utilitatem præterea commendat a venationibus & deambulationibus. In ſcenam denique producit arborum mirabilia ex variis Autoribus collecta, quæ inter fabuloſa quoque occurrunt. Appendicis viceni ſubit caput ultimum, in quo continetur exacta deſcriptio ceſpitum bituminoſorum, ab aliquot annis in Miſnia detectorum, qui eo modo, quem Autor A. 1708 primus oſtendit, in carbones converſi metallis liquefaciendis egregie inſerviunt.

Digitized by Google

OEUVRES D' ARCHITECTURE DE VINCENT Scamozzi,

h. e.

OPERA ARCHITECTURÆ VINCENTII SCAMOZZI.

Lugduni Batavorum, apud Petrum vander Aa, 1713, fol. maj.

Conſtat Alph. 3 plag. 5 Tab. 21 æri inciſis & ſeparatim excuſis, 39 aliis æri itidem, & 45 ligno inciſis textuique inſertis.

DEſiderata hactenus eſt Gallica Operis Architectonici *Scamozzi*, Architecti famigeratiſſimi, editio: *Auguſtinus* enim *Carolus D' Aviler*, Architectus Galliarum Regis, ſextum tantummodo librum de ordinibus vertit & iconiſmis iisdem, quibus in opere ſuo uſus fuerat *Scamozzi*, illuſtravit. Quamobrem *Samuel du Ry*, Architectus militaris ordinarius Statuum Belgii fœderati, ex libro primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſeptimo & octavo ea addidit, quæ Architecto ſcitu neceſſaria, diſcurſibus ſuperfluis, quibus Autor abundat, eliminatis, & una cum verſione libri ſexti a *Davilerio* facta ſplendide excudi curavit. Licet vero in verſione Gallica Architecturæ *Scamozzianæ* ſextus tantum & tertius liber compareat, figuræ tamen omnes eidem adjectæ, ex quarum conſpectu haud difficulter hauriuntur ab interprete Gallo ex reliquis libris nunc excerpta, ſane non adeo multa. Uſus autem eſt bibliopola, qui ſumtus excudendo operi ſuppeditavit, figuris originariis *Scamozzi*, quas ab hæredibus viri celeberrimi *Friderici de Wit* pretio redemit, antea a Batavo quodam curioſo ab hæredibus *Scamozzi* Venetiis coemtas & in Bataviam translatas, niſi quod figuræ ad librum ſextum ſpectantes juxta *Davilerianas* æri fuerint inciſæ, *Scamozzianis* nonniſi ligno inciſis. Addit Autor elegantes admodum delineationes Operum Architectonicorum, quorum mentio fit in libris *Scamozzi*, nempe Panthei, columnæ Trajani, templi Solis Imperatoris *Aureliani*, arcus *Conſtantini*, columnæ *Antonini*, templi Pacis, theatri *Marcelli*, arcus *Titi*, arcus *Septimii Severi*, Mauſolei *Adriani*, nunc Arcis Angelorum

Digitized by Google

rum dicti, templi *Antonini* ac *Fauſtinæ*, Coloſſei, templi concordiæ, thermarum *Diocletiani*, templi Solis, porticus *Nervæ*, ſepulchri ſeptizonii *Septimii Severi*, thermarum *Antonini*, thermarum *Titi*.

NOUVELLE MANIERE DE FORTIFIER les Places, &c.

h. e.

NOVA MUNIENDI RATIO, UNA DEMONſtrans defectus in Munimentis obvios, quæ a celeberrimis hujus ævi Architectis militaribus excitata ſunt, & media certa atque facilia eos corrigiendi monſtrans &c. Autore J. H. LANDSBERGIO, Statuum Belgii fœderati Architecto militari primario & ordinario.

Hagæ Comitum, apud Petrum Huſſon, 1712, 4.
Plag. 11 & Tab. æn. 8.

ARtem muniendi multis adhuc defectibus laborare, non diffitentur tum qui modos muniendi modernos rigido examini ſubjiciunt, tum qui munimentis expugnandis ipſimet interfuerent. Idem agnoſcit *Landsbergius*, multa experientia militari inſtructus, & ideo de nova muniendi ratione cogitat. Legit autem veſtigia duorum celebrium in hac arte Germanorum, *Speckelii* atque *Rimpleri*, ipſe Germanus, &, quæ ab iisdem præclare vel obſervata, vel excogitata ſunt, cum experientia propria conjungit. *Speckelii* formam muniendi multum præſtare modernis oſtendit, nec quicquam obſtare arbitratur, quo minus in praxin recipiatur, niſi quod totum fortalitium (quem tamen nævum, ſiquidem talis dicendus eſt, hactenus habent munimenta omnia) in manus hoſtium tradi debeat, propugnaculo uno expugnato. Laudat itaque *Rimplerum*, qui fortalitia ita extrui jubet, ut propugnacula ſingulâ ſint expugnanda. Enimvero quoniam *Rimplerus* ipſe ſuam muniendi formam non delineavit, varii varias delineationes dedere, e quarum numero *Sturmiana* in Actis A. 1702 p. 179: ſed cum omnes, judice Noſtro, ſcopum non attingant, ideo aliam exhibet, quam principiis *Rimplerianis* magis conſonam cenſet. Neque tamen *Rimpleriana* muniendi ratio ex aſſe ipſi ſatisfacit: novam itaque

Digitized by Google

adinvenit, quam defenſioni magis commodam minus ſumtuum requirere, inſultibus tamen hoſtium fortius reſiſtere judicat. Triplex eum in finem dedit ſchema forma auguſta expreſſum. In primo vallum primarium propugnaculis caret, ex meris forcipulis conſtans, lorica duplici munitum valloque inferiori atque foſſa pariter duplici inſtructum, ut eadem ſit defenſio adverſus hoſtem extra urbem, quam intra ejus viſcera conſtitutum. Nec continuum eſt, ſed foſsis hinc inde minoribus interruptum, foſſam externam internæ jungentibus. Inter vallum primarium & inferius externum ſuggeſtus elevatiores (*cavalieres*) ſub forma parmularum itidemque capitia (gallis *bonnettes* dicta) in angulis valli inferioris ac loricæ, quæ viæ coopertæ præſtruitur, excitat. Vallum quoque inferius & via cooperta ex forcipulis ad angulos rectos junctis conſtat. Lorica viæ coopertæ eodem modo extructa eſt, quo in vallo primario, foſſaque cingitur. In ſchemate altero vallum primarium inferiori ac viæ coopertæ parallelum, quod in primo ſecus ſe habebat, & ideo ſuggeſtus elevatiores in foſſa interiore excitantur, vallique primarii angulis rectis extus hiantibus parmulæ quoddam genus præſtruitur. Enimvero quoniam Autor ſuſpicatur, fore nonnullos, qui vallum primarium ſine propugnaculis rejiciant; in ſchemate tertio propugnacula ſeparata addit, & valli reliqui, itidemque viæ coopertæ figuram immutat. Paſſim intra propugnacula ædes civium extruit. Altitudo valli cum admodum exigua ſit, cumque opera omnia nonniſi ex terrea mole conſtent; ideo brevi tempore ſumtibusque haud adeo magnis excitari putat munimentum ceteroquin admodum diffuſum. Oſtendit etiam, quam fortiter ſe defendere valeant obſeſſi, nec fortalitium hac ratione extructum expugnari poſſe ſibi perſuadet, etiamſi per integrum anni ſpatium id moliatur hoſtis. Attentionem eorum merentur cogitata Autoris, qui artem muniendi curæ cordique habent. Inprimis etiam lectu dignus eſt hic tractatus, quod Autor ſub incudem revocet celebres urbium obſeſſiones in bello præſenti factas, quibus ipſe interfuit.

Gegenwärtige Verfaſſung der Käyſerlichen Regierung in Teutſchland, ꝛc.

h. e.

CAROLI VI, IMPERATORIS ROMANO-GERmanici, Capitulatio, cum ſpecimine Capitulationis perpetuæ collata, & cum Annotationibus, tum Documentis maximam partem ineditis illuſtrata.

Lipſiæ, apud Jo. Lud. Gleditſch & M. G. Weidmann, 1713, 4. Alph. 4 plag. 10.

EX quo Auguſtiſſimus Germaniæ noſtræ Imperator ab eminentiſſimis Patriæ Patribus in locum Fratris præmature defuncti ſuffectus eſt ac Francofurti corona Imperiali ornatus, non pauci ad explendam hominum curioſitatem in id incubuere, ut & notitia rituum partim in electione, partim in coronatione novi Imperatoris adhibitorum, & forma Capitulationis ſincere deſcripta perveniret ad omnes. Nemo tamen Lectori veritatis cupido magis ſatisfacit, quam præſentis editionis Autor Nobilisſimus, quem ipſis deliberationibus de Capitulatione inſtitutis interfuiſſe patet. Ex hujus docta Præfatione quædam ad elucidandam Capitulationis Cæſareæ hiſtoriam facientia repetemus. Scilicet in Germania non eſſe ſimplicem Reipublicæ formam, ſed ſyſtema quoddam Principatuum ac Rerumpublicarum, cujus Imperator ſive Præſes eſt ſive Director, juris publici civilisque prudentiæ doctoribus perſuaſit illius pacti ratio, quo Imperator Principibus & ceteris Imperii ſtatibus ſeſe devincire neceſſe habet. Pactum illud jam dudum Capitulationis nomen gerit, quæ primo Carolo V hac forma fuit præſcripta, isque mos deinceps ad noſtram usque ætatem ſervatus, Electoribus tamen novi Imperatoris Capitulationem, modo additis quibusdam, modo omisſis, pauliſper mutantibus, prout res ac tempus poſtulare videbatur. Tandem occaſione Pacis Weſtphalicæ Principes Germaniæ non Electores, ab exteris quibusdam Regibus incitati, perpetuam formam Capitulationis voluerunt confici. Præf. §. 5. Cum vero ſentirent Electores, id factum cum ſuorum jurium detrimento conjunctum eſſe, nulla ratione adhuc ea res confici potuit. Spes quidem affulgebat melior expediendæ hujus controverſiæ, cum A. 1709 & ſequenti Formula perpetuæ Capitulationis A. 1664 propoſita denuo in deliberationem adducebatur, §. 6. eaque, de quibus utrinque fuerat conventum, monita inſerebantur. Attamen ob litem de jure Poſtarum negotium hoc tardius §. 7. pro-

Digitized by Google

procedebat:cui acceſſit,quod Imperator Ducem de Guaſtalla a ſuc-
ceſſione Mantuana excluſurus novam Principibus injiceret ſolli-
citudinem, qua & ipſa liberari per perpetuam illam Capitulatio-
nem volebant. Inter hæc A. 1711 decedebat Imperator Joſephus.
Præf. §. 8. Ac tum Electores in gratiam Principum Formulam propoſitam
perpetuæ Capitulationis ponebant fundamentum Capitulationis
novæ novo Imperatori præſcribendæ:imo in nova hac Capitulati-
§. 9. one Imperator Carolus VI, diſerte obligatus eſt ad ſuſcipiendum
proxime Capitulationis perpetuæ ad finem perducendæ negoti-
um: qui & A. 1712 univerſis Imperii Ordinibus hocce negotium
commendavit. Nec dubium eſt, id brevi tempore confectum iri.
Nam licet multi veriti ſint, ne denuo jus Poſtarum novam litis ma-
teriam præbeat,atque ita rei mora injiciatur longior: nunc tamen
§. 23. motus ille evanuit, poſtquam nuper Ratisbonæ conventum eſt in-
ter Electores ac ceteros Principes, ut hic articulus in Capitulatione
perpetua omittatur. Ceterum etſi Formula perpetuæ Capitulati-
§. 12. onis poſita eſt pro fundamento Capitulationis Carolo VI præſcri-
ptæ, tamen Electores non ſimpliciter eam ſunt ſecuti, multa quip-
pe ex Capitulatione Joſephina retinentes, nonnulla nova inſeren-
tes. Cum igitur Carolina hæc Capitulatio reliquis omnibus jure
habeatur perfectior, Nobiliſſ. Editor in animum induxit eam ex
authentico exemplari ſincere deſcriptam evulgare, eamque cum
Formula perpetuæ Capitulationis conferre. Quare non ipſum ſō-
lum illud ſpecimen Capitulationis perpetuæ e regione Capitulati-
onis Carolinæ exhibet: id quod eo magis fuit neceſſarium, quod
§. 15. iſtud ſæpius quidem, ſed, excepta prima editione, nunquam ſine
gravibus mendis vulgatum eſt: verum etiam in ipſa Capitulatione
Carolina diverſis typorum formis adhibitis oſtendit,quæ ex perpe-
tuæ Capitulationis ſpecimine fuerint ſervata, quæ ex Capitula-
tione Joſephina deſumta, quæ denique de novo ſint addita. Ea-
dem in extrema quaque pagina notantur, ſubjectis etiam Annota-
tionibus, in quibus maxime eorum redditur ratio, quæ Capitulati-
oni poſtremum de novo fuerunt inſerta.

Capitulationem excipiunt documenta vel plane nondum edi-
ta, vel rara nimis, vel ad præſens opus prorſus neceſſaria. Ex qui-
bus multa eorum, qui de jure publico vel hiſtoria noſtri Imperii
ſcripſe-

Digitized by Google

ſcripſere, errata emendari poſſe, Nobiliſſ. Autor aliquot exemplis demonſtrat ſub finem Præfationis.

Iſtis e documentis potiora indice digito monſtrabimus. Primo ſcilicet Epiſcopi Conſtantienſis Monita ad Electores exhibentur, qui in Comitiis proximis queſtus eſt de Heluetiorum attentatis in jurium ſuorum præjudicium. Ac ſane in delineatione Capitulationis perpetuæ Imperator obligandus videbatur, ut Imperio in Italia & Heluetia rurſus conjungenda curaret, quæ fuerunt alienata. Sed Electores in Artic. X Capitulationis Carolinæ pro verbis: *in Italia & Heluetia*, poſuerunt: *in Italia & alibi*. Interim ea de cauſa iidem ad Heluetios miſerunt epiſtolam, quæ & hic inſerta legitur. Amplisſimum occupant ſpatium documenta de Feudis Langarum in Italia. Ubi & Enucleatio chronologica illorum feudorum, a Miniſtro Ducis Sabaudiæ confecta, ſiſtitur. Qui inter alia contendit, feuda illa non dici a provincia quadam, (nullam enim unquam ſic fuiſſe nominatam) ſed eorum ſitu in locis deſertis: loca quippe deſerta vulgo *Langas* vocari. Cui quidem ſententiæ Vaſalli illi contradicunt, reponentes, his locis Provinciæ appellationem denegari neutiquam poſſe, ac vocem *Langarum* in lingua Germanica ſignificare diſtrictum Territorii. Sed ut controverſiæ illius ratio fiat manifeſtior, ex iſtis documentis apparet, Duce Sabaudiæ ab Imperator Joſepho A. 1708 de Ducatu Montisferrati inveſtito, in hujusque Ducatus poſſesſionem immiſſo, Vaſallos dictorum feudorum (quæ ab eo Ducatu dependent) omnes, excepto Comite Dominico Franciſco Maria Carreto, Duci Sabaudiæ juramentum fidelitatis præſtitiſſe. Ille vero Carretus a Cæſare A. 1709 impetravit reſcriptum, quo revocata & annullata fuerunt juramenta fidelitatis Duci Sabaudiæ a Vaſallis illis præſtita, hique juſſi ſunt ſolum Imperatorem agnoſcere Dominum. Datum hoc fuit d. 29 Julii A. 1709, & hic quoque comparet. Verum Sabaudiæ Dux miſſo Viennam legato perfecit, ut examine facto A. 1711 d. 28 Martii Imperator declararet, ut poſſesſio illorum feudorum penes Ducem Sabaudiæ qua ſucceſſorem in Ducatu Montisferratenſi maneret. Imo Imperator edito decreto (quod pariter hic legere licet) Vaſallis illis mandavit, ut vaſallagium præſtarent Duci Sabaudiæ, qua Duci Montisferrati. Hac de cauſa Vaſalli illi ad Electores

Pag. 255. ſq. 264. 268. 270. 277. 282. 289. 298. 378. 299. 375.

U Fran-

Digitized by Google

Pag. 300 ſq. Francofurti congregatos confugerunt, exhibita iis Serie Facti in
cauſa Feudorum Imperialium Langarum. Ubi inter alia conten-
337. dunt, Joſephi Imperatoris datum A. 1711 decretum nullius jam eſſe
valoris, intercedente ipſius morte: ac id Cæſareæ aulæ praxi repu-
gnare, in qua mos invaluerit, deſignandi Commiſſarios, cum aga-
tur de revocatione publici Edicti A. 1709 a Cæſare promulgati ſua-
354. que manu ſubſcripti. Proinde petunt ab Electorali Collegio, ut
revocata poſſeſſione illorum feudorum, Duci Sabaudiæ per Reſcri-
ptum d. 28 Martii 1711 nulliter impertita aut acquiſita, integra cau-
ſæ cognitio inſtituatur. Cetera ſcripta, quæ Vaſalli Langarum
adverſus Miniſtrum Ducis Sabaudiæ, & hic contra illos edidit, Ele-
ctoribusque tradidit, prætermittimus.

P. 475 ſq. exhibentur Legati Magni Ducis Hetruriæ litteræ
ad Electores, quibus petiit, ut Capitulationi Carolinæ inſererentur
hæc duo, (1) ut compenſatio fiat eorum, quæ Imperatoris Commiſ-
ſarii bellici ex ſuis regionibus per hos annos injuſte expreſſerint:
(2) ut ipſi in futurum tempus proſpiciatur, ne ad bellum plus con-
ferre cogatur, quam ferat proportio Imperialium, quæ poſſidet, feu-
471. dorum. Ubi tamen Nobiliſſ. Editor monet, in Indice redituum,
472 ſq. (qui hic exhibetur) quos Hetruriæ Dux percipiat ex feudis, in quæ
inveſtituram ab Imperatore accipit, omiſſum eſſe Vicariatum Se-
nenſem, quem feudum Imperiale eſſe indubie conſtet. Addit, Ma-
gnum illum Ducem non habere, cur ex ſolis feudis ejusmodi ſum-
tus erogare velit, ſed merito aliquid conferre ex reliquis ſuis terris,
quæ a vi hoſtili liberatæ ſint & adhuc ſerventur.

480 ſq. Sequitur Hiſtoria prætenſionis Ducis de Guaſtalla in Duca-
tum Mantuanum. Nimirum Duce hoc ob feloniam juribus ſuis
abdicato A. 1708 mortuoque, Cæſar in animum induxit, Mantua-
num Ducatum domui Auſtriacæ ita addicere, ut is Mediolanenſi
Ducatui incorporaretur. Hanc ob rem Electorum ambiebatur
conſenſus; quanquam ſub Joſepho res non fuit confecta, interce-
dente ac ſpecioſas urgente prætenſiones Duce de Guaſtalla, quæ hic
exhibentur. Ceterum Cl. Editor ſtatuit, Ducis Guaſtallenſis præ-
tenſionem niti fundamentis non plane invictis.

P. 533 ſqq. ſiſtuntur Ducis Franciſci Mariæ Pici Mirandulani
Litteræ & copioſa deductio ad Electores de reſtituendis Feudis im-

Digitized by Google

perialibus Mirandulæ & Concordiæ una cum allodialibus bonis, quæ fiſcus Imperatoris ob imputatum læſæ majeſtatis ac feloniæ crimen ad ſe traxerit. Nec mediocri cum diligentia enarratur Pag. 580 ſq.
hiſtoria litis inter familiam de Taxis & Comitem de Paar ortæ de jure Poſtarum: & omnia huc pertinentia Documenta ſubnectuntur usque ad p. 703. Exhibentur etiam Caroli III R. Hiſpaniar. Litteræ Plenipotentiariæ de accipienda electione, Barcinone datæ d. 704.
30 Martii A. 1711. Quibus ſubjectum eſt Mandatum Procuratorium 706.
Caroli I Regis Hiſpaniæ (poſtea Caroli V Imperatoris) ad Electores, datum A. 1519. Cl. Editor hoc deſcripſit ex monimentis authenticis, ſimulque oſtendit, in exemplo hujus Mandati procuratorii, quod in Goldaſto exſtat, multa ineſſe menda, quæ hinc poſſint corrigi. Legenda etiam proponitur Proteſtatio quorundam Imperii 725.
Principum contra Capitulationem Caroli VI. Tandem totum hoc egregium opus concludunt Litteræ reverſales, quas vocant, Collegii Electoralis ad Urbem Aquisgranum ob non factam ibi Coronationem: ſubjecto rerum in toto opere contentarum Indice locupletiſſimo. 756.

הלכות מעשרות *SEU COMMENTARIUS PHIlologicus de Decimis Judæorum, X Exercitationibus abſolutus Autore JOH. CONR. HOTTINGERO.*

Lugduni Batav. apud Iſaacum Severinum, 1713, 4.
Alph. 2 plag. 12.

ARgumentum de *Decimis Judæorum*, quod alii vel leviter tantum attigerunt, vel minus recte explicarunt, Cl. Autor noſter, dignus Hottingeriani nominis heres, & Henrici ex Conrado Nepos, ſibi pertractandum, penitusque exhauriendum ſumſit. Expoſita *Exercit.* I diverſarum vocum origine, agit Exercit. II de antiquitate decimarum, & exponit, quomodo ante legem in Sinai latam decimas ſolverint Patriarchæ, inter quos primus eſt Abrahamus, qui decimas dediſſe legitur Gen. XIV, 20. Melchiſedeco, per quem Autor cum nonnullis interpretibus non merum nudumque intelligit hominem, ſed ipſum Dei filium, qui Abrahamo ex prælio reduci, in futuræ incarnationis præludium, humana indutus for- 1, 6. 10. 17.

Digitized by Google

ma, apparuerit. Eum enim, qui Ebr. VII, 4. ἀπάτωρ ſit καὶ ἀμήτωρ, itemque ἀγενεαλόγητος,, & ſacerdos maneat εἰς τὸ διηνεκές, Deum eſſe, non nudum hominem. Noſtra vero opinione Cl. Autor manifeſto confundit typum & antitypum, hiſtoriam de Rege Salemi a Moſe commemoratam, cum allegoria, & ſignificatione typica, hoc eſt, Melchiſedecum ἱστορούμενον, de quo Moſes agit, cum Melchiſedeco ἀλληγορουμένῳ καὶ ἑρμηνευομένῳ, ſive Chriſto, de quo Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos ſcripta, multa habet, qui hoc inprimis inculcat, Melchiſedecum Moſaicum eſſe ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ c. VII, 3. Nemo autem ſibi ipſi adſimilatur, aut ſui ipſius figura dici poteſt. Orationis Moſaicæ ſeries & nexus clare oſtendit, Regem Salemi Melchiſedecum, cui decimas ſolvit Abrahamus, ejusdem conditionis fuiſſe hominem, modo inſignem ejus pietatem excipias, cujus Sodomæ, aliorumque pagorum reguli fuerunt, qui
Pag. 18. a Moſe eodem capite commemorantur. Decimas autem dediſſe cenſet Abrahamum non ex propriis facultatibus, uti voluit Calvinus, ſed ex ſpoliis e bello reportatis, ἐκ τῶν ἀκροθινίων, teſte Apoſto-
19. lo Hebr. VII, 4, quæ proprie ſunt primitiæ manubiarum. Hoc Abrahami exemplum imitatos eſſe gentiles, quos ex ſpoliis hoſti-
20. bus detractis partem quandam Diis conſecraſſe conſtat, cujus rei veſtigium exſtat 1 Sam. XV, 21 & Numer. XXXI, 28, 29, 41. Dela-
21. tus ad Petriarcharum alterum Jacobum, qui pio avi facto motus, in grati ſignum animi, omnium, quæ a Deo accepturus erat, decimam partem conſtituit conſecrare Geneſ. XXVIII. 22, negat, eas Iſaaco, ut primogenito & Patrifamilias ſolutas eſſe, nec ſacerdotium ad jus primogenituræ pertinuiſſe, quod probat exemplis Caini & Abelis, cujus natu minoris oblatio Deo multo acceptior fuerit, quam Caini. Fuiſſe quippe tempora tum adeo libera, ut nullus cultus,
22. nulla ſacrificia, vel ad certum locum, vel tempus, vel perſonam certam adſtricta fuerint. Hanc aſſertionem nos aliquo modo temperandam emendandamque eſſe cenſeremus. Olim enim ſacerdotium ordinarie & communiter quidem penes primogenitos omnino fuiſſe videtur. Antiquiſſimis quippe temporibus Patresfamilias, qui familiam regebant, ſacris præerant, & victimas Deo offerebant, quod Noachi & Jobi exemplis probatur. Secundus a Patrefamilias erat filius primogenitus, qui abſente, vel mortuo Pa-

tre

Digitized by Google

tre, in jus regendæ familiæ, & ſacerdotii adminiſtrandi ſuccedebat. Quamdiu reliqui fratres in primogeniti familia hærebant, eundem non tantum ut totius familiæ caput, ſed ut ſuum etiam ſacerdotem venerabantur. Ita tamen, ut reliqui fratres, quam primum e domo primogeniti diſcedebant, propriamq; inſtituebant familiam, & ipſi capita familiæ, ſive Patresfamilias fiebant, idem ſacerdotii jus acquirerent, etſi non eadem dignitate, qua primogeniti, qui in rebus omnibus antecellebant. Ita difficilis & impedita controverſia facile componi, & ad Caini atque Abelis exempla, quæ opponuntur, reſponderi poteſt. Exercit. III tranſit ad explicandas decimas Moſaicas, agitq; accurate de rebus decimandis, quæ vel beſtiæ ſunt vel fructus terræ, Levit. XXVII, 30 & Deut. XIV, 22, *vinum* nempe, *frumentum*, *muſtum*, & *oleum*. Quando autem 2 Chron. XXXI. 5 דבש quoq; Pag. 28.
decimandum legitur, obſervat, ex Judæorum ſententia intelligendum eſſe דבש התמרים *mel dactylorum*, quo Palæſtina quibusdam 38.
in locis, præſertim Hierichuntina regio, abundabat. Unde Hiericho עיר התמרים *urbs dactylorum*, ſive palmarum, vocabatur. Conf. *Joſephus* L. V de B. J. Cap. IV f. 891 Edit. Colon. Cumque ſecundum Judæorum traditiones plures res ſint decimandæ, 39.
Autor eas, expoſitis rerum decimandarum regulis, enarrat. Ad quas nonnulli referunt Matth. XXIII, 23, ἡδύοσμον, *mentham*, ἄνηθον, ac 42, 50.
κύμινον, quorum poſteriorum loco Lucas XI 42 ſubſtituit πήγανον καὶ πᾶν λάχανον, *rutam & omne olus*, ſeu quodcunque in hortis 51, 54.
ſatum procreſcit, exiſtimantes, Servatorem Phariſæos & Scribas increpaſſe, quod rigidiores humanarum traditionum, quam legis divinæ eſſent obſervatores. Sed Autor noſter iis ſuffragatur, qui olerum decimationem ipſa divina lege præceptam, & verbis generalioribus Levit. XXVII, 30, Deut. XIV, 22, comprehenſam eſſe, cenſuerunt, eidemque a Chriſto opponi τὰ βαρύτερα τȣ̃ νόμȣ, & ex verborum ſerie collegerunt τὴν ἀποδεκάτωσιν ad faciliora legis præcepta pertinere, cum ſubjungat Servator, ἔδει, *oportere* hæc facere. 57.
Chriſtum igitur non prorſus improbaſſe ipſam illam olerum decimationem, ſed præpoſterum ſtudium in re minuta reprehendiſſe, cum graviora negligerent. Manipulum hordei, altero poſt Paſchatis feſtum die, demeſſum, Levit. XXIII. 15, & Hebræis עמר dictum, 75.

Digitized by Google

ctum, nec non עמר התנופה *manipulum agitationis*, cujus ſolennitas in Miſchna *Menachoth* X, 3 deſcribitur, exiſtimat Autor, totam Servatoris paſſionem peregregie adumbraſſe, quem nos rectius referri poſſe putemus ad Chriſti reſurrectionem ex mortuis. Quemadmodum enim manipulus ille ex frugum primitiis conſtabat, & meſſis mox ſecuturæ quoddam quaſi auſpicium, inauguratio, atque præludium erat, ita Chriſtus ex mortuis reſuſcitatus, *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων* factus eſt, 1 Cor. XV, 20, noſtræ etiam reſurrectionis illuſtre quoddam auſpicium, ejusdemque argumentum, & cauſſa.

Pag. 67. Exercit. IV agit de tempore, quando nimirum decimæ fuerunt ſeparandæ, quod varium fuiſſe docet pro variis frugum ſpeciebus.
100. Exercit. V terram contemplatur, quæ de ſolutione decimarum te-
103. nebatur, eamque Canaan fuiſſe docet, & obſervat, præter terram Iſraeliticam Syriam Zoba quoque ad decimas obligatam fuiſſe, ſecundum conſtitutiones ſapientum, hoc eſt, non omnes Syriæ Zo-
105. bæ incolas, ſed ſolos illos agros, qui Iſraelitas habebant poſſeſſores, *Miſchna Demai*, VI, 11. Paulo poſt de R. *Tarphone* adnotat, eum
108. nonnullos *Tryphonem* eſſe conjectaſſe, *contra quem ſcripſit Petrus Martyr*. Sed Autorem noſtrum memoria fefellit. Nam *Petrus Martyr*, Reformatæ Eccleſiæ Theologus, cujus vitam a *Melchiore Adamo* conſignatam habemus, nihil contra Tryphonem ſcripſit, ſed *Juſtinus κατ᾽ ἐξοχὴν Martyr* dictus, qui ſub medium ſeculi a nata mundi ſalute ſecundi floruit, colloquium habuit cum *Tryphone*, R. *Akiba* collega & commilitone, quem Judæi vulgo הכהן העשיר *ſacerdotem divitem* appellant. Exercit. VI Decimæ diſtinctius ex-
116. plicantur, & in *quatuor* ſpecies dividuntur, ſc. (1) in מעשר ראשון
117. *decimam primam*, poſt ſeparationem בכורים & תרומות, a populo Levitis ſolvendam Num. XVIII, 21, 24. Obſtare videtur locus Hebr. VII, 5, ubi ſacerdotibus, non Levitis, tribui videtur *ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν decimas accipere a populo*. Multi ad tollendam difficultatem dicunt, accepiſſe ſacerdotes decimas a populo, non qui-
112, 138. dem immediate, ſed mediantibus Levitis, ac ſi ſermo eſſet Apoſtolo de decimis, quas Levitæ ex iis, quas a populo acceperant, pendebant ſacerdotibus. Cl. autem *Relando, Antiqu. Hebr.* p. 380 potius hic agi videtur de Levitis ipſis, ſic ut illi, qui Jerem. XXXII, v. 21 appellantur הכהנים לוים, hic nuncupentur *illi qui ex filiis Le-*

vi

Digitized by Google

vi ſunt, οἱ ἐκ τῶν υἱῶν λευΐ, h. e. *Levitæ*, quorum tribui jura ſacer-
dotalia ſint conceſſa, ſive τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, illi jus ha-
bent ad decimas. Nam v. 14 tribui Leviticæ ſacerdotium a Mo-
ſe tributum memoratur. Porro *ſecunda* decimarum ſpecies eſt
מעשר מן המעשר *decima ex decimis*, quam Levitæ pendebant ſa-
cerdotibus, Num. XVIII, 26 (3) מעשר שני *decima ſecunda*, quam
colonus Hieroſolymas afferre ibique invitatis ad convivium Sacer-
dotibus & Levitis, conſumere debebat, Devt. XII, 27. Tandem (4)
מעשר עני *decima pauperum*, Devt. XVI, 12. Exercit. VII agit de *de-
cimis ſecundis*, ab Iſraelitis ſolutis & Hieroſolymas allatis, & con- Pag. 147.
tra *Jo. Buxtorffium* notat, has decimas diverſas omnino eſſe a *deci-
ma ex decimis*, a Levitis ſoluta ſacerdotibus, diciq; putat מעשר שני
decimam ſecundam reſpectu perſonarum ad eam ſolvendam obliga-
tarum. Quemvis enim colonum de frugum ſuarum cumulo ſe-
mel, iterumque decimas debuiſſe ſeparare. De *decimis ſecundis* Hie-
roſolymis, intra mœnia, & in Templi atrio, ubi conclavia erant in
hunc uſum exſtructa, inſtituebantur epulæ, quæ veterum Chriſtia-
norum ἀγάπαις originem dediſſe videntur, quamvis gentiles eti-
am ſimilem ritum in ſacrificiorum ſolennibus habuerint. Exer- 174, 178.
cit. VIII *decima pauperibus ſoluta* expenduntur, oſtenditurque, eas 182.
quovis anno *tertio* heptaeteridos, hoc eſt, intra ſeptennium *bis*, an- 200.
no videlicet tertio, & ſexto, decimarum ſecundarum loco ſolutas
fuiſſe, ita quidem ut *decima prima* intra ſeptennium ſex, *ſecunda* 202, 203.
quatuor, & *tertia* ſive pauperum, duabus vicibus, ſecundum JCto-
rum Judæorum rationes, fuerint ſeparandæ. Nam tertio & ſexto he-
ptaeteridos annis nullæ *decima ſecunda*, ſed earum loco *decima pau-
perum* ſolvebantur, quæ propterea מעשר שלישי, δεκάτη τρίτη,
Tob. I, 7, & apud *Joſephum*, *decima tertia*, vocari videntur, quod
non niſi quovis *tertio* intra ſeptennium anno ſolvi ſolebant. Tan- 184.
dem Exercit. IX de confeſſione decimarum Hieroſolymis recitan- 205.
da, & X de ritu decimandi animalia apud Judæos agit. 229.

S. B. ANIMADVERSIONES QUÆDAM AD JACOBI GRONOVII Emendationes in Suida, conjunctim editas cum Decretis Romanis & Aſiaticis, &c. quorum mentio in Actis noſtris facta Anno ſuperiore p. 411.

In

IN his Decretis prius adhuc monemus, Epiſtolam Dolabellæ ad Epheſios, quæ habetur p. 4, minus recte ſic inchoari: Ἐπὶ Πρυτάνεως Ἀρτέμωνος Ληναιῶνος πρώτῃ Δολαβέλλας αὐτοκράτωρ Ἐφεσίων βουλῇ καὶ ἄρχουσι καὶ δήμῳ χαίρειν. Quis credat Imperatorem Romanum ſignaviſſe tempus indicatione magiſtratus ejus Civitatis ad quam ſcribebat, & non potius ejus unde ſcribebat, vel multo magis quibus Coſſ.? illa igitur prima verba ad antecedentia ſine dubio pertinent, ut ſit: γράψας καὶ τῇ Ἐφεσίων πόλει πρωτευούσῃ τῆς Ἀσίας περὶ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ πρ. Ἀρτ. &c. ἡ δὲ ἐπιςολὴ τοῦτον περιεῖχε τὸν τρόπον. Δολαβέλλας αὐτ. &c. Sane verſio antiqua hujus loci, quam Vir Cl. adducit p. 48, antecedentibus annectit temporis notationem; etſi non ante, verum poſt hæc verba ἡ δὲ ἐπιςολὴ τοῦτον περιεῖχε τὸν τρόπον, quæ etiam aliter videtur legiſſe ejus auctor: & ſane illud περιεῖχε ſuſpectum videri poſſit; mallem utique pro eo hic ſimplex. Præterea p. 18 editum: ἵνα τε μηδεὶς ἀτελὴς ἦε τῆς Ἰουδαίων χώρας ἢ τῶν λεμένων αὐτῶν ἐξάγων. Latine ita: *& ne quis immunis tranſeat ex Judæorum regione aut ex portubus eorum educens*; nempe illud ἦε *tranſeat* putatur ſignificare; poſſet fortaſſe ſi ſcriberetur ἴῃ vel ἴοι. Sed non eſt neceſſe; delendum potius ε illud, & vertendum: *ut ne quis ſit immunis*. P. 20 lin. 2 eſt ἀπεθείμεθα, quod vix eſt Græcis notum; ἀποτεθείμεθα dicere poſſunt, ſed hoc ibi non quadrat. Sine dubio ſcribendum ἀπεθέμεθα. Paulo poſt in ὁ τὴν ἐπιςολὴν ἡμῖν ἀποδοὺς, mallem ἐπιδούς. P. 24, editum ἐπιτραφθῶ αὐτοῖς, quod Latine converſum: *concedatur eis*, atqui hoc ita ſcriptum, eſt primæ perſonæ, & longe aliud ſignificat, v. g. ἐὰν ἐπιτραφθῶ τι *ſi alicui rei præficiar*; quod ſi ſcribatur ἐπιτετράφθω αὐτοῖς, hoc jam erit *concedatur eis*. Hæc non obtrectandi animo annotavi, nec quaſi parum ſentiam quanta ſint & quam præclara Viri Clariſſimi in Remp. literariam merita; ſed quia prodeſt detegi & monſtrari errores, ut vitentur. Nec debet vel is, qui forte unum alterumve nævum in aliis animadverterit, aut ab alio notatum invenerit, propterea inſoleſcere, illosque contemnere: cum nemo qui homo natus eſt, poſſit non errare, aut ſolus omnia perſpicere; vel is, qui erroris admonetur, ſtatim iras concipere & maledictis ulciſci monentem; cum

liceat

liceat & decorum ſit, placide & modeſte ſua quemque defendere, ubi ſe erraſſe non putaverit: viciſſimque oſtendere, alteri etiam aliquid excidere potuiſſe. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Sed nunc ad Emendationes in Suida veniamus.

Natæ ſunt illæ Viro Cl. occaſione Codicis MS. qui Iſaaci Voſſii fuerat, & ex Anglia Leidam juſſu Illuſtrium iſtius Academiæ Curatorum translatus, in manus ejus pervenit. Indicio Viri Cl. nunc primum diſcimus, Suidam non tantum illud Lexicon ſcripſiſſe quod ſub ejus nomine habemus, verum etiam eundem eſſe auctorem illius quod ſine auctoris nomine dicitur & habetur Etymologicum magnum: aut certe illum aliud tale itidem edidiſſe, id quod unam illius Codicis Voſſiani partem conſtituit. Operæ pretium autem ſe facturum putavit Vir Cl. ſi alteram partem Codicis illius conferret cum Suidæ Editione Cantabrigienſi, & Emendationes quasdam erueret. In præſenti itaque tres priores literas percurrit; de reliquis poſt, ut ait, deliberaturus. Nos hic ſpeciminis loco afferemus aliqua ex illis Emendationibus, unde appareat bonus vel ſequior ejus operæ ſucceſſus. Recte Cl. Kuſterus in v. Ἀριςέας aliquid deeſſe putat his verbis: ἔγραψε δὲ οὗτος καὶ καταλογάδην θεογονίαν εἰς ἔπη ά. nam abſurde diceretur Ariſteas ſcripſiſſe Theogoniam ſoluta oratione, quæ tamen tot vel tot verſibus conſtiterit, quaſi eadem oratio ſimul & ſoluta & ligata eſſe poſſit; ergo ſic in Notis ſupplet ac diſtinguit: ἔγραψε δὲ οὗτος καὶ καταλογάδην τινά. καὶ θεογονίαν εἰς ἔπη ά. i. e. *Scripſit autem iſte etiam ſoluta oratione quadam; & Theogoniam, usque ad mille verſus.* Ubi tamen τινὰ non plane neceſſe erat addi. Contra Cl. Gronovius non addi quicquam, ſed potius omitti vult, nempe ά illud numerale, quia id non habeatur in MS. illo: & ita locum conſtituit ac Latine vertit ἔγραψε δὲ οὗτος καὶ καταλογάδην, Θεογονίαν εἰς ἔπη. *Scripſit autem hic quoque ſoluta oratione, Theogoniam per verſus.* Sed ut nihil dicam de interpunctione, quæ recte facta eſt a Cl. Kuſtero; quamvis demto illo ά numerali, non magis leniter jam fluit oratio, carens conjunctione καὶ ante vocem θεογονίαν vel poſt eam, δέ, quæ ambæ etiam locum habent, ſic: καὶ θεογονίαν δέ. Imo potius non recte ablatum eſſe inde illud ά, & neceſſario mentionem numeri ſive illius, ſive alterius alicujus ibi factam fuiſſe, quilibet videbit, qui recte

Digitized by Google

intellexerit illud *εἰς ἔπη ά* nempe ita ut nos ante interpretabamur. Dum autem id vertitur: *ſcripſit per verſus*, in eo certe, *καὶ ὅπως μὴ ὀργισθῇς ὦ ἀγαθὲ*, non leviter peccatur. Nec exempla quæ afferuntur, quicquam proſunt; imo unum ex iis plane adverſatur, hoc, ex v. *Γεώργιος. Ἐξαήμερον δι᾽ ἰάμβων εἰς ἔπη τρισχίλια.* hoc plane ſuadet retinendam eſſe numeralem notam *ά*, non delendam: & locum ita vertendum ut nos fecimus, ut ſignificetur, quousque numerus verſuum excreverit. Reliqua duo exempla: *ἐγκώμιον εἰς τὸν μάρτυρα Ἀναστάσιον* & ex v. *Ἄρατος, Ὕμνους εἰς Πᾶνα*, aliena ſunt, & nihil ad rem faciunt. Melius res geritur in v. *Ἄρκτος*, ubi pro vulgato, *τῆς τελευτησάσης ἄρκτου τινὰς ἀρκτεύειν*, ex MS. *τῆς τελευτησάσης ἄρκτου ποινὰς ἀρκτεύειν* aſſeritur. In v. *Ἀτιμότερον* locus autoris incerti extat corruptus, quod Editio Cantabrigienſis indicat præfixo aſteriſco + *Εἰν ἀΐδα γὰρ μένων Θερσίτης οὐδὲν ἀτιμότερος*, qui tamen ſenſum aliquem exhibet: *Apud inferos enim manens Therſites non eſt inhonoratior.* In his autem Emendationibus ex MS. ita conſtituitur:

———— *εἰν ἀΐδαο·*

Γάρ μιν ὁ Θερσίτης οὐδὲν ἀτιμότερος,

nempe ut ſit finis hexametri cum pentametro, nullo interim apparente ſenſu; hæc enim nihil aliud poſſunt ſignificare quam hoc: *Apud inferos enim ipſum Therſites non inhonoratior.* Præterea verſus inchoatur a *γὰρ* præter morem, de qua re aliquid diximus anno 1711 p. 31 ſeq. & p. 299. Quod ſi quidlibet Lectori obtrudendum eſt, en conjecturam noſtram. De inferis aliquid dici videtur more Lucianeo. Apud Lucianum Nireus formoſiſſimus Græcorum, qui ad Trojam pugnarunt, & Therſites omnium turpiſſimus, introducuntur de forma certantes poſt mortem apud inferos ſub judice Menippo. Hic eam litem ita decidit: *οὔτε σὺ, οὔτε ἄλλος (ἐνταῦθα) εὔμορφος. ΙΣΟΤΙΜΙΑ γὰρ ἐν ᾅδου, καὶ ὅμοιοι ἅπαντες.* Tale quid & ille Poeta dicere voluiſſe videtur; forte quaſi Therſites a Nireo contemtus, illum objurgaverit. atque hoc pacto ex priore verſu exciderit verbum *νείκεσεν*, aut ſimile, ut ſit:

———— *νείκεσεν εἰν ἀΐδαο*

Νιρέα Θερσίτης οὐδὲν ἀτιμότερος.

Vocis *Νιρέα* veſtigium aliquod apparet in *γάρ μιν.* Sed quia in Editi-

Editionibus etiam vocis Μένιππος extat veſtigium in μένων, nec hoc debet negligi: & fortaſſe plures voces exciderint, ut tale quid fuerit oratione proſa: ἐν ᾅδου γὰρ, Μένιππος ἔφη, Νιρέως Θερσίτης οὐδὲν ἀτιμότερος, non jam quaſi apud inferos res geratur. Hoc Menippi dictum videtur Luciano occaſionem dediſſe illius dialogi. In v. Αὐτόχθονες legitur Αὐτόχθονες οἱ Ἀθηναῖοι. deinde mox: Αὐτόχθονες δὲ καὶ Ἀρκάδες, καὶ Αἰγινῆται, καὶ Ἀθηναῖοι. ubi ultima vox merito ſuſpecta eſt Cl. Gronovio, partim quia ultimo loco Athenienſes commemorentur, quibus primus locus potius erat aſſignandus: partim quia jam indicatum fuerit, eos αὐτόχθονας dici. Itaque ex MS. reponit Θηβαῖοι, de quo dubitandum non eſſe putat, ſi quis ad Ogygum & Ectenas reſpiciat, quod ſane ita eſt. Sed potuerunt etiam ita dici propter Spartos, ſub Cadmo: ut Æginetæ propter Myrmidonas ſub Æaco primum in Ægina ex terra natos. Omnino etiam illud καὶ in Αὐτόχθονες δὲ καὶ indicat, præter Athenienſes, alios ibi, non illos ipſos iterum commemoratos fuiſſe. Placet etiam emendatio loci illius ex Æliano in v. Ἀφῖγμαι adducti, qui in vulgatis ſic exhibetur: ἠντιβόλει δεόμενος τὴν πήρωσιν τῆς ὄψεως quæ verba cum, utcumque licet, ſignificent hominem quendam oraſſe, ut ſibi oculi eruerentur; interpretes in contrarium ſenſum extulerunt, quaſi is deprecatus fuiſſet oculorum jacturam: id quod veroſimilius eſt illum feciſſe, modo id ex Græcis ulla ratione exprimi poſſet. MSti Lugdunenſis lectio eum ſenſum exhibens quem illi volebant & res poſtulat, hæc eſt: ἠντιβόλει ῥυόμενος τὴν πήρωσιν τῆς ὄψεως. Fortaſſe vera, bona utique. Sed id aliter quoque non inepte dicere potuiſſet Ælianus, ſic: ἠντιβόλει παραιτούμενος τὴν πήρωσιν τῆς ὄψεως. quod παραιτούμενος alicui videri poſſit genuinum eſſe, ab aliquo imperito per δεόμενος in margine explicatum (utrumque autem *petendi* ſignificationem habet ſed diverſo modo,) deinde ab alio, cui id minus quoque notum eſſet aut placeret, quam δεόμενος, huic locum dare coactum. In v. Βραγχίδαι narratur, iſtos Branchidas, qui erant Vates Apollinis Didymæi apud Mileſios, & a Brancho Apollinis amaſio ita dicebantur, iſtos igitur ſub adventum Xerxis prodidiſſe templum Dei ſpoliandum Perſis: deinde metu ultionis cum Perſis ex Græcia revertentibus, ulterius in Aſiam profectos, locum a Rege impetraſ-

 ſe,

ſe, in quo urbem condiderint cognominem ſibi ipſis, Branchidas. Poſterioribus tamen temporibus Alexandrum M. cum jam in Aſia rerum potiretur, hanc perfidiam in poſteris ipſorum eſſe ultum, quos omnes occiderit, urbemque deleverit. Quam hiſtoriam cur Vir Cl. *ancipitem* dicat, non video, cum clara ſit, & ab aliis etiam tradita, Strabone & Plutarcho. Ea igitur hiſtoria apud Suidam in Edd. clauditur his verbis: *καὶ τὴν ψευδώνυμον πόλιν κατέκαυσε καὶ ἠφάνισε*, recte omnino, nec facile quisquam ſecus putabit; ex MS. tamen profertur, & ultimæ voci præfertur *ἠφανίσθησαν*, quod non malum quidem eſt, ſed præ altero illo vix aſſumendum. In verſione etiam Cl. Kuſteri neſcio quid carpitur, immerito ut alibi non ſemel. Locus quidam eſt ex Polybio in v. Δαιτρὸς p. 516 T. I, de quo ita Cl. Gronovius p. 100. *Legitur inter cetera de Dionyſio tyranno, illum κλινοκοσμοῦντα καὶ τὰς τῶν ὑφασμάτων ἰδιότητας ἐξεργαζόμενον συνεχῶς. ubi prius ſane accedit ad verum, poſterius vero quomodo aut dicere potuit Timæus, aut ſcribere Polybius, aut ex eo deſcribere Suidas? an uſpiam aut lanificus inducitur Dionyſius, aut penſis ſericis intentus, & quidem tanta cum peritia, ut potuerit ἐξεργάζεσθαι ποικιλίας iſtas? fuit ille magnificus & pretioſus in quacunque ſupellectili, ſed non abs ſe facta. Accedit ſapientiſſima interpretum cura, dum vident abſurdum, ſi ſimpliciter reddant &c.* mox: *Si verum vis teſtor tibi in MS. Lugdunenſi eſſe ἐξεταζόμενον.* Hæc Ille quaſi re jam confecta. Quaſi recte Dionyſius ab illiberali opificio liberatus ſit ope MS. illius; qui tamen adhuc in ſervili officio relinquitur, in ornandis lectis. Atqui totus ille ſibi potius relinquendus: & *ἐξεργαζόμενον* omnino retinendum, nec aliter niſi ſimpliciter vertendum. Dicitur enim hoc de Dionyſio ita, ut paulo ante ibi de Homero dicebatur, iſtum voracem ſeſe oſtendere, quia ſæpe in carminibus ſuis dapes inſtruat: cujusmodi & hæc eſt argumentatio: *Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus*; ſic igitur & Dionyſium dicere voluit hiſtoricus ille, quia multus eſſet in deſcribendis tapetibus exquiſiti operis, eum talibus delectatum videri. In quo figura orationis uſus eſt, quali Virgilius Ecloga VI:

Tum Phaethontiadas muſco circumdat amaræ
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.

Qualiter & Ariſtophanes Comicos quosdam perſtringens, quod ſem-

ſemper ſervos ſupellectile onuſtos introducant ad captandum ſcilicet riſum, dicit in Ranis v. 15: Σκεύη φέρουσ᾽ ἑκάστοτ᾽ ἐν κωμῳδίᾳ, quaſi illi ipſi Comici geſtarent onera. Ceterum Dionyſius in Tragœdiis quas ſcriptitabat, videtur illas ἐξεργασίας feciſſe. In v. Δεινοὶ p. 555 T. I: Δεινοὶ πλέκειν τὰς μηχανὰς Αἰγύπτιοι. In hoc verſu articulus τὰς offendit Cl. Gronovium, hinc ex MS. reponit πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι. Ita ſane & apud Schol. Ariſtoph. & Steph. Byz. legitur, eſtq, jambus Æſchyli. In v. Δημάρατος p. 538 T. I nomen Regis illius, a quo altera ſeries Regum Lacedæmoniorum deducebatur, in obliquo caſu ſcriptum Πατροκλέους a Πατροκλῆς, pro quo Vir Cl. ex MS. reponit Προκλέους a Προκλῆς. Dubium quidem eſt: & poteſt defendi vulgatum quoque, nam non ſemel ille Rex apud Autores Πατροκλῆς dicitur, ſuntque loca a Viris doctis ad Pauſaniam p. 206 Ed. Lipſ. in utramque partem annotata: ubi Xylander etiam cauſam hujus ambiguitatis aperit, quia videlicet ſoleant Græci nomina propria virorum ſignare linea ſupra transverſim ducta (nimirum ut in quibusdam H. Stephani Editionibus videmus,) idemque facere, cum in aliquibus vocibus ταχυγραφίας cauſa literæ quædam tranſiliuntur (ut v. g. apud Euſtathium p. 1060 lin. 2 Ed. Rom. ubi Προκλος ſcribitur nomen Patrocli Homerici) dubitat itaque Vir doctus an, cum Προκλῆς ſcriberetur, *linea iſta proprium nomen deſignet? an vero* τρ *pro* πατρ *ſit poſitum* i. e. προκλῆς ne, an πατροκλῆς ſit legendum? Sed nunc omnem dubitationem Lectori certiſſima ratione eximemam, adducto carmine, ubi Proclis illius ipſius mentio eſt,

Σπένδοντες δ᾽ ἁγνῶς Ἡρακλεῖ τ᾽ Ἀλκμήνῃ τε
Προκλέι, Περσείδαις τ᾽ ἐκ Διὸς ἀρχόμενοι.

Jonis Chii eſt, apud Athenæum p. 463.

SOME INSTANCES OF THE DEFECTS &c.

i. e.

EXEMPLA DEFECTUUM ET OMISSORUM in Guil. Whiſtoni Collectione Teſtimoniorum Scripturæ & Patrum contra veram Filii & Spiritus S. Deitatem, nec non ψευδερμηνείας quorundam, obſervata a JOH. ERN. GRABIO, S. Th. D. Præmittitur Diſſertatio GEORGII HICKESII, S. Th. D. qua de GRABIO, ejusque Mſcptis, & hoc Tractatu poſthumo diſſeritur.

X 3 Londini,

Londini, apud Henr. Clements, 1712, 8.
Plag. 7.

GRatiſſimam ſane univerſo Orbi erudito navavit operam Vir jam ſæpe in his Actis cum laude memoratus, Georgius Hickeſius, quod eruditiſſimi Grabii inſigni rei literariæ damno exſtincti memoriæ egregia hac Diſſertatione parentaverit. Cum enim ipſe Grabius per tabulas teſtamenti Mſcptorum ſuorum cuſtodiam Hickeſio, ac poſt ejus mortem Reverendo Viro D. Smalridge, Decano Carleolenſi, mandaverit, poſtremum vero ea in Bibliotheca Bodlejana reponi voluerit, erat ſane e re eruditorum, ut, qui rei eccleſiaſticæ theſauri iſtic abſconditi laterent, cognoſceremus. Memoranda hic ſunt cumprimis duo, quæ ſuperſunt, volumina textus τῶν ό, e Codice Alexandrino, cum ampla collectione ad Annotationum, Diſſertationum & Prolegomenorum Volumini V deſtinatorum apparatum ſpectante, ad quam Editionem perficiendam, Executores Teſtamenti, illuſtrem Bonetum, Regis Boruſſiæ nomine Londini reſidentem, & Nelſonum, curaturos eſſe, ut obtineantur Mſcptorum Origenianorum collationes, totumque opus denique publicetur, ſperare jubemur. Recenſentur hic porro ex Mſc. ejus apographum textus Alexandrini N. T. & Epiſtolæ Clementis, cum notis, duo Tomi Spicilegiorum reviſi, correcti, ac inſigniter aucti, cum tertio Tomo, quem ut cum Orbe erudito communicare poſſet quam primum, Autorem impenſe ſemper optaſſe meminimus, Irenæus ad novam Editionem inſtructus, ac ad defenſionem adverſus Maſſuetum paratus, inſignis copia fragmentorum Origenis, plagulis 125 collectorum, cum ingenti numero fragmentorum ex aliis Patribus & hæreticis, ſiquidem, ut recte monetur p. 68, ſummo ſtudio noſter in detegendis etiam Apocryphis & hæreticis primorum ſeculorum ſcriptis verſabatur, probe gnarus, quantum Helleniſticæ Dialecti in his omnibus dominantis cognitio accuratæ ſacrorum Scriptorum interpretationi ſerviat. Prolixius aliquanto recenſetur aliud Grabii Mſc. ſub titulo: *Anglicanæ Eccleſiæ prærogativæ præ aliis Proteſtantium cœtibus in praxi & doctrina*, v. g. ut aliqua memoremus, in Hierarchia Eccleſiaſtica, in celebratione Evchariſtiæ, in adminiſtratione Confirmationis per χειροθεσίαν ex Ebr. VI, 2, in ritibus quibusdam commendatis, ut ſunt im-

merſio

merſio baptizandorum, jejunium quadrageſimale, &c. in moderatione circa formandos fidei articulos, in reſtitutione Præcepti II de imaginibus, in articulo de Juſtificatione & Prædeſtinatione, κ. τ. λ. quanquam & his omnibus addiderit ſigillatim *Deſiderata*. Memorantur porro Tractatus ejus complures Mſc. adverſus errores Eccleſiæ Romanæ, v. g. *Petrus non Monarcha*: *Petrus non Petra*: *Romana Eccleſia & Ethnica Religionis ſimilitudo & convenientia*: *Tractatus de Idololatria*: *Nova Babylon*: *Roma meretrix*: *De communione ſub utraque*, & hac occaſione Grabii fama ab Hickeſio prolixe adverſus papizantis animi vel *παλαιομανίας* imputationem de- Pag. 10, - 17.
fenditur, quamq; vel ex moderatorum inter Anglos Theologorum &p. 25. - 32.
moliminibus ſub Guilielmo III luculenter conſtet, eos quoque de incrementis Reformationis nondum ſatis profectæ cogitaſſe, monſtratur. Imprimis vero dolendum eſt, incomparabili ſtudio collecta magni, quod meditabatur Grabius, operis de Pſeudo-Apoſtolicarum Conſtitutionum origine, genio, ac falſitate ſubſidia ejus ultimam manum deſiderare, quæ Cl. Hickeſius p. 17 - 23 copioſe exponit, ſpemque facit, ſi quis adverſus Whiſtonum ſcripturus, aut alio modo iis ad Orbis eruditi fructum uſurus, eorum copiam deſideret, non penitus eam negatum iri. Quod ſane ex mente fieri ipſius optimi Grabii, notum eſt iis, qui promptitudinem illius in communicandis propriis inventis ſummam experti ſunt, & ipſe Cl. Hickeſius aliquot exemplis docet, raram inter eruditos virtutem ex merito ipſi vindicans. Inde Hickeſius ipſam controverſiam Whi-
ſtonianam aggreditur in aſſerenda cumprimis fide Juſtini Marty- 35. - 50.
ris circa Doctrinam de S. S. Trinitate, vocis οἰκονομίας technica in-
ter Patres etiam antiquiſſimos ſignificatione, qua τῇ θεολογίᾳ op- 51. - 59.
poſita imprimis Incarnationem Filii Dei notat, & Doxologiæ Filio pariter & Spiritui S. oblatæ antiquitate, prolixe occupatus. Totam
vero Diſſertationem claudit Epiſtola Anonymi ad Hickeſium, qua 69.
Grabii candor in examinandis Chriſtianæ fidei controverſiis omni humana προκρίσει commodoque ſepoſito impenſe commendatur, quantumque imprimis in excutiendo dogmate de SS. Trinitate,
Patris *D. Sylveſtri Grabii*, publicis adverſus Chriſtoph. Sandium 72.
Lectionibus & Diſſertatione edita de αὐθεντίᾳ loci 1 Joh. V, 7 clari, exemplo ductus, collocaverit ſtudium ab ineunte usque ad vergen-

Digitized by Google

gentem ætatem, prolixe exponitur. Quare dolendum eſt, quod additur, multo labore ab eo convaſata in hanc rem collectanea neſcio quo fato inter MSS. ejus nunc deſiderari. Tandem, quod Grabius
Pag. 76. moribundus fieri juſſerat, ſolemnis ipſius additur profeſſio, qua, mori ſe in fide & communione Eccleſiæ Anglicanæ, non obſtantibus quibusdam in ejus Reformatione defectibus, totoque pectore omnium Chriſtianorum ad maxime primitivum exemplar reſtauratam unionem optare, teſtatus eſt. Libellum ipſum, quem hic exhibet Hickeſius, non niſi 30 paginis conſtantem, novimus a Viro optimo in ſumma temporis anguſtia poſt evolutam Mſtam collectionem teſtimoniorum a Guilielmo Whiſtono ipſi communicatam, Archi Epiſcopi Eboracenſis juſſu fuiſſe deproperatum. Sunt tamen in eo quoque veſtigia eruditiſſimi Autoris non obſcura. Urget imprimis, omiſſum a Whiſtono locum claſſicum in S. S. Trini-
3, -8. tate aſſerenda Eſa. VI, 1–10, quem non vulgaribus obſervationibus munitum vindicat, & pro communi fide luculenter facere demonſtrat. Urget omiſſionem inter Patres Clementis Alexandrini, cujus exſtantia Opera, tanquam juvenilia & Philoſophica, rejiciat, hypo-
13. typoſes non amplius exſtantes unice & perdite deamans. Docet enim, juvenilia Opera Clementis tanto magis eſſe debere in pretio, quo ſæpius ipſe Clemens L. I Strom. p. 274, 275, 279 queratur ob τὸ ἀσθενὲς τῆς μνήμης, neq; vero nimis juvenilia eſſe, quæ habemus, ſiquidem alia eum jam antea ſcripſiſſe conſtet ex Pædagogi L. II C. 10 p. 198 & L. III C. 8 p. 237. Hypotypoſes ipſas, quarum inſignia fragmenta & accuratam ſynopſin promittit ſe daturum in Spicilegii Patrum Tomo III, non potuiſſe abſurda iſta & blaſphema, quæ Photius Cod. 109 eis tribuit, continere, tanquam ex mente Cle-
16. mentis dicta, ſed ex hæreticorum mente, quorum cogitata ἐν μέρει παραθήσεσθαι promiſerat L. VI Strom. p. 475. Imprimis ex deper-
17. dito quodam Libro Clementis Fragmentum, in quo Spiritus S. abſolute dicatur Θεὸς, eodem Tomo Spicilegii publicare pollicetur. ψευδερμηνείας Whiſtonianæ exempla ipſi præbent loca Rom. IX,
23 ſqq. 5, & Tit. II v. 13 ad Patrem applicata, quæ ad Filium ſpectare, diſcuſſis Whiſtoni contrariis argumentis, perſpicue oſtendit. Recentiſſimi, quod hic addendum eſſe cenſuimus, ex Anglia nuncii nos docuere, Tomum III Spicilegii Patrum Grabiani propediem

diem

em prælo Oxonienſi commiſſum, publicæque rei literariæ bono publicatum iri.

AN ANSWER TO MS. WHISTONS SEVENTEEN ſuſpicions concerning Athanaſius &c.

i. e.

RESPONSIO AD GUILIELMI WHISTONI XVII Fundamenta Suſpicionum adverſus ATHANASIUM in Hiſtorica Præfatione motarum; Autore STYAN THIRLBY, A. B. e Collegio Jeſu Cantabrigienſi.

Cantabrigiæ, apud Edm. Jeffery, 1712, 8.

Plag. 8.

QUam gravia adverſus Athanaſium ſuſpicionum capita Guilielmus Whiſtonus collegerit, retulimus compendioſe Supplement. T. V Sect. V p. 213, a quibus famam magni Viri vindicandam eſſe exiſtimavit Cl. Thirlby, fœtu quanquam maxime juvenili, ut in Præfatione teſtatur, Orbi erudito innoteſcere non veritus. Ante omnia monet, rem ipſam, quæ inter Orthodoxos & Whiſtonum in controverſia eſt, parum afficere quæſtionem de virtutibus vitiisque Athanaſii, ſed, ut clamoribus Whiſtoni ſatisfieret, ut errori Pag. 7-10. eorum obviaretur, qui, non quid, ſed a quo dicatur, attendere ſolent, ut ſchema γενέσεως orthodoxæ de Trinitate fidei a Whiſtono fictum tanto magis enervaretur, denique ut pietati erga Athanaſium litaretur, has Vindicias a ſe fuiſſe ſuſceptas. Primam ſuſpicionem adverſus eum movit Whiſtonus ex eo, quod Athanaſius caput fuerit factionis, ac parum proinde fidei mereatur in iis, quæ ad ipſius partes defendendas ſpectent. Hic vero Cl. Thirlby oſtendit, 11-16. eadem ratione Apoſtolorum fidem, qui & ipſi novæ ſectæ principes dici poſſint, deſtrui, eademque via, qua illorum ſinceritas adſtruatur, omnis commodi mundani reſpectu ab ipſis longe ſummoto, poſſe & candorem Athanaſii in controverſia, quæ fortunæ ipſius plerumq; fuerit fatalis, confirmari. Secundo loco Whiſtonus urget Montfauconii confeſſionem, qua profeſſus ſit, multa Athanaſii ævo ejusque ope inducta verba fuiſſe, & ad certam formam redacta fidei capita, ut *Pater hodiernæ Theologiæ* jure ille vocari poſſit; & Gre-

 gorii

Digitized by Google

gorii Nazianzeni hyperbolas, quibus de Athanaſio in Paneg. Opp. Vol. II p. 385 & 392: *τοῦτο ἦν νόμος αὐτοῖς, ὅ,τι ἐκείνῳ ἐδόκει, ϗ τοῦτο ἀπώμοτον πάλιν ὃ μὴ ἐδόκει, ϗ πλάκες, μωϋσέως αὐτοῖς τὰ ἐκείνου δόγματα, ϗ πλείων τὸ σέβας ἢ παρὰ ἀνθρώπων τοῖς ἁγίοις ὀφείλεται --- νομοθετεῖ δὲ τῇ οἰκουμένῃ.* Hic Noſter neq; Athanaſium in
Pag. 18-22. Synodo Nicæna vocem *ὁμοούσιος* produxiſſe, quippe qui Diaconus
22-27. adhuc eſſet, nec, ſi produxiſſet, ullo modo in fide ſanctis ſemel traditæ per hanc innovaſſe monſtrat, Gregorii, cujus ſolita in hyperbolis luxuries neminem fugiat, verba priora non de orbis univerſi, ſed de monachorum Ægypti erga ipſum veneratione, poſteriora de ſumma Athanaſii circa omnes Eccleſias cura manifeſte agere. In tertio ſuſpicionis capite, quod ex charactere Athanaſii deſumſit Whiſtonus, accipit Noſter, quod ille dat, eum nempe admirandis animi dotibus polluiſſe negat, quod ſubjicit, parum fuiſſe erudi-
31. tum, & Nazianzeni, quæ eo trahi poterant verba ex Orat. 21 p. 376 vindicat, ut reliquas ejus characteris partes egregie refutatas non perſequamur. Sequitur in Whiſtoni accuſatione Athanaſii ab Epiphanio in Schiſmatis Meletiani exponenda origine diverſitas, ubi quidem facile oſtendit Cl. Thirlby, multo magis probabile eſſe,
41-43. Epiphanium ſolita credulitate hic quoque erraſſe, cum Athanaſius eo tempore vivens, quo Schiſma originem ſuam habuit, & in ipſa Synodo Nicæna, quæ illud examinavit, præſens, haud dubie rei veritatem exactius, qvam Epiphanius, habuerit cognitam. Libros
44, 45 Athanaſii contra Gentes & de Incarnatione verbi, quod quinto loco objecit Whiſtonus, ante Arianiſmum ſcriptos, alium *τύπον* doctrinæ continere, quam ſequentia ſcripta, plane negat Noſter, affirmanti exactam ejus rei injungens probationem. Sextum caput ſuſpicionis notiſſima Arſenii hiſtoria abſolvit, quam quidem prorſus incredibilem ſibi videri cauſatur Whiſtonus, cum concipi non valeat, Arianos adeo pudorem omnem decoxiſſe, ut Viri vivi ab Athanaſio producti cædem *deinceps quoque omni occaſiane data* ipſi objicerent. Enimvero Noſter urget, nihil poſſe in omni Hiſtoria pluri-
46-48. bus documentis legi confirmatum, quam hæc perfidia Arianorum confirmetur, falſumque eſſe, Arianos id criminis ipſi *deinceps* impegiſſe, ut illius ipſius Synodi Tyriæ Legati ad Conſtantinum Imperatorem in alia omnia iverint, imo ipſam ſententiam *καθαιρέσεως*

Atha-

Digitized by Google

Athanaſii ab Arſenio aliisque ſubſcriptam attulerint. Nihil hic
proficere Whiſtonum, quod omnia documenta Athanaſii ſola fide
nitantur, cum quisque tam diu præſumatur bonus, donec eviden- Pag. 49-57.
ter probetur malus; nihil proficere, quod Athanaſius brevi poſt ta-
men ab Imperatore fuerit exilio mulctatus, quod factum ſit ob aliud
crimen ipſi impactum, quaſi commeatum annuum ex Ægypto By-
zantium deſtinatum præcludere minatus ſit, teſte Socrate; nihil de-
nique, quod a Synodo Tyria ad Imperatorem appellaverit, h. e. a
judice partis ſtudiis occupato, ad ſuperiorem judicem rectius in-
formandum. Septimum crimen invenerat Whiſtonus in vita An-
tonii Eremitæ ab Athanaſio conſcripta, & *τέρασι ψεύδους*, ut vult,
ſuſtinendæ novæ orthodoxiæ in ea effictis. At ea non magis incre-
dibilia eſſe, quam quæ Scriptores alii iſtius ævi de Paphnutio, Spiri-
dione, S. Martino, aliis commemorent, nunquam ab Athanaſio ad 59.
cauſam ſuam defendendam eſſe adhibita, & vaniſſima eſſe, quæ
Whiſtonus ex ipſo operis contextu tanquam *ἀσύστατα*, & falſitatis 62-69.
documenta adduxerat, prolixe Autor noſter demonſtrat. Maxi-
mum pondus accuſationis conſtituerat Whiſtonus in eo, quod mi-
ſera Arii mors ab Athanaſio haud dubie efficta ſit, contradicente
quippe Ruffino, qui eum ad ætatem usque Conſtantii ſuperſtitem
fuiſſe tradat, ignaris illius rei monachis in Ægypto & poſt 20 de-
mum annos ab Athanaſio ejus rei certitudinem poſtulantibus, ipſo-
que Athanaſio timide cavente in Epiſt. ad Serap. *μὴ θελήσῃ ἐκδοῦ-
ναι τούτων ἀντίγραφον, μηδὲ ἑαυτῷ μεταγράψαι.* Hic Cl. Thirlby
monſtrat, Ruffini contradictionem non niſi in temporis notatione
verſari, in qua quam negligens fuerit ille, ſatis eruditis conſtet, ce- 73.
teros Eccleſiaſticarum rerum ſcriptores omnino hic conſentire, &
ipſum Gregorium Nazianzenum, Conſtantinopoleos haud multo
poſt Arii miſeranda fata Epiſcopum, monachos Ægypti, ipſo Atha- 74, 75.
naſio teſte, *ἤδη φθάσαντας παρ᾽ ἑτέρων* rem cognoviſſe; quanquam
& id conſtet, miris modis Arianos rem occultare conatos fuiſſe,
cautionem de apographis nemini dandis neutiquam ſpectare mor-
tis Arii hiſtoriam, ſed libros Athanaſii adverſus Arianos, quos Sera-
pioni una cum literis miſerat, reluctanterque mortem Arii narraſſe 77-80.
Virum, non, quaſi refragante animo falſitatis conſcio, ſed *εὐλαβού-
μενον, μὴ ὡς ἐπεμβαίνοντα αὐτὸν τοῖς τῷ θανάτῳ τοῦ ἀνθρώπου λογί-*

σήλαι Alexandrum Epiſcopum CPtanum, quem eo tempore jam a decem annis mortuum eſſe tradat Chronicon Alexandrinum, Atha-
Pag. 81, 82. naſius vero huic hiſtoriæ immiſceat, haud dubie vixiſſe ultra A. C. 336, ex Petro de Marca & Pagio probatur, nec rem a Macarii teſtimonio, quem calumniatur Whiſtonus, quicquam pati poſſe diſpendii. Dum ad XII & XIII ſuſpicionum caput reſpondet Noſter,
85. defendit fidem Athanaſii in Origenis allegando conſenſu, & imprimis in Dionyſii Alexandrini mente explicanda. Nempe quod ad vocem ὁμουσίου, quæ in Dionyſii ſcriptis ab Athanaſio allegatis
88. Whiſtono ſudes eſt in oculis, vel ipſo Euſebio in Epiſt. ad Eccl. Cæſar. ap. Socr. L. I C. 8 teſte, τῶν παλαιῶν τινας λογίους καὶ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους καὶ συγγραφέας ἐπὶ τῆς τοῦ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ θεολογίας τῷ τοῦ ὁμουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι cognitos fuiſſe docet. Porro Dionyſio quidem in Epiſtolis adverſus Sabellium τῇ ἀμετρίᾳ
91 - 99. τῆς ἀνθολκῆς aliqua minus caute dicta excidiſſe, ad quatuor συγγράμματα ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας, ad Dionyſium Romanum ab eo ſcripta, e quibus Athanaſius eum defendat, non hunc modo, ſed Baſilium, ſed ipſum Euſebium, cujus ſilentium mire crepat Whiſtonus, agnoſcere H. E. L. VII C. 26, ut proinde hic fides Athanaſii nullo modo poſſit in dubium vocari. Ad XV caput docet Noſter, non poſſe malæ fraudis reum agi Athanaſium, quod Synodum An-
101 - 107. tiochenam cum Nicæna conſentire docuerit, quod probe & ex rei veritate ipſum feciſſe iterata poſt Bullum & Bernh. a Montfaucon demonſtratione oſtendit. XVI ſuſpicionis capite Hoſii ab Arianis decepti retractationem in mortis articulo factam & ab Athanaſio memoratam in dubium vocaverat Whiſtonus, ob Hilarii & Phœbadii, nec non Fauſtini & Marcellini Presbyterorum, qui eum or-
109 - 113. thodoxos etiam perſecutum eſſe tradunt, ſilentium. At Hilarium & Phœbadium ante mortem ejus ſcripſiſſe, Presbyteros quoq; bonos Luciferiani Schismatis reos atq; adeo affectu adverſus Hoſium haud dubie abreptos, ne quidem poſſe Athanaſio opponi, qui de mortis extremo tempore loquatur. Plura non memorabimus. Vel ex his enim apparet, erudite & ſolide προπέτειαν Cl. Whiſtoni in Athanaſii cineribus turbandis conſideratam exponi ac reprimi, ſtylo quidem ſalibus & ſarcaſtica acerbitate non omnino deſtituto.

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA PRO JUL. CÆSARE Vanino.

Coſmopoli, typis Philaletheis, 1712, 8 maj.

Plag. 7.

Recenſuimus A. 1709 p. 260 Cl. Schrammii librum de vita &
ſcriptis famoſi athei, Vanini. Prodit nunc Anonymus, ac Va-
nini patrocinium tam ſtrenue ſuſcipit, ut cauſa ſibi viciſſe videa-
tur. Quæ apologia nobis in memoriam revocavit verba Q. Curtii,
quibus ſeptimum ſuum librum exorſus eſt: *Philotam,* inquiens, *ſi-
cut recentibus ſceleris ejus veſtigiis jure affectum ſupplicio cenſue-
rant milites, ita, poſtquam deſierat eſſe, quem odiſſent, invidia in mi-
ſericordiam vertit.* Scilicet nec odii, nec amoris, ac ne miſericor-
diæ quidem cauſas ſatis exploratas habent mortalium plerique.
Sunt, qui vel inſcitia vel prava animi affectione optimos viros tra-
ducunt peſſime: alii intempeſtiva molles miſericordia peſſimorum
ſuſcipere cauſas hominum non verentur. Ac licet hi peccent ex-
cuſatius, peccant tamen, dum non ſincere judicant, ſed in melio-
rem interpretantur partem, quæ ſive dicta fuerant male ſive facta.
Nec vero dicta hæc volumus in libri præſentis præjudicium, cujus
incorruptam dabimus recenſionem: quanquam nobis videtur Cl.
Autor magis functus eſſe officio declamatoris, quam hiſtorici, ad- Pag. 2-22.
vocati, quam judicis. Primo perſequitur Vanini vitam, ubi tamen
cum Morhofio Polyhiſt. litter. lib. I cap. 8 §. 18, quem plures im-
provide ſecuti ſunt, errorem admiſit, Vaninum referens inter audi-
tores Pomponatii, qui pluribus annis ante mortuus eſt, quam Vani-
nus naſceretur. Hic enim A. 1586 natus, ille A. 1525 denatus eſſe
fertur. Hinc producturus eorum, qui Vaninum atheiſmi accuſant,
argumenta, prius accuſatores ejus nominat, eorumque fidem ſu- 36.
ſpectam reddit. Illa argumenta paucis adducemus, annexa Cl. Au-
toris reſponſione. I. Vaninus Grammondo dicitur ignoraſſe Deum. 41.
R. Contrarium probari poteſt ex ejus Amphitheatro, in quo ele- 42.
gans legitur Dei deſcriptio. II. Librum de tribus impoſtoribus in lu-
cem rurſus protulit. R. Is liber vel nunquam exſtitit, vel, ſi exſtitit,
factum id a Vanino eſſe, probari nequit. III. Vaninus atheorum di- 44.
cta retulit. R. Etiam medicus de veneno loquitur. IV. Leviuſcule 47.

Digitized by Google

reſpondit ad objectiones atheorum,tacite ſic propagans virus athe-
iſmi.R. Hoc nititur inani conjectura: cordium ſcrutator ſolus Deus
Pag. 64. eſt: argumenta Vanini aliis videntur infirma, quæ ipſi viſa ſunt fir-
miſſima. V. Chriſti humanitatem exſecratus eſt. R. Hoc nondum
eſt probatum. VI. Deiparam Mariam ex congreſſu cum marito
65. peperiſſe,dixit. R. Et hæc falſa eſt criminatio. VII. Naturam habuit
pro Dea, eam in ipſo libri ſui titulo vocans Deam, & Reginam. R.
(α) Vaninus non eſt autor hujus tituli. (β) Dei nomine appellantur
etiam Viri excellentes. Sic Ariſtoteles dicitur Philoſophorum De-
us. (γ) Vaninus concedit ſupranaturalia, e. g. miracula. Ergo Na-
74. turam non habuit pro ſuprema rerum cauſa. VIII. Sententias Scho-
laſticorum de angelis inepta vocavit & inſulſa commenta. IX. Ne-
75. gavit exiſtentiam diabolorum. R. Vaninus tantum negavit, exi-
ſtentiam angelorum ac dæmonum naturalibus rationibus demon-
86. ſtrari poſſe. X. Negavit immortalitatem animæ, ſaltim frivole de
ea ſenſit, eamque naturali ratione demonſtrari poſſe negavit. R. At
Morhofio rationes Vanini pro immortalitate animæ ſatis ſubtiles
viſæ ſunt. Nec atheus eſt, qui negat, immortalitatis animæ fir-
89. mam demonſtrationem ex ratione peti poſſe. XI. Aſtrologus fuit,
aſtriſque deitatem tribuit. R. Falſa eſt hæc accuſatio. XII. Nega-
95. vit conflagrationem mundi. R. Multi putant, non omnia interi-
tura die noviſſimo, ſed reſtitutum iri,quos nemo in atheorum cen-
97. ſum refert. XIII. Fatalem ſtatuit neceſſitatem. R. Intellexit divi-
98. nam providentiam. XIV. Fingit fatum, cujus decreta aureis ſtella-
rum litteris ſint deſcripta. R. Hoc idem alii ſtatuerunt,qui non ha-
99. bentur pro atheis. XV. Ex aſtris prædictiones fieri poſſe judicavit.
101. Reſpondetur idem. XVI. Irriſit ſacra. R. ſacra Pontificiorum ſu-
103. perſtitioſa ac riſu digna. XVII. Rejecit monachos. R. Infirmiſſima
105. hæc eſt atheiſmi probatio. XVIII. Judices publici eum ad rogum
damnarunt. R. Dubitatur, an juſte fecerint. Hæc ſunt, quæ pro
Vanino & contra eum afferuntur. Nos eo minus miramur, Cl.
28. Autorem ab atheiſmi crimine abſolviſſe Vaninum, quod diſerte
ſtatuit, non dari atheum, id eſt, hominem,qui ſerio ſentiat, nul-
lum eſſe Deum.

NORI-

Digitized by Google

NORIBERGA INSIGNIUM IMPERIALIUM tutelaris, adverſus æmulos obtrectatores aſſerta; moderatore conflictus inauguralis JOANNE PETRO LUDEWIG, JCto & conſiliario curiæ regalis.

Halæ, typis Chr. Andr. Zeitleri, 1713, 4.
Alph. 1 plag. 9 cum æn. Fig. un.

OPuſculum abſolvitur *ſeptem capitibus* & ſyllabo *diplomatum* & *monumentorum* appendice. In *capite I* exponitur occaſio ejus. Quoniam *Aquisgranenſis civitas* in noviſſima Caroli VI inauguratione A. 1711 Noribergam, juris tutelaris ergo, in jus vocavit, petiitque ab Imperatore Imperioque Germanico, ut inſignia & reliquiæ imperiales Noribergæ eriperentur committerenturque illa Aquisgrano, archiſolio imperiali & loco conſueto inaugurationis. Cum vero ita nihil proficeret Aquisgranum, ejus delegati libellum ſcripſerunt firmaruntque eundem fide publici Notarii, qui teſtis ſit poſteritati, Aquisgranenſes Noribergam, publicæ cuſtodiæ cauſa, in jus vocaviſſe ab eisque repetiiſſe inſignia, ne vetuſtas juri Noribergenſium dare videretur aliquod patrocinium, aut Aquisgranenſes jus ſuum viderentur amiſiſſe derelinquendo. Non ſiluit ad hæc Noriberga, ſed Aquisgranenſibus plene planeque reſpondit in libello Noribergæ edito A. 1712. Accidit interea, ut juris candidatus *Wolffg. Hieron. Herold*, civis Noribergenſis, de argumento cogitaret conflictus inauguralis, cui *tutelaria Noribergenſium jura* deſtinavit ſuaſorque *Præſidi* ſuo, Conſult. *Ludewigio*, fuit, ut ipſi adjutor eſſet in hujus rei indagandis & expendendis momentis. Unde nata eſt tam prolixa diſſertatio, quæ nomen potius meretur ſingularis opuſculi, in quo plurima offenduntur ſingularia. Advertit Cl. Autor, quod Noribergæ diſputata ſint hæc jura ſingulis *annis ſecularibus*. Utpote A. 1524, quod creditum aliquibus ſit, reliquias imperiales Noribergæ auro & gemmis ſpoliatas imo fere deperditas fuiſſe: tum A. 1626 ex illa ratoine, quoniam hæretica, id eſt, evangelica civitas ſit indigna tutelari jure ſacrarum reliquiarum: demum A. 1711 ab Aquisgranenſibus, quaſi his deberetur ſparta inſignium tutelaris privilegio Richardi Cæſaris A. 1262. Inter hæc tela, adverſus Noribergam toties emiſſa, demiratur Autor, nullum fuiſſe, qui dubi-

Digitized by Google

dubitationibus hiſce reſponderet iretque obviam, quamvis plures ſint, qui argumentum tractaverint de imperialibus inſignibus reliquiisque. Quos omnes ſcriptores, additis elogiis notisq;, quas merentur, recenſet, nempe *Gretſerum, Boſium, Obrechtum, Wagenſeilium, Hæpingium, Erdtmannum, Pfeffingerum*, aliosque. In *capite II* hiſtoria habetur translationis inſignium Noribergam A. 1424. Metuebat enim Sigismundus Imperator ne inſignibus & reliquiis imperialibus ab Huſſitis, ac furore eorundem in ſacra lipſana vis fieret. Poſtquam igitur deliberaviſſet diu multumque, in qua demum urbe imperiali in tuto collocari poſſent inſignia & reliquiæ, tandem Noribergam delegit. Cujus cives cimelia Imperialia ingenti gaudio nec pompa minori exceperunt A. 1424, am nechſter Mittwochen/vor unſerer Frauen-Tag in der Faſten / mane hora nona. Cum igitur ſcriptor ex vetuſtiſſimo & pæne coævo Chronico Noribergenſi & diem ſignet & horam: merito exploduntur alii, cum *Czechorodius*, epiſcopus, tum *Balbinus*, Jeſuita, qui lapſi ſunt in anno huic hiſtoriæ definiendo. In *capite III* de cauſis translatæ cuſtodiæ ſolicitus eſt ſigillatim. Principio reprobat Bohemicos ſcriptores, qui exiſtiment, Sigismundum Cæſarem lucri cupidine inſignia & reliquias imperiales vendidiſſe Noribergenſibus. Quod tamen falſum eſſe, docet clare: quoniam hic error Bohemicas reliquias confundat cum imperialibus. Meliores igitur aperit cauſas ex diplomatibus, Cæſareo & Pontificio. Scilicet ad hanc claſſem pertinent primo furor Huſſitarum Pragæ: tot *deinde* mortuo Cæſare diſſidia de cuſtodiæ jure inſignium Imperialium: tum civitatis Noribergenſis integritas, prudentia, robur, dignitas, Bohemiæ vicinia: poſt cura ſolers ac indefeſſa puriorum ſacrorum: demum Caroli jam IV pollicitatio de inſignibus Noribergam reponendis nec ſibi retinendis Pragæ in Bohemiæ metropoli. In *capite IV* magno labore eruit recenſetq; omnes illos, qui unquam, Cæſare demortuo, ſibi jus adrogarant cuſtodiendi inſignia, usque dum novus fieret Imperator. Ex multitudine igitur litigantium conſtat, quam bene actum fuerit cum Germania conſilio Sigismundi A. 1424, ut ſcilicet inſignia Noribergam æterno jure transferrentur cuſtodirenturque ibidem, ſive viveret Cæſar, ſive demortuus fuiſſet. Principio in rationes inquirit *Boiorum*, qui, Gewoldo interprete, jus cuſtodiendi

inſignia

inſignia Imperialia, recitarunt inter Boici Ducis prærogativas. Verum oſtendit Autor, omnia exempla, hoc fine adducta, ad vim publicam pertinere neque allegari poſſe in ullum alicujus juris præſidium. Deinde ſub examen vocat apologiam Principis *Archipalatini*, oſtenditq; illam plus habere ſpeciei quam roboris. Ubi lumen affert hiſtoriam Germanicam docto Tolnero. Poſt dolet Cl. Autor, quod argumenta ipſi deſint pro *Archicamerario*, cum tamen ex inſtitutis aliorum regnorum clarum ſit, hujus eſſe, cimelia & reliquias cuſtodire regales. Inprimis *leges Palatinas* Arragoniæ Regis Jacobi A. 1320 valde æſtimat, vovetque, ut *Collectores Actorum de Sanctis* ſici codicem & figuras communicent. Sibi enim in animo eſſe, iſtas leges edere cum pleno commentario ſigillatim. Præterea in *Archithesaurarii* jura inquirit, dicitque, cum hoc munus novum ſit, illud jura eripere non potuiſſe vel Archicamerario vel Noribergæ. Porro ex omni medii ævi antiquitate eruit exempla *Cæſarum*, qui inſignia ſibi retinuerint vivi, quæ, illis poſtea demortuis, occupaverint nunc *familia Auguſta*, nunc Cæſaris *heredes*, nunc aulæ adminiſtri, nunc princeps, in cujus *territorio* deceſſerat Imperator, iterumque alius. Unde conſtat, in quorum manibus inſignia imperialia fuerint, inde a temporibus Henrici Aucupis A. 918 ad annum usque Sigismundi 1424. Tandem civitates explodit, quæ præ Noriberga ſibi inſignium cuſtodiam aſſeruerint, in numeroque illo ponit Pragam, Bambergam, Francofurtum, Hammerſtein, Kyburg, Dreiſveldam. Ultima ſunt, quæ pro jure inſignium tutelari habet Archicancellarii & familiæ Waldburgenſis. In *capite V* aggreditur argumenta Aſſertoris Aquisgranenſis ſigillatim. Primum enumerat inſignia ab Aquisgranenſibus indubie cuſtodienda, utpote *enſem* Caroli M. ejus *codicem* evangeliorum, & *capſulam* cum ſanguine Protomartyris. Has reliquias Aquisgrano proprias eſſe, creditur, non imperiales. Tum progreditur ad primum Aquisgranenſis Aſſertoris argumentum: *a jure archiſolii.* Verum oſtendit Autor, hoc conſecutionis vinculum in Germania nunquam fuiſſe, ut ibi eſſent inſignia, ubi Cæſaris archiſolium. Rationem e prioribus eſſe manifeſtam, unde conſtet, inſignia hæc vivos Cæſares nunquam de ſua dimiſiſſe cuſtodia, illis autem mortuis varios diverſosq; digladiatos eſſe de ſparta cuſtodiendi, neque, quod

probe notandum, Aquisgranenſes ullo unquam tempore offendi in hujus contentionis ſocietate. Quid quod etiam Galliæ, Hungariæ, Poloniæ, Bohemiæque exempla præſto ſint, ubi in aliis locis inſignia cuſtodiantur, alia iterum ſedem inſtruant regalem. Porro diſtinguit Aquisgranenſes reliquias ab imperialibus, Noribergæ cuſtoditis, oſtenditque, fruſtra conſecutionis filum duci a primis ad alteras. Præterea caput cauſæ impetit Aquisgranenſium, Privilegium ſcilicet Richardi A. 1262, quod arte ſingulari reddit elumbe. Oſtendit enim, quod reliquiæ imperiales nullo unquam tempore in manibus fuerint Cæſaris Richardi, tantum abeſſe, ut illarum ipſe cuſtodiam demandare potuerit Aquisgrano. Curſim notat lectionem ſummi Viri Leibnitii, qui in bulla Urbani IV pro *caſtrum de Treveles* legi velit ac intelligi *Palatium Trevirenſe*, cum certo conſtet, quod ibi de caſtro *Dreifels* agatur, inſignium Imperialium tum tutelari. Imo preterea docet, quod neque poſt tempora Richardi Aquisgranenſes vel ſemel habuerint inſignia Imperialia, vel horum cuſtodiam ſibi adrogaverint. Quin potius conſtet, Rudolfum Habsburgicum A. 1273 inſignia repoſuiſſe in caſtro Heluetico Kyburg. Ex quo tempore ibidem permanſerint, usque dum Leopoldus Auſtriacus illa reddiderit Ludovico Bavaro Cæſari A. 1325. Poſt cujus mortem a filio ejus accepit illa Carolus IV, ab eoque Wenceslaus & Sigismundus, qui cuſtodiam eorundem A. 1429 demandavit Noribergæ. Unde etiam illud conſtat, neque Adolfum Cæſarem neque Henricum VII redimitos fuiſſe imperialibus diadematibus, quæ ab A. 1272 ad A. 1325 perſtitere apud Auſtriacos. Tandem Noribergenſes Aquisgranum accuſant inſolentiæ. Quoniam per *tria ſecula* Noriberga ſit inſignium tutelaris, cui civitas Aquisgranum ne quidem contradixerit ſemel. Quod doceat ſilentium Noribergenſe publicum tabularium, in quo ante hæc tempora conteſtationis Aquisgranenſis nullum extet veſtigium. In *capite VII* inſtituitur juris tutelaris Noribergenſium ſingularis *apologia*. Principio probatur, jus tutelare inſignium & reliquiarum Imperialium A. 1424 Noribergæ non inconſulte aut temere fuiſſe collatum, ſed maturo Cæſaris conſilio imperiique ordinum accedente applauſu, ipſius etiam Pontificis Martini V calculo. Qui non ſolum bulla ſingulari translationem, maxime ſacrorum lipſanorum

ergo, ratam habuit, ſed etiam æterni exitii fecit reum, quisquis tandem Noribergenſibus de hoc jure tutelari litem eſſet moturus. Quibus omnibus accedit *trium ſeculorum* lapſus, quo tempore Noriberga, ſerie non ſemel interrupta, posſedit inſignia imperialia, attulitque hæc nonniſi ea lege ad Cæſarum inaugurationes, ut illa, quam primum coronatio peracta fuerit, civitatis legatis redderentur. Deinde ad dubia, quæ Noribergæ ab obtrectatoribus ac æmulis quibusdam obverſa ſunt, reſpondet. Primum eſt, Noribergæ evangelicæ ſacras jam reliquias non prodeſſe. Reponitur, quamvis ab urbe Evangelica ſuperſtitio exulet, tamen eandem maximi facere imperialium cimeliorum reliquias, ob cauſas civiles, decus urbis dignitatemque atque opinionem cujusdam palladii. Alterum eſt, Noribergenſes reliquiis imperialibus, non ſine ſpolii crimine, detraxiſſe ornatum. Reponitur, quod illud quidem putidum ſit hominum malevolorum mendacium. Cum tot ſint teſtes, quot illuſtris ordinis peregrinatores, quorum conſpectui ſacra lipſana Noribergæ hodieque exponuntur. Tertium, Evangelicam tamen civitatem non colere reliquias neq; ex earundem cultu ſibi polliceri fructum. Reponitur, Noribergam Evangelicam hodieque eo proſequi cultu imperiales reliquias, qualem requiſivit ab hominibus Chriſtianis Hieronymus adverſus Vigilantium. Quartum, cuſtodiam hæreticorum indignam eſſe ſacris reliquiis. Reponitur, Evangelicos in Germanico imperio poſt pacem Oſnabrugenſem nequaquam eſſe poſſe aut dici homines hæreticos. Quintum a cauſa deſumitur, quæ permoverit Sigismundum ad inſignium translationem Noribergam, ſcilicet ſacra Romano-catholica. Reponitur, hoc falſum eſſe. Quoniam alias plures cauſas afferat ipſe Imperator, ut cimelia hæc ſint in tuto, ut ceſſent de jure cuſtodiendi digladiationes, cetera. Sextum, vivi Imperatoris eſſe, ſecum habere & cuſtodire inſignia. Reponitur, Cæſares huic mori nuntium miſiſſe tribus abhinc ſeculis, ut fruſtra ſint conſilia de judicio recuperatorio. Septimum multis videtur eſſe graviſſimum. Quoniam in bulla Pontificia Martini V clauſula legatur commiſſoria, ut, quamprimum civitas deflectat a catholica fide, illa quoque excidere debeat Jure inſignium tutelari. Reponitur, hæc vincula conſecutionis Papæ fuiſſe, unde nequeat peti juris publici principium. Accedere, quod etiam

Digitized by Google

am homines Evangelici ſint de eccleſia Catholica. Ut taceam, hodie vitium omne purgatum eſſe per *articulum V inſtr. pac. Oſnabrug.* In *capite VII* conficitur matricula omnium & ſingulorum inſignium & reliquiarum Imperialium, cum ampliſſimo in quavis parte commentario. Queritur ſtatim Autor, quod matriculæ apud diverſos ſint diverſæ. Omnium tamen certiſſimam eſſe putat illam, quem Septemvir Brandeburgicus concepit A. 1350. Ne aliquod genus inſignium omittat, in tres illa diſtribuit claſſes. In *prima* numerat (1) præſepe Chriſti (2) brachium S. Annæ (3) dentem Joannis Baptiſtæ (4) ſegmentum tunicæ Joannis Apoſtoli (5) tres catenas, Petri, Pauli, Joannis. De ſingulis Autor philoſophatur, inquiritque in ſingulis, num ſint genuina. In *altera* claſſe oſtenditur *Imperialis amictus.* Ubi principio ſtatim quæſtio reſolvitur plene curateque, utrum amictus ille, quod tot creditum eſt ſeculis, ſit genuinus Caroli M.? Utramque hic partem inſtruit Autor, ita ut cuilibet dijudicandi libertatem relinquat. Inter rationes dubitandi fortiſſima eſt hæc, quod Anglicani ſcriptores commemorent, Hugonem Capeti patrem reliquias Carolinas Angliæ Regi miſiſſe Athelſtano A. 924, ut nundinaretur ſibi ſponſam Regis ſororem. Ubi Baronium notavit, quod ipſe hanc hiſtoriam tribuere audeat Henrico Aucupi, quaſi huic facta fuiſſet donatio, adverſus fidem Scriptorum omnium iſtius ævi. Reponitur, unum Carolum inſtrumenta plura habuiſſe in regali ſupellectili: ut adeo noſtrorum integritati non obſint reliquiæ Anglicanæ. Deinde, vix tempus vident, quo Carolinus amictus & arma potuerint in Germaniam transmigrare. Reponitur, probabile eſſe, id factum fuiſſe ſub Carolo Craſſo, qui Galliam habuit ſub ſua poteſtate, ut adeo, quæ diximus, facile ſibi potuerit arrogare. Favere autem creduntur fidei priſtinæ inſignium. Primo quod diadema imperiale non cuſpidatum ſit, ſed arcuatum. Qua figura conſpicitur diadema Caroli M. in parietinis Lateranenſibus, itaque imaginibus ejus Cæſaris aliis, deſcriptis *Baluzio* in Capitularibus, *Mabillonio* in Muſeo, *Browero* in Antiquitatibus Fuldenſibus, *Papebrochio* in Actis Sanctorum. Notat itaq; Autor Wagenſeilium, quod ipſe commentitios numos Octaviani Stradæ habuerit pro genuinis. In quorum loca integræ fidei ipſe numos ſubſtituit e theſauro Regis Boruſſiæ, quorum illi copiam fecit doctiſſi-

Digitized by Google

mus Schottus, theſaurarius. Deinde addit, fraudem inſignibus imperialibus non eam fieri potuiſſe, quam oſſibus alicujus Sancti. Quoniam inſignia imperialia publico conſpectui pateant, Sanctorum vero reliquias latere in cœnobiis, facillimis ad audendum fallendumque. Inde plurimum hic dandum eſſe vetuſtatis opinioni, dignitati teſtium, Cæſarum & Pontificum, cultui omnium ſeculorum. Movet poſtea pedem ad ſpecies cimeliorum imperialium ſingulares. Prima eſt *diadema*. Quod Carolo M. propterea aſſerit, quoniam ipſius imago diadema gerat non cuſpidatum, ſed arcuatum, inſtar mitræ; quoniam Caroli M. caput fuerit admodum grande, cui magnitudo reſpondeat diadematis Noribergenſis, cetera. Altera eſt imperialis *tunica*. Ubi Wagenſeilio exprobrat, quod hujus deſcriptionem non habeat curatiorem, ſed vitulo aret Hartmanni Mauri. Tertia eſt *Alba*. De qua dubitat Autor, num ſit ſacerdotalis, quoniam hæc ex legis neceſſitate deſtituatur ſerico & gemmis, quo tamen ornatu inſtructa eſt imperialis. Quarta eſt *Pluviale* ſeu pallium. De quo recurrit dubium, num ſit pontificale? Reponit Autor, pallium ſacerdotes debere Principibus, non Principes ſacerdotibus. Interim mirum eſſe, quare imperiale pallium deſtituatur *hermelino*, quo gaudeant pallia omnia Regum Europæ. Reſpondetur tamen, formam pallii imperialis deberi Cæſaribus orientis, qui in pellibus ob calidam regionem non quæſiverint ornatum; ſolos frigidæ Europæ Reges audire pellitos Apollinari. Quinta eſt *Stola*. Quam Autor non dubitat eſſe ſacerdotalem, quia hac uti ſit nefas, niſi clerico minimum Diacono. Adeoque hoc veſtimenti genus Cæſari tributum eſſe, vel quod *Diaconus* ſit, vel quod penes Imperatorem *faſtigium ſupremi ſacerdotii*. De quo momentoſa Patrum loca citat, in quæ fruſtra invehi putat Allatium, quaſi eccleſiæ Doctores in nimio peccaverint, Conſtantino M. tribuendo ſacerdotium. Sexta eſt *Zona*. Quin hæc ſacerdotalis ſit, propterea dubitat, quia non ſit lintea, ſed coriacea; tum quia non ſimplex ſit, verum auro & gemmis ornata. Habet deinde alia plura de portentis, ex zona Sanctorum. Septima, *Chirothecæ*. Ubi cauſam indicat, quare his uſi non ſint Romani & populi calidioris cœli alii, contra manticis utantur Reges Europæ frigidioris, ut manus adverſus frigoris inclementiam muniantur. Octava verſatur in *Sandaliis*.

Digitized by Google

daliis. His quidem uti etiam dicit Pontificem, quæ oſculis excipiantur, quaſi pedes tegerent Chriſti Servatoris: verum Principes non minus inſtructos eſſe ſandaliis, probat. Noribergenſium ſandaliorum figuram habes in imagine Caroli M. apud Mabillonium & Baluzium ll. cc. Nonam abſolvit *Annulus*, quem Caroli M. eſſe negant matriculæ, tribuuntque Duci Brunſuicenſi. De *Ocreis*, *tibialibus*, *thuribulo*, *calefactivo* imperialibus actum eſt per tranſennam. Decimo loco occurrit *Sceptrum*. Quamvis vero Noribergenſe ſit argenteum, contra Caroli M. ſceptrum aureum fuiſſe, teſtentur alii cum Eginhardo: tamen hoc Carolo M. propterea tribuit, quod aureum etiam dicant medii ævi ſcriptores, quod eſt auro obductum. Undecima eſt pomum ſeu *Globus* imperialis. Erroris hic arguitur Seldenus, qui undecimo demum ſeculo globum innotuiſſe putat Imperatoribus occidentis, cum Caroli M. imagines vetuſtiſſimæ globum teneant ſiniſtra. Miratur vero Autor, doctiſſimum Schminkium primas hic dare ſceptro cœnobii Dionyſiani, cum illius inſcriptio prodat recentiorem ætatem. Duodecima Caroli M. *Gladius*. Licet vero, quin hujus Imperatoris ſit, videantur aliqua obſtare, quoniam figura ejus non reſpondet illi, quam refert Carolina imago, deinde gladio huic inculcatum eſt inſigne Bohemicum, defendit tamen tueturque gladium genuinum Autor, idque propterea, quoniam gladios Carolus M. teſte Eginhardo, habuit geſſitque diverſos; & Caroli IV inſtituto vetuſtiſſimæ rei novum additum inſcriptumque fuit inſigne Bohemicum. Ultima ſpecies inſtrumentorum imperialium Caroli M. eſt gladius *S. Mauritii*. Quamvis hiſtoriam S. Mauritii prorſus negent, habeantq; pro fabuloſo Thebææ iſtius legionis martyrium Baſnagius, Burnetus aliique, deinde Mauritii gladiis divites ſe credant Dux Sabaudiæ, in cujus vicinia prope Genevam occiſus eſt martyr, cujus & honori dicatus eſt ordo Sabaudicus S. Mauritii militaris, deinde Archiepiſcopatus quondam Magdeburgenſis; imo lanceam S. Mauritii ſibi hodieque arrogent Angli, Poloni aliique: tuetur tamen cum hiſtoriam martyris tum ejus reliquias, quas omnino habet pro genuinis. Neque eſt, quod turbent hanc fidem *tres leones* cum *aquila* dimidia inſcripti capulo: nam illæ literæ forte debentur Imperatoribus Suevicis, qui ſui memoriam in hoc enſe voluerunt conſervare atque ad poſteros

trans-

Google

tranſmittere. Ad extremum claudit ſacrum actum reliquiarum imperialium ſcena tertia. Quam occupant *arma*,quæ vocantur,*Chriſti*. Referuntur ad hanc claſſem primo loco *Mappa* ſacræ cœnæ, quam probat in pluribus locis reperiri multiplicem: ſecundo *Linteum*, quo Chriſtus abſterſit pedes ſuorum,quod ipſum quoque toties oſtenditur alibi: tertio *Spinæ*, quarum tantam copiam eſſe, probat, ut aſſurgant ad lignorum ſtruem: quarto *Crucis* pars inſignis, modo non & hanc ſuſpectam redderent tot atque totuplices ejus particulæ oſtenſæ alibi: quinto *Lancea Dominica*. In hujus integritate vindicanda adverſus lanceam, Romæ hoc nomine ſacram, totus eſt. Licet enim imperialis lancea *clavo Dominico* ſit prægnans neq;credibile ſit,hac acceſſione opus habuiſſe lanceam Dominicam: tamen id propterea eſſe factum exiſtimat, quoniam clavus inculcatus ſit lanceæ parti inferiori,non autem illi,qui latus pertigerit Servatoris. Ad alterum dubium,quod in tanto lancearum numero,quæ oſtendantur Pariſiis, Romæ, Bremæ, in cœnobio Andecenſi,Noribergæ,ambiguum ſit,quænam ex illis genuina; ita quidem reſpondet, ut,cum ceteris detrahat fidem, hanc mereri tantum oporteat lanceam imperialem. Porro cum lancearum alia ſacra ſit nomine *Chriſti*,alia S. *Mauritii*,alia *Conſtantini* M. alia vero *Caroli* magni: clare docet, quod neque alterum neq; tertium neque ultimum nomen reſpondeat imperiali,ut adeo primum huic proprium eſſe videatur. Judicat præterea notam integritatis,quia noſtræ lanceæ reſpondeat ex aſſe deſcriptio Luitprandi; quia ejus cauſa ſuſceptum ſit bellum ab Henrico Aucupe, imo cum ea commutatum Sueviæ territorium, quod pretium ei non dediſſe putat vetuſtatem, niſi de lanceæ Dominicæ integritate indubia tum habuiſſent argumenta & quæ momenta ſunt generis ejuſdem. Extremum eſt,quod de clavo Dominico habet, oſtenditq; eorundem tot in numeros eſſe in locis diverſis,ut nemo dubitare poſſit, pleroſque habendos eſſe pro adulterinis. Præter diſſertationem vero ipſam, cujus dedimus epitomen, Autor ſyllabum opuſculo addidit *Monimentorum ſcriptorumque*, hujus argumenti appendicem, in quo diplomata Cæſarum, Pontificum bullæ, monimentaque vetuſtiora alia exhibentur. Et, quod maximum eſt, *Gretſeri* doctiſſimi Jeſuitæ opuſculum totum annectitur,quod hoc nomine edidit Ingolſtadii: *Syntagma de inſignibus S. R. I.* opuſculum antea rariſſimum. Ut adeo hoc quoq;


nunc

Digitized by Google

nunc cum multis aliis,quæ ex Mſptis Codd. affert,debeamus litteris & benevolentiæ Autoris de juribus & hiſtoria patriæ noſtræ meritiſſimi. Ceterum inter ſcripta de *Inſignibus Imperialibus* non comparet hic,quod A.1619 in 4 prodiit decem ſchedis, his verbis inſcriptum: *Relatio hiſtorico-parænetica, de ſacroſanctis S. R. I. reliquiis & ornamentis, quibus Romanorum Cæſares inaugurari, coronari ſolennique ritu inveſtiri conſueverunt,aliisq; lipſanis,in imperiali theſauro collectis ac Noribergæ adſervatis. Ad Cæſarem Ferdinandum II & S.R.I. Electores, quandocunque tandem in comitiis conventuros, a Chriſtiano Erdmanno* V.O.R.I.C. Scriptum hoc diverſum eſt ab eo, quod eodem ſcriptore ſub titulo prodiit: *Noriberga in flore.* Cujus mentio facta eſt ſæpius in ipſa lucubratiuncula. Id enim agit, ut perſuadeat Imperatori Imperioque, Noribergam *Evangelicam* indignam eſſe jure inſignium tutelari, adeoque illi hunc theſaurum eſſe eripiendum.

TAB. III. Et hactenus ſatis ſuperq; de ſcripto eruditiſſimo.Nunc ut oculos etiam Lectorum paſcamus,Tabulam exhibemus,in qua accurate delineata comparent inſignia Imperalia aliaq; nonnulla huc ſpectantia.
Fig. I,II. Exhibet vero Fig I & II numum, qui Sigismundi Imp. uno latere imaginem ſiſtit cum Imperiali amictu, altero arma Chriſti,
III. *præſepe, lanceam*, ſacram crucem: Fig. III *diadema Caroli M.* cum arcu,quem in fronte ornat ſuſtinetque crux cum octo areolis arcu-
IV,V. atis: Fig. IV *diadema Rudolphinum*, (die Hauß-Crone) Fig. V *ſce-*
VI. *ptrum* ſimplex & argenteum: Fig. VI calceorum par, eccleſiaſtico
VII. nomine *ſandalia*: Fig. VII *pomum* ſive globum Imperialem cru-
VIII. cis & faſciæ ornatu conſpicuum: Fig. VIII *gladium Caroli M.* Fig.
IX,X. IX ejusdem *acinacem*, Aquisgrani cuſtoditum: Fig. X arcam ſive *capſam* argenteam, in qua reliquiæ Imperiales reponuntur ac ſuſ-
XI. penduntur: Fig. XI *numulum*, lanceam,crucem, pomum, dentem Joannis, brachium Annæ, linteum & mappam in calice repræſentantem, qualis diſtribui illis ſolet,quibus has reliquias ſpectare licet:
XII, XIII. Fig. XII *gladium S. Mauritii*: Fig XIII *imaginem* Sigismundi Imp. inſignia Imperialia induti,in quibus cernas,1 diadema,2 pluviale ſeu pallium, 3 ſtolam oblique plicatam, 4 albam, 5 tunicam, cui intexti gryphi, 6 chirothecas, 7 acinacem Caroli M. Aquisgranenſem, 8 ſceptrum, 9 globum Imperialem, & 10 ſandalia.

JOHAN-



Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS CONRADI BARCHUSEN COMpendium Ratiocinii Chemici more Geometrarum concinnatum.

Lugduni Batavorum, impenſis Theodori Haakii, 1712, 8. Plag. 5.

SCopus Cl. Autoris eſt exemplis docere, quomodo ex chemicis experimentis propoſitiones eruantur, quibus ad reddendas rationes aliorum phænomenorum uti poſſis. Primo igitur loco terminos quosdam utcunque explicat, quorum in Chemia eſt uſus. Hinc poſtulata nonnulla & axiomata ſubjungit. E.gr. in poſtulatorum numero habetur, dari quatuor corporum, principia, ſal, oleum, aquam & terram; dari particulas corporum mole, figura ac pondere inter ſe differentes; dari peculiares corporum poros; dari effluvia Solis ſeu ignem æthereum, fluidorum particulas agitantem; dari particulas frigefacientes. Inter axiomata refert, quod quilibet effectus ſuas habeat cauſas; quod, quæ in ſenſus incurrunt, ſint compoſita; quod particularum conformatio & motus ſint actionum corporum cauſæ; quod aer ſit cauſa variarum mutationum in corporibus; quod corpus ſit eo gravius & ſolidius, quo anguſtiores habet poros. Tandem ad propoſitiones numero 52 ſtabiliendas progreditur, quas non ex præmiſſis definitionibus, poſtulatis & axiomatis demonſtrat, ſed ſingulas per experimenta ſingula comprobat. E. gr. probat, terram & aquam eſſe receptacula ſinceri ſalis & olei, quia ſal quodvis volatile, dum aeri expoſitum aufugit, aliquam terræ inſipidæ portionem relinquit: non omnem efferveſcentiam oriri a conjunctione acidi & alkali, quia cum butyro antimonii ſpiritus nitri; cum mercurio vel aqua forti, vel ſpiritu nitri ſoluto & poſtmodum cryſtalliſato oleum vitrioli efferveſcit: acidum cum ſolido vario copulatum variam ſortiri figuram, quia ſpiritus nitri cum ſale alkalico fixo conſociatus in cryſtallo-cylindraceas; cum cupro, in hexagonas; cum argento, in lamellas planas, tenues, in modum trianguli quodammodo denticulatas &c. convertitur: materiam ignis culinaris eſſe oleum, quia res oleo penitus orbæ, ut ſalia ſincera, oſſa uſta, terræ, ad inflammandum ineptæ: ſpiritum alkalicum rectificatum cum ſpiritu vini ſincero mixtum coagulari,

Digitized by Google

quia ſpiritus urinæ ab affuſo alkohol craſſeſcit. Abſit autem ut tibi perſuadeas, evidentiam geometricam in his quærendam eſſe: ultro enim Cl. Autor in Præfatione fatetur, *ſe non eſſe in Matheſi adeo plumbeum, ut ſibi perſuadeat, ab ullo chemico poſſe rationes vel argumenta tam evidentia, quam ab aliquo Mathematico dari.* Ceterum ob varia experimenta chemica, quæ in medium afferuntur, lectu non injucundus eſt libellus iis, quos rerum naturalium cognitio juvat.

JENKINI THOMASII, CIMBRO-BRITANNI, Diſſertationes varii argumenti, partim ſua opera conſcriptæ, partim ex aliis linguis translatæ.

Altorfi Noricorum, impenſis Joh. Guil. Kohleſii, 1712, 8.
Alph. 1 plag. 9.

IN hoc libello comparent I. *Diſſertatio de Eccleſiæ Romanæ Papatu*, quæ a Cl. Thomaſio elaborata & in illuſtri Academia Ultrajectina publice ventilata fuit. In illa oſtenditur primum, quomodo Papatus inſignioribus quibusdam periodis incrementa ceperit, atque ſocios Epiſcopos ſibi ſubjugarit: deinde traditur, qui a poteſtate Imperatorum ſeſe vindicarit: poſtea docetur, qua ratione ad ſummas anguſtias redactus fuerit atq; collapſus: & deniq; exponitur, quo pacto præter omnium opinionem Pontificum ipſorum ſolertia ſit reſtitutus. II. *Oratio de Peregrinatione litteraria*, quæ a doctiſſimo Thomaſio in incluta Univerſitate ſolenniter recitata fuit. In iſta commoda nonnulla, quæ Theologiæ Studioſis, Britanniarum inprimis incolis, e peregrinationibus enaſci poſſunt, in medium adducuntur: objectiones aliquot contra peregrinationes adducuntur & reſolvuntur, & tandem regulæ ad exteras oras abituris haud inutiles proponuntur. III. *Diſcurſus de ortu & progreſſu ſocietatis in Anglia ſtabilita ad propagandam fidem Chriſtianam atq; pietatis praxin.* In eodem paucis oſtenditur, quod ſocietas, quæ de propagando inter Americanos Evangelio curam gerat, A. 1649 publica autoritate primum conſtituta, & a Carolo II ad thronum Regium evecto 1661 per decretum publicum in perpetuum ſtabilita, ſub Guilielmi III glorioſiſſimæ memoriæ Principis & Sereniſſimæ Reginæ Annæ regimine majora ſubinde incrementa ceperit. IV. *Hiſtoria*

Digitized by Google

Paſſionis Jeſu Chriſti deſcripta ex columnis templi Mediolanenſis, vulgo della Paſſione dicti; e quibus unicam eamque primam hic exhibere licebit. In ea hæc leguntur:

CHRISTUS AD COLUMNAM.
FLAGRA
In humeros Dei
Innumera cadunt;
Quibus,
Quis credat pingi penniculis
Notas Amoris?
Lineari calamis
Characteres doloris?
Et ſcopis in ſcapulas Agni
Mundani immundum,
Mundum emendari?
Proh dolor!
FLAGELLATUR,
Ne flagellemur.
Felix peccator,
Si hiſce edoctus
FLAGRIS
Molleſcas in lacrymas.

Titulus ſecundæ columnæ eſt, Chriſtus ſpinis coronatus; tertiæ, Ecce homo; quartæ, Chriſtus crucem portans; quintæ, Chriſtus in cruce fixus; ſextæ, Chriſtus in aera elatus, & aceto & felle potatus; ſeptimæ, Chriſtus in ſepulchro; octavæ, in ſanctiſſimum ſudarium. V. *Achilles Traditionariorum proſtratus*, ſeu, Diſſertatio Philoſophico-Theologica, quam D. Mauritio Mullero, Ord. S. Benedicti, Bibliothecario in Monaſterio Sangallenſi, Dn. Joannes Davazius V. D. M. & Prof. Phil. Curiæ Rhetorum anno ſuperiori oppoſuit. In iſta Diſputatione argumentum, quod Pontificii, ut ſtabiliant traditiones non ſcriptas cum Scriptura S. pari pietatis affectu recipiendas eſſe, ab illarum neceſſitate in hujus divinitate probanda deſumunt, & pro ſuo Achille venditare ſolent, ſolide refutavit Cl. Davazius. VI. *Diſſertatio de Inferioribus Ordinibus aliisque Antiquitatibus primitivæ Eccleſiæ*, ab Anonymo quodam Anglice con-

Digitized by Google

ſcripta & a Thomaſio idiomate Latino donata. In hac Diſſertatione Anonymus Diaconorum, Subdiaconorum & Lectorum in veteri eccleſia munia paucis exponit: de ordinatione primitivæ eccleſiæ uſitata diſſerit: quibus legibus in eccleſiæ ſocietatem olim recepti fuerint Laici, inquirit: Diſciplinæ eccleſiaſticæ laude præmiſſa, primo crimina, propter quæ delinquentes puniti in Eccleſia primitiva fuerunt; ſecundo Judices, quibus jus puniendi competiit; tertio modum procedendi in diſciplina eccleſiaſtica; quarto cenſuræ Eccleſiaſticæ qualitatem; quinto modum & media abſolvendi delinquentis; ſexto abſolutionis formulam tradit: de Synodis antiquis & Eccleſiæ unitate, hujusque per hæreſes & Schismata violatione quædam tandem ſubjungit. VII. *Regimen Eccleſiæ Sangallenſis & Abbatiscellanæ in Helvetia breviter delineatum.* In hoc ſcripto inter alia memoratur, in Fano S. Galli duas inſtructiſſimas Bibliothecas reperiri, earumque unam in Monaſterio Abbatis eſſe, atque ſeptingentis antiquiſſimis MSS. gaudere; non concedi vero æquo animo, hæc ut conſulant Proteſtantes, ne quid inde contra Pontificiam religionem vel contra Eccleſiaſticorum uſurpationes in rebus politicis extrahant; Bibliothecam autem hanc jam poſſidere Dominos Tigurinos & Bernenſes, qui Bibliothecas ſuas peregrinis ſemper patefaciant: alteram vulgo Vadianam, a fundatore ita vocatam, ad urbem ipſam pertinere, & in ea vetuſtiſſimum MSS. de Lege Salica aſſervari; in epiſtola quadam manuſcripta ad Vadianum inveniri ſequentia: Rex Angliæ faſſus eſt, eum libellum, qui ſuo nomine contra Lutherum circumferebatur, non ſuum eſſe, quanquam paſſus eſt, ipſum ſuo nomine inſcribi, perſuadentibus matæologis. Vale ex tenebris noſtris plusquam Ægyptiacis. Anno D. MDXXV. Tuus Michael Hummelburgius. VIII. Τȣ̃ σοφωτάτȣ ἱερομονάχȣ Μαξίμȣ τȣ̃ Πελοποννησίȣ περὶ τῆς Ἐυχαριςίας: *Doctiſſimi Hieromonachi Maximi Peloponneſiaci de Sacramento Euchariſtiæ.* Abit hic Tractatus moderna Græcorum lingua conſcriptus & a Thomaſio in Latinum idioma verſus in tres partes. In earum prima fermentatum panem in S. Cœna adhibendum eſſe ſtatuit, ac pro hac ſententia roboranda tempus inſtitutionis hujus Sacramenti & conſtantiſſimam eccleſiæ primitivæ traditionem urget. In ſecunda parte demonſtrat, Pontificiis contra

Chriſti

Chriſti inſtitutionem & Eccleſiæ praxin Laicis nulloque charactere ſacerdotali inſignitis unam tantum ſpeciem in S. Cœna diſtribuere: ipſos frivole admodum diras imprecari & anathema dicere iis, qui utramque ſpeciem in Euchariſtia Laicis diſpenſant: variis abſurditatibus dogma de Communione ſub una propugnantes ſeſe implicare: inter ineptias cachinno digniſſimas referendum eſſe, quod Laicos ob barbas a Communione ſub utraque excludendos eſſe judicent. Inſuper in hac parte defendere conatur Autor, infantes participatione euchariſtiæ non eſſe privandos, quia anima rationali perfecta ſint donati: illis opus ſit corpore & ſanguine Chriſti ad nutritionem, ſicut opus eſt Baptiſmo ad ablutionem: Chriſtus de illis dixerit, permittite ut pueri ad me veniant, quia ipſorum eſt regnum cœlorum: item de illis pronunciarit, ſi quis non reſipiſcat & ſimilis evadat pueris, non ingredietur regnum cœlorum; de illis quoque aſſeverarit, ſi quis non comederit carnem filii hominis, & biberit ejus ſanguinem, non intrabit regnum cœlorum. In tertia parte negat, quod ſtatim ac prolata fuerint a ſacerdote in S. Cœna verba: accipite, comedite, hoc eſt corpus meum; bibite ex hoc omnes, quia hoc eſt ſanguis meus; panis fiat corpus Chriſti & vinum fiat ſanguis Chriſti, ſed neceſſum eſſe, ut poſt recitata illa verba, quibus Chriſtus in inſtitutione S. Cœnæ uſus fuit, ſacerdos pronunciet hæc: fac Domine, ut hic panis fiat corpus pretioſiſſimum Chriſti tui, & fac Domine, ut hoc poculum fiat ſanguis pretioſiſſimus Chriſti tui: tum demum enim hæc ſancta dona fieri perfectiſſimum corpus & perfectiſſimum ſanguinem Jeſu Chriſti. Quam ſuam ſententiam contra Pontificios ex Jacobo Apoſtolo, Marco Evangeliſta, Clemente Romano, Baſilio & Chryſoſtomo, qui Sacramenti hujus ritus memoriæ prodiderint, & poſt recitata verba Dominica talem invocandi formulam unanimiter adhibuerint, demonſtrare, & quod huic opinioni opponitur, diluere ſtudet. IX. *Diſſertatio Academica de Lepra Græcorum & Judæorum.* In hac Diſputatione, quam Dn. Thomaſius, Med. D. Baſileæ Præſes ventilavit, præmiſſis quibusdam de Lepræ gravitate, eorundemque, qui illa lue affecti fuere, triſtiſſimo ſtatu; diverſis item illius apud diverſas gentes nominibus & diſcrimine inter Elephantiaſin Græcorum & Arabum; ſpeciatim Elephantiaſis Græcorum phæno-

Digitized by Google

phænomena, cauſas, ſedem, ſigna ſiſtit, hocque malum, ſi radices egerit, immedicabile eſſe aſſerit: poſtea de Lepra Judæorum agit, atque illius e Levit. XIII deſcriptionem & quatuor ejusdem præcipuas ſpecies e Maimonidis Tractatu de Lepra affert: textum e Levit. citatum magna ex parte phyſice exponi poſſe oſtendit: cauſam naturalem hujus luis in Palæſtina, durante Hebræorum Republica, nullam, præter Dei voluntatem peccata populi ſui caſtigantem, agnoſcit: carne ſuilla lepram generari, ideoque a Moſe legem eſſe latam, ut in perpetuum ab ea Judæi abſtinerent, negat, aliasque ob cauſas iſtius carnis uſum illis interdictum fuiſſe obſervat: & tandem nonnulla, quæ ad leproſi mundationem ſpectant, in medium adducit.

ELOGIUM JO. HENRICI EGGELINGII.

JOhannes Henricus Eggelingius, J. C. Vir antiquæ virtutis & fidei, rei numariæ, antiquitatum Græcarum, Romanarum, & inprimis Germanicarum indagator ſolertiſſimus peritiſſimusque, editus in hanc lucem eſt Bremæ Chaucorum die 13 Maji ſt. v. anni 1639, honeſto admodum ac præclaro genere ortus. Patrem enim nactus erat *Henricum Eggelingium*, J. U. Doctorem, Archiepiſcopo Bremenſi a ſanctioribus conſiliis, Cancellarium Celſiſſimi Comitis Waldeccenſis, ſummi Capituli Lubecenſis Canonicum & Seniorem, Filium *Gideonis Eggelingii*, Cancellarii & Conſiliarii intimæ admiſſionis in Archiepiſcopatu Bremenſi, & Hibbeliæ *Brandiæ*, quæ ex patricio inter Bremenſes & conſulari dignitate ſæpe fulgente ſtemmate genita erat. Cum Patrem admodum puer amiſiſſet, mater ejus Magdalena *von Hævelen*, nobili admodum atque equeſtris in Weſtphalia dignitatis, *von Hævelen* & *Bræmſen*, familiarum genere nata, nupſit A. 1643 Godliebio *van Hagen*, Regi Daniæ a ſanctioribus conſiliis, tum temporis ejusdem in aula Regia Hiſpanica Bruxellenſi legato, ut vocant, reſidenti, Burgmanno in *Tedinghauſen*, & hæreditario in *Hansbagen*, & reliqua. Poſteaquam noſter tum in ludo patrio, tum in Gymnaſio illuſtri agile ingenium per varias ſcientias ac artes circumtuliſſet, jactis hactenus fundamentis ſolidi aliquid ac manſuri ſuperſtructurus, non ſolum ad exteras

Acade-

Digitized by Google

Academias, *Helmſtadienſem* præcipue, ac noſtram *Lipſienſem*, ſe contulit, ſed & præcipuas Europæ provincias, Helvetiam, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Germaniamque curioſo perluſtravit oculo. In patriam redux A. 1676 in ſpectabile collegium *Seniorum*, quos vocant, adſcitus eſt. Cujus nomine cum in aulam Cæſaream Viennenſem, ad componendas difficultates quaſdam, quæ inter urbis Magiſtratum ac cives coortæ erant, ablegatus eſſet, ea ejus in rebus gerundis dexteritas atque prudentia enituit, ut reduci ſplendida *Secretarii Reipublicæ* provincia A. 1679 imponeretur. Atque eo quidem munere magna cum nominis ſui exiſtimatione functus eſt ad hunc usque annum, ſub cujus initio febri correptus, quæ ejus artus ita depaſta eſt, ut d. XV Febr. cum annum ætatis ageret quartum ſupra ſeptuageſimum, animam Creatori ſuo reddiderit. Scripta ab eo publici juris facta ſunt, quantum meminimus, ſequentia: De Numismatibus quibusdam abſtruſis *Neronis* cum Car. *Patino* per epiſtolas diſquiſitio, Bremæ, 1681, 4, *Myſteria Cereris & Bacchi*, in vaſculo ex uno onyche, ad *Ferdinandum Albertum*, Ducem Brunſvicenſem, ib 1682, 4, deinde a Cl. *Gronovio* Tomo VII Antiquitatum Græcarum inſerta, Diſcuſſio calumniarum *Fellerianarum*, 1687, 4, *de Orbe ſtagneo Antinoi* ad Ill. Abbatem Lucenſium Epiſtola, 1691, 4, De Miſcellaneis *Germaniæ antiquitatibus* Exercitatt. V, quarum prima & ſecunda de vocabulo *Germaniæ* & de *Caucis*, A. 1694, tertia de *Ptolemai* Φαβιράνω, A. 1695, quarta & quinta de *Wichbetho* & *ſtatuis Rublandicis* A. 1700, editæ ſunt. Quæ alia in ſcriniis ejus non minoris momenti delitescunt, ea, ſi ab hæredibus impetrari poterunt, una cum his, quæ commemoravimus, uno faſce collecta in lucem emittere conſtituit Vir Summe Rev. Theodorus Haſæus S. Th. D. & verbi divini in Eccleſia Bremenſi Interpres. Cujus Viri epicedium, honori Cl. Eggelingii dicatum, hoc loco annectere lubet:

Muſarum, Themidos, Phœbi, Charitumque Sacerdos,
Hellados & Latii, Teutoniæque Pharus,
EGGELINGIADES, Caucorum gloria terræ,
Vivaque, dum vixit, Bibliotheca, FUIT!
Ad latus aurati monimentum inſigne *Rolandi*
Erige tam docto, patria Brema, Seni.

Nam

Nam tibi, namque tuo decus immortale *Rolando*
    Eſt viſus calamo conciliaſſe ſuo,
Quod te, quodque tuo, quem jactas jure, Coloſſo,
    Forſan erit poſt tot ſæcla perenne magis.

NOVA LITTERARIA.

PRudentii Sandovalis Vitam Caroli V Imp. e Guevarræ imprimis & Petri Mexiæ collectaneis congeſtam, a Viro quodam doctiſſimo Francofurti ad Viadrum e Hiſpanico in Latinum idioma jam tum abhinc decennio traductum, ac Bibliothecæ Berolinenſi Regiæ illatum fuiſſe, notum eſt illis, quibus aditus ad Bibliothecam conceſſus fuit. Idem vero nuper etiam vitam Philippi II a *Ludovico de Cabrera de Cordua* ſublimiori ſtylo ad annum usque 1583 deſcriptam transtulit: dolet autem, in exemplaribus vulgo obviis cetera, quæ poſt A. 1583 a Philippo II geſta ſunt, non exſtare, quæ quidem ſolus codex in Bibliotheca Regia Pariſienſi exſtans contineat, refertque in Præfatione verſioni præmiſſa, ne ipſum quidem Carolum II Regem Hiſpan. a moderno Galliæ Rege fragmentum hoc impetrare potuiſſe, etſi paciſci pro dote vellet, quam prima ejus Conjux Princeps Aurelianenſis inferre debebat. Nec minus aliarum linguarum gnarus hic Interpres Epiſtolas, quas Fairfaxius a Carolo I Angliæ Rege ad Conjugem in Galliam miſſas criminatus eſt, pariterque Eduardi Comitis de Herbert vitam Henrici VIII, ac Thomæ Hobbeſii vitam Cromwelli, ſeu belli civilis, quod in Anglia usq; ad annum 1666 geſtum eſt, hiſtoriam ex Anglico ſermone Gallice vertit. Imprimisque bene meruit, quod Antonii Giropoldi Trutinam Imperii Ottomannici, ſublimitate ingenii & arcanorum admirabilem, tranſtulit. Et hæc cuncta Berolinenſi Bibliothecæ ſunt inſerta. Ceterum vero bono publico non invidebit, quas ſub manibus habet, Antonii Perezii, qui Philippo II a ſtatus ſecretis fuit, & Laurentii Gratiani Operum, tum Joannis Zavaletæ, Cominæique, Hiſpanici longe plenioris, quam qui hactenus exſtat, ſcholiisque illuſtrati, & Petri Mantuani Animadverſionum in F. Marianæ Hiſtoriam verſiones.

Proſtat Supplem. T. V Sectio XI & ſub prelo eſt Sect. XII.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Maji Anno M DCC XIII.

ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZALUSKI, EPIſcopi Varmienſis, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium *Tomus III.*

Brunsbergæ, 1711, fol.
Alph. 10.

MIſeræ domi militiæque Poloniæ bella, clades, hisque triſtiora diſſidia civium partiumque ſtudia a primordio hujus ſeculi ad ejus annum decimum per ſeriem præcipuorum eventuum hic deſcribuntur. Inchoaverat ſeculum res plane nova: Fridericus III Elector Brandenburgicus dignitatem regiam, quam Fridericum Wilhelmum Patrem animo molitum legimus; ſingulari exemplo Pruſſiæ reſtituerat. Moti inde Poloni ſunt, qui jam olim vicinæ potentiæ infenſi auctam hoc titulo ſibi poſterisque ſuis magis metuebant. Ergo conſilium Varſaviæ d. 18 Januarii ineunt: Autor ſuadet, ut re jam non integra ferant quæ corrigi non poſſint, nec patiantur ſolum faciles, ſed & lætitiam fingant, cogitentque illud Damaclis, Athenienſibus divinos Alexandro honores negantibus, dictum: *Videte, ne dum cœlum cuſtoditis, terram amittatis.* Equidem Sczuka Lithuaniæ Pro-Cancellarius, ne Regem agnoſcerent, omnia agebat: vicit tamen prior ſententia, autoritate inprimis Cardinalis Primatis, qui per ſpeciem boni publici, revera in gratiam Towianskii in contrarium ibat; hunc enim jam Legatum ad novum Regem privatis conſiliis deſtinaverat homo inter cetera vitia avariſſimus. Inde mittitur Regiomontum Towianski Regni Pocillator, additur nomini Legati Extraordinarii honos, novam Regi dignitatem gratulatur, Rex contra benigne excepto omnia ſecura fore, nihil ſe ex novo titulo Pag. 4, 7.

juris in Pruſſiam Polonicam prætendere, & id genus alia, quorum
jam proximo anno Polonis fidem dederat, iterum promittit.
Pag. 26 ſq. Compoſita hoc modo controverſia privatorum calamis agitari
cœpit, ut ſolent quædam ingenia eousque audaciæ procedere, ut
de cauſis etiam, de quibus jam autoritas publica pronuntiavit, te-
62. mere ſibi judicium rei recte aut perperam factæ arrogent. Quin &
Pontifex ad ſe negotium ſpectare, ereptumque ſibi jus creandi Re-
ges, quod uſu hactenus poſſederat, ratus, multum apud Imperato-
rem ac Cardinalem Primatem conqueſtus eſt, hominem acatholi-
cum non ſine Eccleſiæ contemtu ſacra inſignia ultro aſſumſiſſe,
Regemque ſe dicere auſum ejus Pruſſiæ, quæ ad Teutonicum or-
dinem antiquo jure pertinuit. Sed quod ad Polonos; major horum
in avertendo diſcrimine quod timere poterat, quam tollendo præ-
ſenti malo cura eminuit. Sapiehæ enim miſere hactenus Rempu-
blicam afflixerant, & quanquam nihil ad conciliandos partium ani-
88. mos negligeret Rex, nunc indicens comitia, nunc mediationem of-
ferens, vana tamen fuerunt omnia, eo quod præteritis quæ ad cau-
43. ſam ſpectabant, diverſa longe, ſcilicet ut Saxonicus miles Polonia
66. exiret; diſcrimen belli Livonici ad ſolos Saxones, fructus contra ad
Polonos pertineret, hisque ſimilia fœda civibusque indigna tenta-
bant. Itaque dum rebus ſuis deſperant Sapiehæ, ad opem feren-
70. dam Sueciæ Regem in Lithuaniam accerſunt. Tum vero Poloni li-
teras ad eum dare, ſibi cum eo bellum non eſſe proteſtari, fœderum
pactorumque invicem ictorum memoriam commendare, Wilhel-
111. mus etiam Angliæ Rex literis Sueciæ Regem ad pacem flectere,
conciliatoremque ſe offerre. Sed inanem omnem fuiſſe operam
exitu comprobatum eſt, patuitque jam tum haud obſcuris indiciis,
id præcipue agitaſſe Suecum, ut cives Regi ſuo infeſtos efficeret. Et
hæc quidem conſilia multum promoverunt, quæ *Anno 1701* geſta
ſunt. Cœperant die 22 Decembris proximi anni Varſaviæ Comitia,
137. in quibus de concordia Lithuaniæ agere conſtitutum erat. Dede-
146. rant ſupplices literas Sapiehæ: Rex eos adeſſe nihilque metuere juſ-
ſerat: ubi vero tractari negotium cœpit, anceps ea admodum deli-
beratio fuit. Pars pro Sapiehis, pars contra peroravit, nec ſine dif-
157. ficili opera in formulam tranſactionis tandem conſenſum eſt. Ja-
ctatæ præterea a quibusdam acerbiores in Regem voces ſunt, eum

injuſſu

Digitized by Google

injuſſu Reipublicæ bellum excitaſſe criminantibus: verum his fi- Pag. 138.
nem fecit Eques Pac, qui enarrando impune hactenus contra leges 161.
facta, Comitia ſolvit, quæ dein Senatus Conſilium excepit. In- 162.
terim Sueciæ Rex cœptis inſtat, quibus Legati Poloniæ inter-
veniunt, orantes, ne pactorum immemor regno gravis ſit: quid opus 171 ſq.
eſſet armis, inter quos odia nulla ſint? Rex, cui nec ad negandam
pacem ſatis animi, nec ad dandam conſilii, rem trahendam ratus,
multum primo de loco quo audiri debeant, hinc de tempore deli-
berat, admiſſis tandem, ſibi non cum Republica ſed Rege bellum eſ- 175.
ſe, quem & in Polonia perſequi jus belli jubeat, reſpondet. Ipſe
Cracoviam movit, ubi obviam ei adverſus exercitus factus eſt. Pu-
gna die 19 Julii ad Cliſſoviam habita: victor evaſit Suecus perfidia
metuque Polonorum, qui quum initio in ſe directam aciem vidiſ- 244.
ſent, veriti, ne ex compoſito a Saxonibus Suecisque opprimerentur,
vix primum impetum ſuſtinuerant. Quanquam nec Suecis ea vi-
ctoria incruenta fuit: nam præter eos qui ex militibus deſiderati
ſunt, Dux Holſaticus tormento Katcii, Palatini Kijovienſis, periit,
& Rex ipſe levi vulnere affectus eſt. Poſt eam pugnam amicitiam 219.
Sueci Galliæ Rex ambire, Polonorum etiam ſibi conciliare volun- 231.
tates cœpit, prolixa commemoratione animi, quem in Polonorum 229.
partes propenſum ſemper habuerit: ceterum facile ſibi fuiſſe factæ
a potiori Reipublicæ parte electioni Principis de Conti armis robur
addere, niſi quietem Polonorum propriis commodis prætuliſſet.
Legati Poloniæ iterum mediationem offerunt, ſed a Sueco negante 231.
Rempublicam mediam eſſe poſſe, admiſſi non ſunt: Confœdera- 241. ſq.
tio etiam Sendomirienſis die 22 Auguſti ab his, qui Regi ſuo fidem
ſervabant, inchoata fruſtra de pace laboravit. Varii enim contra
Regem Polonos ſollicitabant, inter quos cum eminuiſſet Legatus
Gallicus de Heron, ideoque exire Polonia juſſus non exiiſſet, auto-
ritate Regis Auguſti captus, ac in Galliæ finibus demum libero pedi
reſtitutus eſt. Diſplicuit ea res Reipublicæ, præcipue Cardinali Pri- 239.
mati, qui *delicate & nervoſe* ſe excuſaturum facinus promiſit. Nec
profuit opera, quam in conciliandis adverſis partibus poſuit Impe-
rator: nam Comitem de Zinzendorf, Ablegatum Cæſaris Extraor- 257.
dinarium, ne audivit quidem Sueciæ Rex miſſus etiam a Pontifice
Auguſtinus Leveſi breve poſt tempus infecta re plurima paſſus do- 342.

Digitized by Google

mum rediit. Illam tamen pacem, toties Poloniæ regno negatam, ab
Imperatore Moſcoviæ ipſum Suecum petiiſſe, inque ea re opem
Patkuli promiſſa priori gratia deſideraſſe, ex literis a Confeſſiona-
Pag. 289. rio Jacobi Principis ad Patkulum ſcriptis & hic inſertis patet. Sub
initium *Anni 1703* ad externam opem confugit Auguſtus Rex, lite-
361. risque ad Daniæ Regem datis rogat, ut quum alterius Reipublicæ
injurias ad ſe pertinere credat altera, communi cauſæ remedium
quærere, paciſque conſilia ambitioni Suecorum opponere ne gra-
395. vetur: quod facturum ſe ille mox reſpondet. Idem ab Electore
384. Brandenburgico petunt Poloni: nec a pace abhorret Magnus Mo-
421. ſcoviæ Dux: quin ipſe Turcarum Imperator fœdera inter Turcas
557. Polonoſque inita confirmari poſtulat. Et poterat ſperari lætior re-
rum facies, niſi inteſtina odia tumultuſque Primatis interveniſſent.
374. 424. Hic enim defenſam in Conſilio Thorunienſi cauſam Auguſti Regis
ægre ferens, aliud Varſaviæ indixerat: cui cum Rex literas nec non
conſilium Mariæburgi opponeret, interceſſit iterum Cardinalis
504. Primas. Tandem compellatus in Comitiis Lublinenſibus, ut jura-
mentum Regi præſtaret, venit, atque ſe cauſam ingreſſui Suecorum
in Poloniam non dediſſe, nihil unquam contra Regem molitum,
nihil moliturum ſancte obteſtatus eſt. Sed nulli jactantius obligant
548. fidem, quam qui maxime violant: interceptæ ſunt, ejus haud diu
poſt ad Generalem Reinſchildt literæ, quibus hunc ut cautus para-
tuſque ſit, Saxones adventare monet. Præter Cardinalem Prima-
tem in adverſa parte eminebat Stanislaus Leſczinski, Palatinus Poſ-
nanienſis, in quo reconciliando omnem movit lapidem Autor; id
534, 546, 555. quod probant aliquot epiſtolæ, quibus per amorem patriæ, memo-
riam juramenti præſtiti, & cetera, ut ad obſequium redeat, Stanis-
553. laum rogat. Fama etiam erat, fœdus offenſivum inter Sueciæ Re-
gem & Electorem Brandenburgicum ita coaluiſſe, ut Sueciæ Rex
hunc Regem agnoſceret, petentique ſucceſſionem Regis Angliæ
adeſſet; Elector vero auxilium Polonis plane negaret, Suecis con-
tra, ſi Poloni Regis ſui partes defenderent, prætextu evictionis Oli-
venſis ſuccurreret; pacemque ſeorſim, niſi Suecis prius a Rege vel
568. Republica Poloniæ ſatisfactum, non iniret. Miſſus proinde Be-
rolinum eſt Stanislaus Sczuka, Lithuaniæ Pro-Cancellarius; impe-
ravit Reſpublica, ut Regem quidem appellaret, caveret tamen ſimul,

ne

Digitized by Google

ne inde novum Jus, quod pactis Velavienſibus derogare queat, prætenderet Elector; præterea ſummam Elbingenſem aboleri, pignusq; tradi urgeret. Ceterum expugnatum hoc tempore a Suecis Thorunium eſt, cujus obſidionis plenior hiſtoria in literis Generalis Re- Pag. 571.
wel, qui urbi cum præſidio relictus fuerat, legi hoc loco poteſt. In adnotanda *Anni 1704* hiſtoria parcior Autor eſt, duo tantum obſervans, nempe literas Czari monitorias, ut ab electione novi Regis 599.
Poloni deſiſtant; nec non eas, quibus Sueciæ Rex electum a Fœderatis Majoris Poloniæ ordinibus Stanislaum reliquis commen- 605.
dat. Verum in anno, qui ſequitur, *1705* prolixior eſt, notatque primo loco literas ad Pontificem ab Auguſto Rege ſcriptas, quibus 607.
orat, ut in Epiſcopum Poſnanienſem, tot hactenus turbarum autorem, captumque Romamque miſſum ſevere animadvertat. Motus indignitate facti, & quod non minoris in Polonia calamitatis autorem Archi-Epiſcopum Gneſnenſem ſciret Pontifex, ab omnibus 646.
honoribus ſuſpendit, reliquis vero regni Archi-Epiſcopis & Epiſcopis obſequium Regis Auguſti ſerio commendavit. Petrus etiam 649.
Imperator Moſcoviæ univerſali quodam dethroniſationem Re- 652.
gis Auguſti improbavit. Sed nec ita ſanari Polonia potuit, obſtititque perpetua rerum confuſio, quo minus Joſepho Imperatori petenti, ut Jacobum Principem Lipſiæ captivum liberaret Auguſtus 651.
Rex, annueret. Sciſſa enim in duas partes erat Polonia: altera Varſaviæ convenerat, proſpectura, ne quid ex Livonia, Pruſſia & Cur- 632.
landia avelleretur, ne liberum Poloniæ regnum a Suecis dependeret, &c. altera Breſtæ legitimum Regem Auguſtum ſe defenſuram, 659.
nihilque confœderationi Sendomirienſi unquam detracturam teſtabatur. Terrebant quoque Poloniam, qui Boruſſiæ Regem Auguſto adverſum ferebant rumores, quanquam ii vani. Nam de fide tractatus inter eum & Gedanenſes initi, ipſe Autor dubitat; fœdus 662.
vero cum Suecis, quod ſupra indicavimus, vanum fuiſſe, Rex ipſe docuit, qui tum in literis ad Cardinalem Primatem hunc, ne tale 663.
quid in poſterum in vulgus ſpargeret, ſed ſibi prius communicaret, rogavit; tum etiam Auguſtum Regem, nunquam ſe Palatinum Poſ- 666.
nanienſem Regem agnoviſſe; reſpondiſſe Cardinalem, ea verba non de ſe, ſed Sueciæ Rege accipienda eſſe, certiorem fecit. Nec tamen ideo ad pacem pronior Suecus, qui nec ullum ſe fœdus in-

Digitized by Google

Pag. 672. choaturum, nec proſecuturum, niſi cum coronato capite, palam pro-
feſſus eſt. Sed de eo quærebatur, quippe contra coronationem Sta-
708. niſlai Manifeſtum Tykocinii die 11 Octobris ediderat confœdera-
tio Sendomirienſis: contra inter Carolum & Staniſlaum tanquam
735 ſq. Regem fœdus initum, cujus conditiones hic legas. Sub finem an-
713 - 787. ni, quæ ſibi acciderunt, fuſe Autor narrat. Summa huc redit: accu-
ſatum ſe commercii cum Aula Brandenburgica habiti, literarum
etiam numeris ſcriptarum; quare menſe Septembri Dresdæ ca-
ptum, hinc Anconam & tandem Romam delatum eſſe. Et hoc
677. quidem malum Cardinali Primati in literis, quas ad eum ſcripſit ſa-
tis acerbas, tribuit: crimina ceterum facile dilui poſſe, quoniam
primum ne veri ſpeciem habeat, alterum negari quidem nequeat,
egiſſe vero eas literas de rebus ſaltem œconomicis, ſcribendasque
fuiſſe eo modo, ne ſi forte Elbingæ in manus partis adverſæ, aut
Gedani in Cardinalem Primatem inciderent, ab his intelligerentur.
711. Rem omnem interim ad Pontificem detulit, cujus opem captivus
imploravit, ſub initium anni 1707 tandem liberatus. Sed hinc in
adnotandis annorum ſequentium Actis brevior eſt. Nam ad *Annum*
787. *1706* præter relationem conflictus ad Caliſſium, in quo victi Sueci; li-
792. terasque, quibus Staniſlaus liberatos a ſe Poloniæ Principes Reginæ
793. Matri nuntiat; oblatum ſibi fuiſſe Archiepiſcopatum Gneſnenſem
morte Radzieiowſkii vacuum; Pontificem nec electionem nec co-
794. ronationem Staniſlai, nec abdicationem Auguſti approbaſſe; inde
ita exarſiſſe Staniſlaum, ut Epiſcopos ſenatu ſe ejecturum minare-
tur; voluiſſe, ut Autor iter Romam ſuſciperet, ſe vero reſtitiſſe expo-
798. nit, reliqua præterit. Ad *Annum 1707* varias Polonorum volunta-
tes, quorum alii Auguſto, alii Staniſlao favebant; reliqui electionem
803, 804. novi Regis petebant; inde literas Imperatoris Regisque Boruſſiæ,
818. quibus Staniſlaum Regem agnoſcunt, tandemq; Intimationem In-
terregni die XI Julii factam obſervat. *Anno 1708* inſerit literas Re-
ginæ Angliæ, quibus Staniſlao dignitatem regiam gratulatur. Re-
fert etiam, quæ in conflictu Konieſpolſcenſi aliisque acta. Nec ad
Annum 1709 præter documenta publica ſingulare quid annotat. Ex
iis notandæ literæ, quibus Galliæ Regi reditum in Poloniam nunti-
at Auguſtus: quas pro Guarantia ad Hollandiæ Rempublicam: ut
& eæ quas ad Imperatorem Turcarum ſcripſit. Præter has literæ,
quibus

Digitized by Google

quibus Auguſtum Pontifex commendat; nec non Memoriale ad conferentiam cum Miniſtris Czari & Reſponſum. Ad *Annum* denique *1710* Guarantia, & Declaratio a Miniſtris Czari Imperatori, Angliæ, Hollandiæ, univerſisque Statibus Imperii facienda.

Notari porro merentur, quæ de Viris Illuſtribus, qui his temporibus floruerunt, annotat. Sic Cardinalis Radzieiowskii avaritiam p. 6, actiones ad conſilia Palatinæ Lencicienſis compoſitas p. 438, ac cetera vitia paſſim deſcribit; audito etiam mortis ejus nuntio, inquit: Utinam illius purpura non habeat coram Deo quod erubeſcat. Utinam in vanitate non ambulaſſet ſenſus ſui &c. p. 725. Vinolentiam Generalis Steinau notat p. 498, Patkulum omnium malorum in Polonia fontem & originem vocat p. 797. Contra nec debitas aliis laudes negat. Ita commendat Stanislaum Lubomirskium, ſupremum regni Mareſchallum p. 169, Leszczynskium, Palatinum Lencicienſem, p. 170, Stanislaum Jablonowium, Caſtellanum Cracovienſem ſupremumque Exercituum Ducem, non ſine veneni ſuſpicione mortuum, p. 214, Felicem Potocki, Caſtellanum Cracovienſem & ſupremum Exercituum Ducem, p. 215, Raphaelem Leszczynski, Regni Theſaurarium, p. 439, Generalem Reinſchildt p. 573, Generalem Peykul p. 668, P. Vota, quem ab eloquentia laudat, p. 698, & Hieronymum Lubomirski, Caſtellanum Cracovienſem ſupremumque Exercituum Ducem.

Ultimo memoranda ſunt, quæ non quidem ad hiſtoriam horum annorum ſpectant, inſerta tamen huic Tomo ſunt. Talis eſt ſermo Pontificis in obitum Jacobi II habitus, p. 128, de ærario Regis Sueciæ Disquiſitio, p. 195, it. literæ, quibus Jacobi Principis Confeſſionarius Patkulum rogat, ut Czari filio Jacobi filiam decennem a forma & ſcientia commendabilem in matrimonium offerat, p. 289, Pontificis, quibus Czaro, quod liberum catholicis religionis exercitium indulſerit, gratias agit, p. 886, ejusdem, quibus Principem Furſtenbergium, ut Saxoniæ Princeps catholice imbuatur, admonet, p. 835, atque eæ, quibus Cæſarem, ut ad reverentiam Eccleſiæ animum revocet, hortatur, p. 836 & 841. Huc etiam faciunt, quæ ad illuſtrandam Domus Sobiescianæ Genealogiam ex ſcripto Albrechti Dœnhoff, Epiſcopi Cracovienſis, & MSto ipſius Regis Johannis III hic inſerta ſunt p. 858 & 859, nec non Informatio de *Stromgeld* Regio- Pag. 816.

Digitized by Google

giomontano, alias telonio in fluminibus ab Electore Brandenburgico impoſito, p. 864. Ad calcem denique adjectæ ſunt Rogalli, Gutſtadienſis Canonici & Sigilli majoris regni Secretarii, literæ, ex quibus, A. 1711 d. 29 Aprilis Autorem noſtrum obiiſſe, conſtat.

GRATIANI SEVERINI LIPINSKI, NOBIL. Pruthení, ad VINCENTIUM CONSTANTINUM STARODOBRSKI, Nob. Polonum, Epiſtola, Sicilimenta quædam in ANDR. CHRYSOSTOMI ZALUSKI Epiſtolarum hiſtorico-familiarium loca nonnulla, terras Pruſſiæ, ſpeciatim civitatem Gedanenſem afficientia exhibens.

Anno 1712, 4.
Plag. 17.

QUamvis Celſiſſimus Epiſtolarum hiſtorico-familiarium Autor A. C. Zaluski ſcripſiſſe ex vero omnia videri velit: ſunt tamen loca, in quibus per errorem lapſus aut affectu impeditus, cenſuram promeritus eſt. Hanc qui ad integrum Epiſtolarum opus extenderet, hactenus fuit nemo: quoad res vero Pruthenicas, præcipue civitatis Gedanenſis, id egit Magnificus atque Generoſus Vir, (quem Autorem eſſe, nomine licet minus recte expreſſo, A. 1712 M. Oct. p. 464 monuimus,) Jo. Erneſtus von der Linde/qui ita demum officio boni Conſulis ſatisfacturum ſe credidit, ſi quam conſiliis ſu-
Pag. 5. ſtinet, calamo etiam defenderet patriam. Prima de ſigillo majori civitatis Gedanenſis obſervatio eſt, quæ eam civitatem jam ſeculo XV ſigillo hoc uſam fuiſſe probat, quod ſe non vidiſſe Tomo I
7. p. 91 Zaluskius ſcribit. Inde ad p. 150, quæ ſub Michaele in confirmatione Jurium civitatis acta: ad p. 248 vero reſponſionem Geda-
20. nenſium ad orationem Pro-Cancellarii Poloniæ addit. Ad p. 405
23. optimo jure Comitia regni veterisq; uſum Reipublicæ petiiſſe Pruthenos, nec ſucceſſu caruiſſe notat. P. 414 reſponſorias Pruſſorum
33. ad literas Archi-Epiſcopi Gneſnenſis inſerit. Ad p. 1152 obſervat,
35. alterum horum tractatuum contra Pruſſiam ſcriptorum Decreto Poſt-Comitiali Mariæburg. 1653 dignum judicatum, qui manu Car-
36. nificis combureretur. Ad p. 1185 documenta publica affert, quibus
49. cautum, Pruſſos nullis teloniis ſubjici poſſe; & ad eandem paginam

contra

Digitized by Google

contra Zaluſkium, Conſtitutiones regni, niſi & a Pruthenis unanimiter receptæ ſint, hos non obligare evincit.

In Tomo II. duo notat; primo falſa eſſe quæ de voce Senatus Gedanenſibus negata Epiſcopus Varmienſis p. 552 affert: quia Albertus de Dœnhoff, Regni tum Cancellarius & Epiſcopus Przemislienſis, ne verbo quidem, hunc ſibi titulum non probari, monuerit. Ut integra actus ſeries exhibeatur, adjicit orationes ſub adventum Regis a ſe, illo tempore civitatis Syndico, habitas. Id quidem negari non poſſe, motam eam temporibus Jo. Caſimiri Regis 1661 controverſiam, ſed & mature compoſitam, obtinente titulum civitate. Deinde ad p. 749 ſq. ubi de pace religionis in Polonia agitata, multa ex hiſtoria ſeculi XVI & XVII tradit.

In Tomo III reſponſorias Gedanenſium ad literas Epiſcopi Varmienſis, quarum p. 60, 139, 181, 207, 300, 431, 485, 498, 604 meminit; ut & reſponſum civ. Ged. ad literas Czari 1705 m. Julio ſcriptas, & p. 658 inſertas, ſupplet. Cetera, quæ ad p. 662, 864, 871 & 899 moneri potuiſſent, ne nimis excreſceret labor, indicaſſe contentus.

TRAITE DE LA REPENTANCE TARDIVE,
h. e.

TRACTATUS DE POENITENTIA SERA; Autore JACOBO BERNARDO, Profeſſ. Philoſ. & Mathematum, nec non Paſtore Wallonenſi in Academia & Eccleſia Lugdunenſi.

Amſtelodami, apud R. & G. Wetſteinium, 1712, 8.
Alph. 1 plag. 2.

DIſquirere ſibi ſumſit Venerandus Autor de eo, num homo, omnibus inſtructus ſalutis mediis externis, ſed profligatiſſime vivens, & jam abiturus e mundo, ſperare poſſit, quod ultimo hoc inſtante momento, vere adhuc converti ad Deum poſſit? Non dubitavit Autor, *moraliter impoſſibilem* hanc vocare converſionem, propterea, quod ſaltim per ordinarias Dei, nobisque notas converſionis leges (de aliis nobis ignotis diſſerere noluit) evenire non poſſet. Omnem hic reclamare, ait, œconomiam ſalutis, nobis revelatam, quandoquidem per infernum via ad aſtra tendere non

Præf. p. III. IV. VII. XI.

Præf. poſſet, gratiaque Dei indignos ejusmodi peccatores ſe reddidiſſent.
P. XIII ſeq. *Moraliter* illud *impoſſibile*, ut quæſtionem formaverat, mitius aliquanto poſtea exponit per id, quod 1) raro, 2) extra media ordinaria evenit, & per librum univerſum ſtylo, quod ipſe non diffitetur, diffuſiori, eoque ad inculcandum ſtudioſe perquam compoſito utitur.
43.

Sententiam vero ſuam Clariſſimus Autor præ ceteris, quibus
Pag. 2 ſeq. uſi hactenus ſumus, argumentis, ad terrendos ſecuriores inprimis idoneam putat, & in Libros duos, quorum prior argumenta ſententiæ, poſterior rationes decidendi dubia ſiſtit, laborem univerſum deſcribit. Pœnitentia, quæ cor non mutat, Autori imperfecta &
7. falſa eſt, utpote qui ex effectu & fructibus de rei judicat veritate. Vix dari peccatorem, largitur, qui, dum ultima inſtant, diſplicenti-
14. am peccatorum non teſtetur; hanc vero non eſſe pœnitentiam in Scriptura deſcriptam & ſalutarem. Quin potius pœnitentiam ſu-
15 ſeqq. am, cum novitate vitæ ſemper conjungendam, per regenerationem Joh. III, 5 requiſitam, deſcribit, partemque illius *Correctionem* (quare & ſucceſſivam pœnitentiam vult) conſtituit, in qua aſſertione ejusque momento omnis hypotheſeos vel vis vel debilitas conſiſtit. Robur opinioni conciliare Autor ex Jer. XIII, 23, Luc. XIII, 6 ſeqq.
43 & 144. Matth. XXV, 1 ſeqq. Ebr. XII, 16, 17, Eſ. LV, 6, Pſ. XCV, 7, 8 annititur & diſcrimen inter *veram* & *ſalutarem* inſuper pœnitentiam conſtituit, veram quandoque admittens, quæ tamen non ſit ſalutaris. Triſtitiam, qua mali redirent ad frugem, *ſanctam deſperationem* vocat, & habitum vitiorum deponere, contra virtutis habitum
64. induere (quod exiguo ſane intervallo fieri nequeat) ad converſionem refert, qui & poſtea bona opera pro via ad cœlum agnoſcit,
74. ſine quibus ſalvari velle, idem eſſe ait, quod expetere finem, ſine eo ducentibus *mediis*. Plura ſententiæ momenta poſtea producit in
125. aciem, Deique deſertionem circa peccatores talem, qua mediis converſionis priventur, admittit. Nec curam ulterius ejusmodi ho-
144. minis Deum habere, ſcribit, quin potius addit, ne *extraordinarie* quidem theſi contrarium dari poſſe exemplum, quod, num expoſi-
134. tioni *τȣ̃ moraliter impoſſibilis*, quatenus, *quod raro eveniat*, notare debebat, conveniat, alii exiſtiment. Ponit Venerandus Autor, dari unum alterumve peccatoris ſero converſi exemplum; argumen-

ta-

tari hinc tamen non vult; nemo etenim peccatorum inambulare Pag. 225.
aquis, aut expectare ex ore piſcium numos vellet, licet utrumque
ſemel Chriſto Petroque evenerit. Undecima hora Matth. XX la-
borantes, & denarium accipientes, ita removet, quod ibi de gratia
ſaltim vocante agatur, & juxta parabolam duodecima mininum vi- 257.
tæ pars converſioni dicanda ſit. De latrone in cruce, quo ſe ſtrin- 279 ſeqq.
gi exemplo videt, ita ſentit, ut non tam facinoroſum hunc, ut vul- 314 ſeqq.
go creditur, fuiſſe, exiſtimet; expectaſſe illum Meſſiam, & errore
ductum, nunc Romanos, viſis Chriſti miraculis, ſede dejiciendos
eſſe, cum Barnaba ſeditionis ſocietatem iniiſſe, Matthæum & Mar- 319.
cum, utrique imputantes convitia, de uno eſſe intelligendos, atque 323.
ſic vel in carcere converſionem, ob actum inprimis vitioſum, non
habitum, forſitan incepiſſe. Ultimum, quod caput cauſæ erat,
Miniſtrum inſtruit, qui aſſiſtere morituro, ad ſeram pœnitentiam 339 ſeqq.
confugienti, jubetur, ubi, poſt circuitiones plurimas, eo tamen
omnia tendunt, ut de omnibus fere peccatorum recenſitorum ge-
neribus, fiducia extraordinariæ minimum miſericordiæ, bene ſpe-
ret, iis tamen exceptis, qui pœnitentiam ſe egiſſe, frigidis quibus-
dam effuſis lacrymis & ſuſpiriis putaſſent, quique ad veram adeo
pœnitentiam tranſire nollent, quos Dei judicio relinquendos cupit.
Signa veræ pœnitentiæ urgentur ubique, nec tamen indicantur.
Conſtat, inter eruditos rigidius ſæpe diſputari multa, a qua ſeveri-
tate tamen, dum praxi urgemur, ni dubiis & deſperationi locus eſſe
debebat, hinc inde remittendum eſt. Securitatem inter & deſpe-
rationem mediam tenuiſſe viam beatum!

DEMONSTRATION DE L' EXISTENCE de Dieu.

h. e.

DEMONSTRATIO EXISTENTIÆ DEI EX cognitione Naturæ deducta & ad captum vulgi accommodata.

Pariſiis, apud Jacobum Stephanum, 1713, 12 maj.

Plag. 15.

NOn Philoſophis ſcriptum eſſe libellum, ſed hominibus in ratiocinando parum exercitatis & ultra ſenſus non ſapientibus,

 tum

tum titulus loquitur, tum Autor in ipſo opuſculo fatetur. Seponit ergo demonſtrationes metaphyſicas intellectu difficiliores, utut ipſiusmet judicio reliquis certiores, & ad argumenta a contemplatione Naturæ deſumta confugit, quamvis ipſe non diffiteatur, hoc argumentandi genus eſſe imperfectum nec certitudinem aliam niſi moralem parere. Nimirum in memoriam revocat, quæ in hoc univerſo quovis momento ſenſibus obvia ſunt, quorum vero cauſa iisdem latet, ſaltem non ſine attentione ea majore, qua vulgus utitur, innoteſcit, ut ignari in admirationem trahantur & affectu perturbati tacite ſupponant, quod maxime probari debebat, univerſum hoc productum eſſe ab alio ad certos fines, ſicque tandem inferant, artificem ejus eſſe omnino ſapientem, potentem atque bonum. Quare non modo poſtulat, ut ab omni ratiocinatione abſtineat lector & tantum ſe ipſum conſulat, an non intuitiva cognitione ad aſſenſum rapiatur; verum etiam ſimilibus ab Iliade *Homeri*, a ſono inſtrumentorum Muſicorum, a ſtatuis & picturis deſumtis animum lectoris ad aſſenſum præparat. Quis enim ſanæ mentis ſibi perſuadebit, ex fortuita litterarum Græcarum confuſione prodiiſſe Iliadem *Homeri*? Quis ſuaviſſimum Muſicæ concentum audiens credet, forte fortuna a vento impelli aeris moleculas? Quis ſtatuam hominis in loco deſerto offendens non colliget, aliquando ibi extitiſſe homines? Quis pictoris exiſtentiam negabit, viſa pictura? Eodem igitur modo omnem naturam, ſi vel maxime obvia conſiderentur, ubique loqui exiſtentiam Conditoris ſui. Ut autem appareat, qualia ſint, quæ ex contemplatione univerſi adducit, unum alterumque ſpecimen in medium afferre juvat. Si terra, inquit, eſſet durior, non poſſet coli, ſi minus dura, homo eidem inſiſtere haud valeret. Si aqua eſſet rarior, in aerem degeneraret, & hinc omnis terra foret ſterilis, non darentur animantia, niſi volatilia, omnis ceſſaret navigatio. Si aer eſſet denſior, cœlum nebulæ inſtar obſcuraret, nec animalia ob humiditatem commode amplius reſpirarent. Si beſtiæ carnivoræ, quales ſunt tigrides atque leones, nimis multiplicarentur; aliorum ſpecies e. gr. cervorum, ovium, boum, immo ipſum humanum genus, extinguerentur. Examinat deinde objectionem, quam Epicureus aliquis afferre poteſt. Scilicet omnia, quæ ab ipſo proferuntur, continuum eſſe ſophiſma. Quamvis enim Na-

tura

tura homini uſui ſit; inde tamen non conſequi, quod in uſum hominis facta. E. gr. quem tempeſtas in agro obruit, eum in cavernam vicinam confugere: male autem inde colligi, cavernam eum in finem eſſe factam. In homine adeo eſſe artem, quam in natura admirantur, hujus enim ingenio tribuendum, quod naturæ opera in uſum ſuum convertat. Reſpondet Noſter, abſonum eſſe ſtatuere, ex fortuito atomorum concurſu prodiiſſe hoc Univerſum. Cachinno enim exceptum iri, qui affirmare non erubeſceret, ædem commode extructam caſu prodiiſſe. Certe cum multa ſapientia & exquiſito judicio opus ſit ad Naturæ cognitionem, multo majore ſapientia ingeniique vi opus fuiſſe ad ejus productionem. Sed non oſtendit Noſter, hoc Univerſum aliquando cœpiſſe aut minimum ex rudi indigeſtaque mole prodiiſſe: id quod tamen maxime fieri debebat, præſertim cum nemo hactenus ex principiis philoſophicis originem demonſtraverit, nec deſint, qui pernegent, ex ipſa Scriptura ſacra eam demonſtrari non poſſe, creationis hiſtoriam Moſaicam de mutatione Telluris (e. gr. ex ſtella fixa in planetam) explicantes. Etſi autem Autoris meditationes non ſufficiant ad perſuadendum exiſtentiam Numinis iis, qui altius vulgo ſapiunt, utiles tamen ſunt ad agnoſcendas Numinis perfectiones, ſi quis aliunde certus fuerit, dari Deum: commendandæ adeo concionatoribus ad quandam theologiæ experimentalis ſpeciem populum invitaturis.

EXCERPTUM E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, IC. ad J. B. M.

INjecta eſt mentio in Actis Junii 1710, p. 237 quarundam emendationum Juris, quas e Codice Mediceo attulit Laurentius Theodorus Gronovius c. 1. Nunc & reliquas Epiſtolæ I & II illuſtrabimus. Non repugnat, *ita confuſum eſſe legum tramitem, ut infinitum extendatur*. Cap. 2. Certe alibi, *humani juris conditio infinitum decurrit*. Et rurſus tamen ibidem, *in infinitum detraxerunt*. Huc vero non referam, *ne totum* (adverbialiter) *confundatur*. Græce enim ἢ καὶ τῶ πολλάκις φυλαχθῆναι τὸ τῆς ὅλης Θεωρίας συνεχές. Etiam id, quod nunquam vel factum eſſe, vel fieri potuiſſe creditur aut ſperatur, *deſuetum* Cæſari dici, nondum liquido apparet. 3. Nam Epiſto-

Digitized by Google

la II. *ceteris jam deſuetis*, reſpicit ad illa millia reliquorum librorum, ex quibus nihil aliud niſi ſex tantum accipiebant diſcentes. De DEO autem quando ſermo eſt Cæſari, exulat figura & omnis obſcurior dictio. Is enim, quod nemo neque ſperare neque optare auſus eſt, h. e. res penitus deſperatas donare & conſummare poteſt, *iterum res quidem nobis difficillima, immo magis impoſſibilis*. Epiſtola III Græce, *ὅπερ ὐδεὶς-ὐδὲ εἰς νῦν βάλλεσθαι ἤλπισεν ἂν ὔτε δύνατον ὅλως τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει αὐτὸ ἂν ἐνομίσθη*. Mox, *τῆς ἄνωθεν ῥωπῆς*, (ſcribe *ῥοπῆς*, vel *ῥώμης* etiam,) *καὶ τῆς ἐκεῖθεν φιλανθρωπίας ἴδιον ἦν, ἀλλ' ὐκ ἀνθρωπίνης τινὸς διανοίας ἢ ἐγχειρίσεως ἢ δυνάμεως ὅλως*. Neque *inuſitatum* Noſtro, quod nec poteſt uſitari. Epiſtola I: *ſcripſerunt & alii libros ad jus pertinentes, qui nullis auctoribus recepti neque uſitati ſunt*. Conjectura ergo hæc Gronoviana pertinere videbitur ad illas, quas Hottomannus dicebat muſcæ

Cap. 4. pede innixas. *Totum digerere* non dicitur niſi abſolute de eo, quod eſt præ manibus, neque locus eſt adverbio. Mirum autem non eſt, auctores vulgatæ lectionis perperam habere, *qui non ſubtiliter*; nam

5. & Chevalloniana hic peccavit. Redarguit Cæſar priſcum morem, quo nullam obtinebant vim ſubtiles etiam emendationes Ulpiani, Pauli, Marciani, adverſus ſplendorem Papiniani. Iterum peccat

6. Chevalloniana per centonem illum, *ſupervacua longitudine ſemota & quod imperfectum*. Accurate Epiſt. III *ſi quid in legibus Prudentum vel ſupervacuum vel imperfectum vel minus idoneum viſum eſt, vel adjectionem vel deminutionem neceſſariam accipiat*, *ἀμείψαντες μὲν, ἔι τι περιέχειν ἡμῖν ὐκ ὀρθῶς ἐδόκει μέρη δὲ τὰ μὲν ἀφελόντες,*

7. *τὰ δὲ προσθέντες*. Si in Mediceo aperte ſcriptum ſit, *in ſuis libris* IMSUERUNT, tranſeat archaiſmus, & exponatur; *inſuerunt*. Videturque ex *inſuerunt* factum deinde *impoſuerunt*: addendo, quæ per incuriam putabantur omiſſa. Chevalloniana, *poſuerint*; adimendo, quæ abundare crederentur. At vero in Epiſt. III Latina de eadem re, *etſi principalis conſtitutio fuerat in veteribus libris relata, neque ei pepercimus*: Livius tamen de Lepido, *privatamque publicæ rei impenſam inſuerat*. In loco Gellii non liquet, quid ſit, *palpebras inſuebant Reguli*, Lib. 6 c. 4. Apud Terentium autem Phorm. *ne quid ſuo ſuat capiti*, i. e. conciliet. Et mallem, adjeciſſe Gronovium ceteras etiam lectiones, quæ mox ſequuntur, an ſcil, in Mediceo ſit, *quod a*

vobis

Digitized by Google

vo[illegible]is electum & ibi poſitum fuerit, deinde, *cum repoſita ſunt, obtinere*, & ſtatim, *in contrarium autem in poſitione noſtra inveniantur.* Si enim toties placuit dictio pura, de figurata *inſuerunt*, in eodem ſubito contextu verborum dubites. At multo magis impeditus Noſtro fuit locus Epiſtolæ II: *male conſuetum inconſequentia curſum.* Ubi paulo melior quidem lectio, *male conſutum.* Sed res ipſa eruenda eſt. Omnium maxime caſtigat Cæſar perverſum ordinem docendi diſcendique, in quem inciderat. Sex tantummodo libros a voce magiſtra, ceu dictum, accipiebant, nec eos totos *per conſequentias*, i. e. juſto ordine & ſerie, ſed multis partibus eorum prætermiſſis. Primo itaque anno non tenebant Edicti perpetui ordinationem, i. e. conſequentiam. In ſecundo iterum præpoſtera habebatur ordinatio, nec continua ſed particularis. In tertio nunc de rebus, nunc de judiciis ſecundum viciſſitudinem tradebatur, i. e. citra continuam conſequentiam. Poſt hæc recitabant Reſponſa Pauliana, neque illa in ſolidum ſive juſta ſerie, ſed per imperfectum, & jam per triennium hoc integrum, quodam modo male conſutum illum curſum. Hæc eſt illa inconſequentia, quæ bono ordini opponitur, ſenſu negante. Editio Pariſienſis 1513 *male conſtitutum*, ſicut paulo ante, *in utili conſtituto*, &, *ad eruditionem conſtitutis*, ac mox, *in cognitis conſtitutis*. Poſſis ergo ſcribere, *male conſtitutum in conſequentia curſum.* Sic Epiſtola I una ſit concordia, una conſequentia. In eadem & III *non per ſigla, ſed per literarum conſequentias.* Jam vero Epiſtola II oſtenditur melior ordo *ſecundum optimam conſequentiam*, nullo penitus derelicto; *ut ſit vobis aliquid*, (Pariſ. *aliqua*,) *amplius diſcipulorum peritia.* Notabilis hac occaſione vox Cæſaris atq; in Canonem adoptanda: *horum, qui legitima peragunt ſtudia, oportere prius animas, & poſtea linguas fieri eruditas.* Quod ex ſublimiori quam juris arte eſt ſumptum. Utrum copulativa in Mſc. extet, *ſed ſufficiat per indices tantummodo*, ET *titulorum ſubtilitatem*, an vero ibi ſcriptum, *per indicis tantummodo titulorum ſubtilitatem*, ceu tradit Gronovius, ex Taurello non apparet. Is vero in nullo, quod quicquam momenti haberet, *ne latum quidem unguem a Codicis Florentini fide ſe diſceſſiſſe* perhibuit in Præf. ut, quoad fieri poſſet, *ejusdem vera ſpecies repræſentaretur.* Eandem induſtriæ ſuæ laudem præſcripſit Gronovius c. XVII: *neceſſum non videtur vel latum*

Cap. 8.

tum unguem ab fideliſſimo calamo diſcedere. Potuit ſaltem utraque ſcriptura locum invenire: donec veritas antiquitatis novo nobis ſidere ex Belgio per omnia illuceſcat. Sed iſta ſubtilitas tenuitatem magis rei quam ſublime aliquid arguit in modo. Ceterum Epiſtola III lucem fœnerabitur in eadem cauſa. Nam ibi duo dicuntur, præterquam ſi velit quis in Græcam linguam hæc transferre, *μόνῃ δὲ τῇ κατὰ πόδα καλουμένῃ χρήσασθαι τῶν νόμων ἑρμηνείᾳ.* Alterum, *καὶ ἔτι κατὰ τὴν τῶν ὀνομαζομένων Παρατίτλων προγράψαι βουληθεῖεν χρείαν, & ſi quid ſecundum paratitlorum, uti vocantur, uſum velit adſcribere.* Nihil de priori in Epiſtola I. Fieri tamen potuit, ut paratitla per indices etiam innuerentur, & per titulorum ſubtilitatem. Nulla ergo hic fœditas. In fine Inſtit. ſermo non eſt de paratitlis, ſed de publicis judiciis tantum, qua ſummo digito & quaſi per indicem tangi dicuntur. Præter ejusmodi indices, etiam paratitla indulget Cæſar in utraque epiſtola, in altera tectius, in altera evi-
Cap. 9. denter. Eundem potuiſſe ſcribere, noſtros animos ad Dei omnipotentis erigimus *adjutoriam*, eo quod circa ſeculum Juſtinianeum occurrat *ſacra probatoria*, non dixerim. Sacræ ſive Diales probatoriæ erant literæ vel memoriæ, manu Principis ſubſcriptæ. *L. 6 L. 9 L. 10 C. de div. off. L. 3 C. de agent. in reb.* Cartarii formulam probatoriæ exhibet Caſſiodorus Lib. VII Var. c. 43. Sed nihil inde ad rem præſentem. Multoque minus *μήνυσις indicatio.* De iſta apud Apulejum Lib. VII Mileſ. *falſam de me notariam pertulerat.* Et Auguſtinum Epiſt. 159, 160. In Feudorum contra Capitulis ſeculi etiam declinantis, conſtanter *adjutorium II, 26 §. licet, II, 40.* Neque aliud reperit Dufreſnius in media infimaque Latinitate. Itaq; nomenclatorem Mediceum in his nunquam ſequemur, neque ſphalmata lingemus promiſcue, vel latum unguem etiam. Vix merebatur quoque curam, *tot*, an *tota* auctorum volumina legendum? Utiq; enim præmittitur, omnem legum tramitem ita fuiſſe confuſum, ut infinitum extenderetur, & omnem Romanam ſanctionem colligendam atque emendandam fuiſſe, tum vero Conſtitutiones Principum etiam facta emendatione in unum Codicis volumen congregandas & coadunandas. Mitto reliqua. Juſſerat enim Cæſar primum, a quibus hoc opus moliendum ſit. Nunc de modo agendi præcipit, atque illa pars epiſtolæ fere totam exhaurit. Tandem, *ideo jubemus,*

duobus

duobus iſtis codicibus. - Noſtram autem conſummationem - habere ſancimus. - Ne autem - jubemus. Cur non & hic pergit is perſtatque *jugiter* in illa elegantia ſermonis? cujus hactenus apud eum non extat exemplum. Omnes bonorum poſſeſſiones bis memorantur, iisque multitudo tribuitur, & multiplex beneficium. De librarii ergo corruptela hic parum ſumus ſolliciti. *Secundum quod ſcibile eſt,* non prorſus idem eſt cum altero, *quod natura humana capacitate concluditur.* Cap. 10. Nam ſcibile ſemper fuit, quo tramite leges ab urbe condita & Romuleis temporibus deſcenderint, ſed nemo ante Juſtinianum penitus exiſtimavit, humano ingenio poſſibile eſſe, τὴν ἐπανανέωσιν τῶν παλάιων νόμων ἐις μίαν κάλλυς ἰδέαν παραχεῖν ἦν γὰρ θαυμαςὸν, τὴν Ρωμάιαν νομοθεσίαν πρὸς ἅπασαν ἀΐειν συμφωνίαν τε καὶ διαφωνίαν. Et ceſſat caſus tertius non ſemel. Epiſt. II, *quia neque poſſibile eſt*, ac III, *quod in libris antiquis nec numerari poſſibile fuit.* Perſpicue Græca, ἅπερ ἅπαντα τοῖς τε ἔμπροσθεν ὐδὲ ἐιπεῖν ἐςὶν, ὅσα καθεςῶτα. Iterum, *impoſſibile erat, per partes detrahi.* Scibile ergo quum Cæſari nuſpiam fuerit familiare, nemo inficiabitur, in quibusdam negligentiam potius reputari aut imperitiam Græci illius Librarii, quam antiquitatis genuinam expreſſionem. Nam & fatetur Ant. Auguſtinus, cum Tuſcis libris etiam errores nos accepiſſe. Cavendumque adeo, ne ex myſterioſa iſta membrana tandem fiat idolum, niſi quod ab ea paſſim quoque recedit ipſe Gronovius. Sed neque Græca ubique ſunt plane extra litem, quod enim diximus, πρὸς ἅπασαν ἀΐειν συμφωνίαν τε καὶ διαφωνίαν, non extat ubique ἀΐειν, ſed fragmenti vicem habet Chevalloniana. Ludovicus Ruſſardus ſupplevit neſcio unde, 1561 & 1567. Retinuit deinde Ludov. Charondas, & Antonius Contius etiam, ac Julius Pacius. Editio Batava 1663 quum videret, ἀΐειν, *audire, ſentire, intelligere*, minus eſſe congruum, neque nutandi ſignificationem, quæ illi præter morem paſſim tributa, admittere, emendabat νάιειν, *habitare.* Sed in Latina verſione Epiſtolæ Græcæ adhuc toleravit *nutare.* Nihil autem horum conformiter dicitur ad mentem Epiſtolæ Latinæ, *in unam reducere conſonantiam.* Et ſic plane delebimus, τε καὶ διαφωνίαν. Certum tamen eſt, molem illam legum Romanarum ante Juſtinianum non ſolum in partibus reliquis, ὐκ ἐν τοῖς ἄλλοις μόνον, ſed in ipſis etiam Principum conſtitutionibus, inter

Digitized by Google

omnem ac variam ſtetiſſe conſonantiam pariter ac diſſonantiam, atque adeo robuſtam exſpectaſſe dexteram Vindicis. Hic iterum irrepſit in Latinum textum, *inteſtinis præliis vacillantem*, quod locum non habet. Si tentes eadem libertate ἀινεῖν, quod uſurpatur pro κινεῖν, *moliri*, *commovere*, *erigere*, *aggredi*, habebimus ſenſum activum, eumque non ſpernendum. ἦν γὰρ θαυμαςόν. Ideo enim anteceſſores Cæſaris opus hoc non tractarunt ſerio, quia ſtupendi laboris videbatur, aggredi maſſam illam ingentem, ob perpetuam conſonantiam pariter ac diſſonantiam legum Romanarum. Sic alibi, *in luculentam ereximus conſonantiam*. Sed nihil definio, quin & Hieron. de Orez, Hiſpanus, frequens notare vitium Juſtiniani, Veterum JC. inventa ſibi tribuendi ceu nova credens ſcil. verba illorum pure retenta, non ambigebat, *de Apic. Jur. Civ. Lib. 2 c. 14 & L. 5 c. 7.* Gronovius recte vidit, de repletione locutum Cæſarem in Epiſt. I duobus locis anterioribus, ac tertia adeo vice non ſcripſiſſe, *vel propter repletionem*. Valde affine id quoque eſt *pleniori indagini*. Vidit præterea, epiſtolam I intelligi debere ex parallelismo epiſtolæ III. Tres nimirum excipiuntur caſus, ubi idem bis poſitum ſit. Aut neceſſarium enim erat idem bis dici, propter cognationem rerum & capitum, aut impoſſibile erat divelli loco peregrino, cui fuerat immixtum, aut ſæpe etiam totius doctrinæ & præceptorum (*ineptæ viſionis*) contextus retinendus fuit, ne dilacerarentur membra, imo mens ipſa & intellectus verborum. Preſſius ac abruptius hæc indicantur in Epiſt. I. Incertum tamen adhuc, an verba *vel propter diviſionem*, extent in MSC. quia duabus lineolis || || includuntur a Ludovico Ruſſardo. Quod mirum non explicaſſe nobis Gronovium. Quidquid ſit, VEL PROPTE RLETIONEM ad nullum illorum caſuum videtur idoneum. Ac perinde eſt, ſive *lectionem* ſive *electionem* ſurroges. Nobis ſuffecerit, mentem Cæſaris haurire ex ea epiſtola, in qua locutio ipſius eſt magis perſpicua. Potuitque ei contingere, quod cuivis, ut dum brevis eſſe laboravit, obſcurior ſit factus. Neque lucem affundunt verba, *multæ & variæ lectiones uni ſunt inſertæ volumini*. Nam ibi innuuntur argumenta totius libri XLI ejusque rubricæ omnes, non ipſa ſtructura legum. *Hæc igitur omnia*. Quare non & hic *jugiter* ſcripſit librarius fideliſſimus? Ac ſi geminatio particulæ ſuperlativi Gronovio tantopere placuit, ſcribam,

bam, *& tam tam ſubtiliſſimo, quam quam celerrimo.* Enim vero pater Gronovius in Manilio haud ferebat, *quam maximus eſſet Deus.* Male, inquit; ſcribe, *qua maximus eſſet*, in cœlo nimirum. Sed neque in Propertio, *quam maxima Roma eſt* Libro III Obſerv. c. XIX. Poſt
conſummationem epiſtolæ I exſtare in membrana noſtra, *lege feliciter*, facile credam. Sed Cæſarem hic loqui, ac voluiſſe, ut memores Cap. II.
eſſent omnes hujus epiſtolæ, utilis quippe & jucundæ ſapientibus, difficulter. Alia eſt ratio procemii: *Summa itaque ope & alacri ſtudio accipite.* Scriptor ævi Juſtinianei Caſſiodorus, *explicit liber XII Variarum.* Similiter, *explicit liber de anima, explicit præfatio.* Hieronymus etiam diu ante Cæſarem noſtrum, ad Marcellam: *ut ſolemus nos completis opuſculis ad diſtinctionem rei ſequentis interponere, explicit, aut feliciter, aut aliquid iſtiusmodi, ita & Hebræi ſela aut ſchalom aut amen.* Sed in ſanctionibus pragmaticis noſtrorum Impp. & Principum diſpar ratio. Neque intravit appendix illa ſubſcriptionem ipſam, ceu factum ſeculis poſterioribus, & vel ibi ſub alio ſchemate. Ita Privilegium Paderbornenſe DCCC XXII finit, *actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter amen.* Allocutio eſt ad Deum. Simile quid reperiſſe ſe arbitrabatur Dufresnius in medio textu L. 6 §. 4 C. Theod. de Collat donat. *ex quartadecima feliciter futura indictione.* Cui nemo adſtipulabitur.

In principio Epiſt II limpida omnia, etiam citra interrogatio- 12.
nem novam. Sic autem diſtinguo: *Et omnia quidem, quæ mandare, & poſt* (pro poſtea) *omnium conſummationem factam libenter admittentes, definire, jam explicita.* Superſtitioſum autem propè eſt,
ex ſola voculâ *quius* exclamationem procudere, quantæ! qualis! 13.
Dixerat autem Gronovius, *non ſumus nimium ſuperſtitioſi.* c. 9. Recteque etiam agnovit lapſum calami in repetitione illa, *dubio procul eſt neceſſe eſſe.* Nulla eſt porro cauſa ambigendi, Juſtinianum generaliter agere de omnibus ſcientiis, *in omnibus ſtudiis.* Neque tamen ideo properandum ad *cujus cujus.* Sed ſicut *qui* pro *cui* ſcribebant olim, ita qujus pro *ejus.* Nec damno, *totius* ſcientiæ. Sicut Epiſt. III
& totius eruditionis. Eſto jam in verbis, *& ipſis non continuam*, ab ali- 14.
ena manu *non* adjectum, (*ipſis titulis non continuam*, Pariſienſis) nil perit membranæ. Pridem enim Ant. Auguſtinus conjiciebat, eam ad alicujus antiquioris exemplaris fidem fuiſſe emendatam. Atque uti-

nam omnes tunc nævi ſimul eſſent aboliti. Factum id ajo hic, *& ad Papiniani Reſponſa aperiebatur.* Nemo non videbat facta collatione illa, deeſſe aliquid ad intellectum verborum. Si ergo extabat in membrana adhuc antiquiori & meliori, *via eis*, non potuit non ſuppleri. Si *via* tantum, *eis* poterat omitti. Subinde enim in prioribus jam fuit repetitum. Pariſienſis certe, *iter eis*. Et hanc rationem multo credam eſſe certiorem altera illa Gronovii conjectura de geminatione vel dilatatione inſtituenda. Nam ex unica litera *a* non concludam ad totum verbum *via*. Et cur non etiam *janua* tibi in mentem venerat? Fortior enim ſic fiet dilatatio, ac eodem ſenſu. Equidem via crebrius recurrit. Sed *tramites* etiam, per quos ambulandum eſt, & *meta*, pro via. Quorum utramque viam, non concoxit Barthius noſtras, *Adverſar.* Lib. II c. XVII ſcripſitque *quarum.* Nil antecedit autem de duabus viis, ſed duobus armorum generibus Imperatoris. At in collatione porro eadem haud obſervatum fuit, Epiſt. III *nullam ſui præbuit propriam*, perperam dici. Ergo nec firmum ibi per omnia præſidium collocabimus. Et quando Gronovius autorem correctionis, *præbuit copiam*, nondum detexit alium, Taurello ejusve ſociis hactenus eam tribuo. *Nam quæ*, inquit, *defectu certo ſupplendo addita rebamur, ea per ſtellulas non curavimus demonſtrare.* Ac ſi ante Taurellum addi vel emendari nonnulla, quæ in oculos incidebant, potuerunt, ſaltem Taurello eadem ſuo jure tuendi libertatem, natura rei ſic urgente, non invidebimus. Nam & in negligentiæ ſtupidioris is incidiſſet crimen vel in quaſi delictum, ſi ſecure mera nobis tranſcripſiſſet ſphalmata. Gronovio non alia emendandi occaſio porrecta, quam recordatio *viæ*, cum qua junxit *prope*, factum ex *propriam*, quaſi via ubique obambulaſſet oculis Imperatoris. Sed illam obſtruunt Græca; erant enim illa juris theoremata *μυρίασιν χεδὸν ἀναριθμητοῖς ἐγκαταρωρυγμένα τε καὶ ἀποκείμενα*, defoſſa & abſcondita, *καὶ ὐδενὶ χεδὸν τῶν πάντων γνώριμα.* Hic bis occurrit adeo *χεδὸν*, ſed neutrum credo deprehendiſſe Gronovium, ſolius ſyllabas membranæ ſuæ nimium aucupanti. Nam neque illud attulit, patri diſplicuiſſe apud Curtium, *euntibus aperit ſe læva Arabia.* L. II Obſ. c. XII Virgilium autem poterat quodammodo laudare, *ſunt alii, quos ipſe viam ſibi repperit uſus*, Georg. II. Et Æneid. X, *aut, aperit ſi nulla viam vis, Occumbes pariter.*

Oritur

Digitized by Google

Oritur quæſtio grammatica, ad quod ex antecedentibus vocabulum referatur *cujus*? Ibi: *cujus auditores non volumus appellari.* Dico, *primi anni*: cujus proxima ſit mentio. Sed quia præterea ſupraſcriptum illud eſt aliena manu, expellitur, donec conſtaret, unde provenerit. Provocabo itaque ad eandem illam collationem cum MSC. adhuc antiquiori & meliori. Extat etiam *cujus* in Pariſienſi 1513, quam Blaubomiana 1523 demum ſecuta eſt, deinde iterum duæ Pariſienſes, 1527 & 1528, ac tandem duæ Haloandrinæ, 1529 & 1531. Haloandrum autem perilluſtris D. Julius Pflugk ſuo ſumptu in Italiam duxerat, ceu auctor primarius ſtudiorum ipſius, ac poſt reditum ex Italia prodiit opus Digeſtorum, tum vero 1531 inſcripſit ei Novellarum Græcarum Editionem. Et poſt Hervagianam 1541 ſecuta tertia Haloandrina 1542, rurſusq; duæ aliæ Pariſienſes, 1548 & 1552. Satis quoque neceſſaria eſt illa particula *cujus*, ſi quis perpetuum Juſtiniani ornatum ac cultum dictionis intueatur. In Epiſtola III ſimiliter tuto retinebimus, *quia omne quod hic poſitum eſt*; a quacunque demum ſit manu ſuprapoſitum. Nam & quæ Gronovius ex ſuo ingenio ſubinde mutat, ab aliena profecta ſunt manu, neque antiquiore, ſed valde ea recenti. Aut merebatur oſtendi, Cæſarem etiam in Epiſtolis his ſæpius loqui Laconice. Accedit conſenſus textus Græci, καὶ γὰρ ἀπαγορεύομεν. Major ſpecies religioſitatis offert ſe in iis, *ne a venditionibus*, *quarum* quaſi *miniſtræ ſunt*, *vicinitate ulterius devagentur.* Ipſum jus aliter docere credebat Gronovius. Omnino enim eſſe illas actiones veras miniſtras venditionum, non quaſi miniſtras. Et quia *quaſi* illud iterum ab aliena videbat eſſe manu, tollit, ejicit. Itaq; quicquid non ſcripſit fideliſſimus iſte calamus, ſtatim eſt ἀνομία. Atqui in tertia Epiſtola de re eadem dicitur, *prædictæ actiones quaſi pediſſequæ venditionum.* Reſpondet Gronovius, Cæſarem ibi dictione uſum figurata. Etiam miniſterium hic ſenſu tranſlato adhibetur. Patri, miniſterium de vaſis argenteis, & miniſtrare κατ᾽ ἐξοχὴν prægustare ac temperare potum. Miniſter, qui & miniſter vini. Lib. II obſ. XXIV. Lampridius, argentum in miniſterio habuit. Paulus 3 Sent. 7. Ulpianus L. 19 §. 12 de aur. & arg. leg. Vaſa miniſterii. Tacitus autem Annal. XIV, 59, *Spadonem Nero quaſi miniſtrum regium præpoſuerat.* Iterum pater Gronovius c. XX. Salmaſius Jur. Att. c. XXIII. Cicero Somnio Scip. *animi*, *qui volupta-*

Cap. 15.

16.

Digitized by Google

tum ſe quaſi miniſtros præbuerunt. Alibi tamen idem, *artes hæ miniſtræ ſunt voluptatum*. Nam & ad Herenn. *divitiæ virtutis pediſſequæ*. Græce in noſtra Epiſt. III ἅπερ ἄμφω παρακολουθήματα, ſubſequuntur enim τὰς πράσεις *velut* appendices. Ipſe noſter, *ſunt hæ actiones de coborte, ut ita loquar, emtionum*. Ecce figuram. Pariſienſis autem pro, *vicinitate ulterius devagentur*, *in civitate* ulterius devagentur. Ceterum in obligationibus, quæ quaſi ex contractu & quaſi ex delicto oriuntur, non eſt talis figura vel ſimulatio vel mera imago. Vere naſcuntur, & veræ etiam ſunt obligationes, non videntur. Nam perinde obligatur is, qui accipit non debitum, ac ſi mutuum ei daretur, & utique peccaſſe aliquid intelligitur, qui per qualitatem mali moris male judicat. Si pro Beryticum legamus

Cap. 17. Berytieum, Βηρυτιέων, palam fit, Græcum illum librarium ne Græca quidem perpetim cum cura exſcripſiſſe idiomate Latino, neque ſecundum monita Noſtri, c. 8. Primi forte Editores *Beritenſium*, & ita Pariſ. 1531. Neque etiam Βηρυτιεὺς in Epiſtola III. Græca, ſed Βηρύτιος. Similiter Porphyrius, Suidas, & Marmora Arundeliana. Varietatis ſolius vero adeo fuiſſe cupidum, nondum obſervavimus in hisce Juſtinianum. Contra Diocletianus & Maximianus in L. I C. qui ætat. vel prof. *in civitate Berytiorum*. Et Taurus Berytius Gellio. Varro excuſabat diverſam terminationem eo, quod omnia illa vocabula ſint Tuſca. Et Berytieum nunc itidem Tuſcum eſt. Plutarchus autem in Romulo, Ραμνήνσης, Ταπιήνσης, Λουκερνήνσης. Pro-

18. prium Juſtiniani non arbitramur, negligere ſæpius particulas præpoſitionum. Sic, *quæ a Theodoſio & a noſtra etiam*, de nov. Cod. fac. & de Juſtin. Cod. confirm. *Et a nobis poſtea*, Cordi. *Et a nobis purgatum*, Epiſt. I, *a præfato Viro. a veteribus effuſa. a nobis memoratum. & a nobis electi ſunt. quod & a majoribus*, Epiſt. III. His freto non erit ſpurium, *a ſacratisſimis*, Epiſt. I, *quæ a majoribus*, Epiſt II Aliquando etiam abundat, *a nobis excogitatus eſt. a nobis antiquitati*, Epiſt. III, quemcunq; id habeat autorem. In Epiſt. I nil muto: *Volumus ea omnia, quum repoſita ſunt - in poſitione inveniantur*. Utrobiq; Cæſari aperte ſermo eſt de ſua compoſitione juris. Ubi tamen non diſſimules acerbam Jac. Gothofredi cenſuram, Prolegom. C Theod. c. IV, & aliorum. Durius autem foret, omiſſa præpoſitione ſcribere una voce, *impoſitione*. Apud Petronium eſt trajectio, *poſui in eodi-*

codicillis; quæ hic ceſſat. Apud eundem nunc omittitur *in*, *tam magno periculo vidi.* &, *balneo præterito*, nunc etiam additur, *in umbra voluptatis*. Tacitus utrumque, *Othoni compoſitis rebus nulla ſpes, omne in turbido conſilium.* Epiſt. II *pro nihilo eum habebit - ſed pro non ſcripto haberi*, non primus Haloander edidit. Sic enim ipſa Pariſienſis noſtra. Ant. Contius autem in Epiſt. III pridem παντελῶς *prorſus* tranſtulit, eumque ſecutus eſt Lud. Charondas. Gronovius tamen velut de ſuo & cum hæſitatione. Quumque in ejusdem Epiſtolæ Latino textu nihil horum reperiam, dubium ſit, an prorſus fuerit in Epiſtola ſecunda. Neque etiam per voces ſingulas Græcæ Epiſtolæ tertiæ reſpondet Latina ſecunda ceu anterior. Et in hac ipſa parte, Latina tertia ne ipſa quidem conformis eſt Græcæ tertiæ per omnia. Deſunt enim ibi in Latina, τοῦ παρ᾽ αὐτοῦ συντεθέντος ἀφαρπαζομένου, *quod ab eo compoſitum eſt, eripietur ei.* Certe quod Cap. 19. apud Gronovium ſequitur de civitate Alexandrina & Cæſarienſi ex Epiſt. II, non habetur omnino in Epiſt. III, ſive Græca ſive Latina. Ibi autem Pariſ. noſtra, audivimus, *&* *in.* Haloander, *jam in.* Taurellus, *etiam in.* Librarius Mediceus, *quot jam*, i. e. plurimos jam imperitos homines doctrinam diſcipulis adulterinam *tradere!* Invita haud dubie Minerva. Nemo enim ita loquitur, quare nec dignum Taurello, ut exprimeret, exiſtimatum eſt. Propertii locum ſi urgeas, dicendum erat, audivimus, *neſcio quot* jam in illis civitatibus jura tradere. Nam frequens illud Propertio, Tibullo, Juvenali, non & Cæſari. Apud Plinium II, 68 nulla latet ſimilis exclamatio augens, *quam tandem portionem defunctus obtineat*, i. e. quantillam. Et lib. 3, 5 *quotam partem*, eſt certam partem. Potuit tamen in Mediceo ſcribi, audivimus, *tot jam in.* Sat prata.

AURELII CORNELII CELSI DE MEDICINA libri octo, cum Præfatione GEORGII WOLFGANGI WEDELII, & indice locupletiſſimo.

Jenæ, apud Jo. Fel. Bielkium, 1713, 8.
Alph. 2.

QUod alii ante ſequuti ſunt inſtitutum, ut antiquiſſimum & latiniſſimum ſcriptorem Medicum propria pulcritudine amabilem,

lem, abſque externo cultu proderent, idem in præſenti editione ſervatum eſt. Et certe ideo magis devincti eſſe videntur tyrones artis, quod illa in veterum libros prolixa, vel ad oſtentationem multæ lectionis, vel ingenii acuminis, facta commenta, & noſtro potiſſimum ſeculo uſitata, ſtudioſos magis a lectione deterreant, quam alliciant. Celſus, ſiquis alius, ea non ſolum orationis Latinæ puritate & elegantia ſe commendat, ſed & rerum perſpicuitate, ut vel artis elementis tincti eum facile intelligant, atque adeo propriis radiis coruſcans aliena face non indigeat. In addita Præfatione meritis in artem ſuam illuſtris Wedelius ob duo commendat artis amantibus lectionem ejus ſedulam, ob artis ſummam peritiam, & inſignem oris facundiam. Et hoc quidem adeo verum eſt, ut nemo adhuc, vel veterum, vel recentiorum Medicorum cum eo comparari valuerit, quod magis eo inculcandum artis tyronibus, quoniam ſui doctores, plerumque ab eo diſcedunt longius, & non pauci artis magiſtri in ea verſari videntur opinione, puritatem linguæ & nativam elegantiam artem ſuam non admittere, cui veritatem contrariari, ex Celſo addidiciſſe poterant. Habere etiam criticos, monetur, quæ in Celſo ex eorum uſu ſint, vocabulorum in eo occurrentium raritatem ſingularesq; ſignificationes; & ut ſibi a nimia mutandi in veteribus licentia temperare diſcant, ne ſtatim manus illis inferant, quæ inſolentia quidem, ſed bona tamen ſunt, qualia non pauca in Celſo reperire licet, unde & negligentiæ accuſantur illi, qui lexica vulgo compilant, quod in Medicorum ſcriptis pervolvendis nimis incurioſi ſint. Exemplum temere turbatæ a criticis lectionis adducitur ex præfatione ad librum I p. 3 hujus editionis, ubi antiquos ſapientiæ antiſtites Medicæ artis inventores conſtituuntur, quoniam illi ipſi *corporum ſuorum robora inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant*: ubi loco poſtremi verbi in alia (ut putat Wedelius, Rob. Conſtantini) editione legerat, *minervant*, quod jure retineri poſſe autumat, cum propter vocis concinnitatem, tum propter analogiam, quam cum paribus habeat: quam conjecturam ſuo autori, manuſcriptorum librorum autoritate deſtituto, relinquimus, id ſaltem monentes, analogiam iſtam difficultate non carere, quia verba a Deorum attributis petita, aliquid eo-

rum

Digitized by Google

rum indolis conferre ſignificentur, ut ab Salutis numine ſit ſalutare, id eſt, Salutis opem precari, a Fortuna fortunare, id eſt, Fortunæ bona largiri, & ſic minervare ex eadem analogiæ regula debebat idem dicere, ac ſi Minerva ſua dona, ſapientiam puta, conferat, non vero corporis vires infringat; & quid ad corpus, non vero mentem refertur docta Pallas? Sed ad Celſum redimus, & ejus potiſſimum uſum, quem lectoribus præſtat medicis; hic ſunt equidem, qui parum gratiæ ex artis uſu illi concedant, ſed omne laudis, quod mereatur, ex ingenio & facundia petendum eſſe tradant, morbos autem, quod ipſe ſuis verbis fatetur, non eloquentia, ſed remediis curari; hinc etiam Scribonio Largo ipſum inferiorem judicant. Sed tuetur ipſius cauſam ſtrenue Wedelius, quod quidem ex aliorum & præcipue ex diſerti & expertiſſimi Coi forulis multa petierit, ipſe tamen experimentis factis doctrinam confirmaverit, unde paſſim in præſcribendis remediis unum præfert, vel aliquid conducere abſolute prædicat, quod ſine experientia facere non poterit. Imo ipſe Celſus diſerte in præf. Lib. I teſtatur, ad curandi rationem nihil plus conferre, quam experentiam. At vero ſi etiam nihil egiſſet Celſus, niſi, quod de ſe ipſo iterum profitetur, quod iſta quæ per multa volumina perque magnæ contentionis diſputationes a Medicis ſæpe ttactata ſint, ſine ambitione, quæ proxima vero videri poſſunt, media inter diverſas ſententia adſtruxerit, & in eum, quem exhibet, ordinem digeſſerit, ſatis ipſi debere artem profeſſos, certum eſt, & merito Experientiſſimus Wedelius concludit, librum ejus quaſi artis medicæ plenarium compendium haberi poſſe ſui temporis, ſummam ſapientiam ſpirans & experientiam. Quis igitur de fructu dubitabit, quem ſtudioſi artis ex lectione ſui Celſi capiant. In noſtra, quam hic proponimus, editione merito laudes commodam formam, typi chartæque nitorem, accuratam emendatæ editionis Cl. Almeloveenii (qui olim luculentum commentarium promiſerat) deſcriptionem, cujus etiam diligentiæ debentur loca allegata in fine paginarum, ex quibus vel ſua hauſiſſe putatur Celſus, vel ubi ab aliis idem argumentum pertractatum eſt, & tandem copioſum rerum & verborum indicem.

Digitized by Google

Der Mathematiſchen Wiſſenſchafften Beſchaffenheit und Nutzen.

h. e.

MATHEMATUM INDOLES AC USUS IN Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Philoſophia, itineribus & vita communi, una cum diſcusſione objectionum contra ſtudium Mathematicum; Autore JULIO BERNHARDO DE ROHR.

Halæ Saxonum, ſumtibus Rengerianis, 1713, 8.

Plag. $9\frac{1}{2}$.

POſtquam Gener. Autor tum Matheſeos in genere, tum Arithmeticæ, Geometriæ, Analyſeos tam finitorum, quam infinitorum, Architecturæ Civilis, Pyrotechniæ, Artis muniendi, Mechanicæ, Hydroſtaticæ, Aerometriæ, Hydraulicæ, Opticæ, Catoptricæ, Dioptricæ, Aſtronomiæ, Chronologiæ, Geographiæ, Gnomonicæ ideam in ſpecie exhibuit; multus in eo eſt, ut divinæ hujus ſcientiæ uſum in acuendo intellectu & emendanda voluntate oſtendat. Monſtrat igitur, cum laude in Matheſi verſantes acquirere habitum notiones diſtinctas a confuſis, adæquatas ab inadæquatis, veras a deceptricibus facile diſtinguendi, nil niſi ſatis probatum admittendi, limatum de ſuis aliorumque inventis judicium ferendi, monſtra imaginationis a fœtibus intellectus optime diſcernendi, eosdem a præjudiciis ſenſuum revocare, præcipitantiam in judicando vitare, difficultates ex longa meditandorum ſerie ortas improbo labore ſuperare. Laudat eam in rem Philoſophos, qui profundius aliis veritatem rimati ſunt, *Leibnitium, Bernoulli, Tſchirnhuſium, Newton, Wolfium, Hevelium, Keplerum, Wallſium, Labirium* aliosq; & iis ingentem ceterorum catervam opponit, qui methodo vulgati, hoc eſt, minus accurata philoſophantur. Ad emendationem voluntatis refert, quod veri Mathematici non vana & puerili turgeant ambitione ad inſtar illorum, qui errore ſuo felices ſibimet ipſis adulantur; quod non indignentur aliis, ipſorum reperta, quæ comprehendere nequeunt, vel vilipendentibus, vel prorſus contemnentibus; quod voluptates ſenſuum parvi faciant; quod veritatis fiant amantes & moderati. Hactenus dicta teſtimoniis *Lockii, Tſhirnhuſii* atque *Wolfii*

con-

confirmat. Quænam ab hac intellectus cultura in Theologos, ICtos, Medicos & Philoſophos redundatura ſit utilitas, ut oſtenderet, graphice delineat faciem Theologiæ exegeticæ, theticæ, homileticæ, polemicæ, moralis, Jurisprudentiæ tam civilis, quam naturalis, conſultationum politicarum, reſponſorum juris, tum Medicinæ univerſæ, tum in ſpecie Chymiæ, Phyſiologiæ, Pathologiæ & Praxeos Medicæ, Logicæ deniq; Phyſicæ, Oeconomicæ, Philoſophiæ moralis, quam olim ſint habituræ, ubi Matheſeos ſtudium Theologico, Juridico, Medico, Philoſophico cum cura præmittetur. E. gr. In omnibus diſciplinis ipſo judice notiones magis diſtinctæ comparebunt, rationes ad theſes confirmandum adductæ magis convincent & anteriora cum poſterioribus nexu pulchriori cohærebunt. Commendat igitur Theologis, quæ illuſtris *Leibnitius* in Theodiceæ profundo opere ad fidem rationi conciliandam attulit, & *Wolfius* in Tractatu de Intellectu de Interpretatione Scripturæ ſacræ docuit. Commendat ICtis quandam ejusdem *Leibnitii* epiſtolam in Diario quodam Germanico, quod hic Lipſiæ ſub titulo Bücher-Saal publicatur, editam, in qua nævos *Puffendorfiani* operis de Jure Naturæ oſtendit & methodum talia accuratius tractandi inſinuat: itemque *Nicolai Bernoulli* ſpecimina Artis conjectandi in jure, quæ leguntur in his Actis Supplementor. Tom. IV Sect. IV p. 159 & ſeqq. Commendat Medicis *Wolfii* leges experientiarum in his Actis A. 1708 p. 163 ſtrictim propoſitas & in Tractatu de intellectu nuper uberius explicatas, una cum Medicorum celebrium ſcriptis, qui Mathemata ad argumenta medica dextre applicarunt, *Freindii*, *Gulielmini*, *Scaramuzzi*, *Baglivi*, *Borelli*, *Pachioni*, *Stræmii* aliorumque. Oſtendit etiam, quænam diſciplinæ Mathematicæ in ſpecie ſui uſum præbeant in aliis diſciplinis. E. gr. Theologo neceſſariam eſſe probat Geometriam, immo analyſin, ſi demonſtrare voluerit, Deum omnia condidiſſe valde bona. Quam utilis eidem ſit Aſtronomiæ cognitio ad falſas Scripturæ interpretationes præcavendas, ex *Wolfii* elementis Aſtronomiæ Tom. III p. 343 optime conſtare ait. Chronologiam cum Aſtronomia, cujus ſoboles exiſtit, lucem præferre Theologo in hiſtoria eccleſiaſtica, affirmat. Varios enumerat caſus, in quibus juris cultoribus prodeſt Geometria practica cum arte libellandi, Architectura civilis, Mechanica. Medicis Geome-

Digitized by Google

triæ, Analyſeos,Hydraulicæ, Hydroſtaticæ, Aerometriæ, Mechanicæ, Aſtronomiæ uſus ſpeciales inculcat. Philoſophos denique monet, quicquid boni in Logica *Ariſtotelica* reperitur, quicquid *Carteſius* & *Malebranchius* de methodo tradiderunt, ea Matheſeos cognitioni accepta ferri debere. Immo ipſum *Tſchirnhuſium* in Medicina Mentis non alias inveniendi regulas propoſuiſſe, niſi quæ ſuper *Barrowii* Lectionibus Geometricis (hunc enim potiſſimum ducem ſub initium ſtudiorum altiorum in Geometria ſecutus erat *Tſchirnhuſius*) & Algebræ regula reflectenti occurrunt. Dolet vero, quod hactenus ad moralia tradenda animum non appulerit, qui ad interiora Matheſeos penetravit. Inſtituti noſtri ratio non fert, ut cum Autore noſtro ulterius repræſentemus Geometriæ, Architecturæ civilis & militaris, Hydraulicæ, Aerometriæ, Opticæ, Aſtronomiæ uſum, quem hæ diſciplinæ præbent ampliſſimum, finitis ſtudiis Academicis, ad exteras oras excurrentibus. Silentio quoque involvimus uſum, qui ex Geometria & Arithmetica in artifices, in venatores, hortulanos, œconomos rurales redundat, id unice adhuc monuiſſe contenti, optare Noſtrum, ut ſumma Principum autoritate ſanciatur, ne ad certa officiorum genera admittantur niſi teſtimonio Profeſſoris Matheſeos inſtructi, quod ſufficiente illius cognitione ſint imbuti, & ut Scholæ mechanicæ in gratiam artificum inſtituantur, in quibus neceſſaria ad artis perfectionem principia Mathematica doceantur. Pedem igitur promovemus ad objectiones, quas vulgo contra ſtudium Matheſeos afferre ſolent oſores artem ignorantes, viſuri, qua dexteritate nodos oblatos Noſter ſolvat. Quando itaque urgetur, Matheſin nimios requirere ſumtus; id reſpectu docentium concedit, quibus multorum inſtrumentorum, idearum materialium & librorum pretioſiorum apparatus neceſſarius, præſertim ſi experimenta Matheſi jungant; ſed reſpectu diſcentium negat, cum ipſis pauca inſtrumenta eaque levi pretio comparanda & ſola Matheſeos elementa *Wolfii* ſufficiant, nec majus pretium Matheſeos doctoribus, quam aliarum diſciplinarum Profeſſoribus ſolvatur. Qui ſpeculationes inanes in Matheſi doceri conqueruntur, illis uſum monſtrat ampliſſimum ac indiſpenſabilem in antecedentibus expoſitum & temeritatem exprobrat de rebus nondum perceptis judicandi. Qui Matheſin

ſin contemnunt, propterea quod non ſit de pane lucrando, illos docet, artium liberalium primarium finem non quidem eſſe lucrum, ſed intellectus perfectionem; interea tamen non minus Matheſin eſſe de pane lucrando, quam diſciplinas alias, quæ in Academiis docentur & diſcuntur. Male quoque a particulari ad univerſale argumentari obſervat garrientes, quod Matheſis ad vitam civilem ineptos reddat ſui cultores, & contrarium exemplis *Bullialdi*, *Fermatii*, *Johannis de Witt*, *Halleji* & illuſtriſſimi Comitis ab *Herberſtein* abunde oſtendit. Sunt, quos a Matheſi arcet puerile nonnullorum dicibulum, Matheſin totum poſtulare hominem. His regerit, omne ſtudiorum genus ita eſſe comparatum, ut in uno ſolo omne tempus conſumi poſſit. Quodſi vero Matheſin quis addiſcere velit, quatenus ad alia ſtudia felicius abſolvenda neceſſaria; illi tres per diem horas ſufficere arbitratur. Exemplo autem Viri in omni eruditionis genere ſummi *Leibnitii* docet, utique fieri poſſe, ut, qui præſtans in Matheſi habeatur, in aliis etiam ſcientiis excellat. Mores minime decoros ſive in ſermone, ſive in amictu, ſive in geſtu, ſive alios quoscunque uni alteriq; Mathematico exprobrantibus paria Theologorum, ICtorum, Medicorum, mercatorum, œconomorum, artificum exempla in memoriam revocat, quo ſibi perſuadeant, decori neglectum non Matheſeos ſtudio, ſed perverſæ conſuetudini tribuendum: id quod & exemplis contrariis confirmat. Qui divino ingenio ad Matheſin addiſcendam opus eſſe affirmant, illis quidem ultro largitur, non omnes utique eosdem facere in ſtudio Mathematico progreſſus (id quod nec in alio ſtudiorum genere quocunq; conceditur) negat tamen a Matheſi arcendos, quorum ingenium ad alias diſciplinas aptum deprehenditur. Etſi etiam concedat, ad ſtudium Mathematicum majore opus eſſe attentione, quam ad diſciplinas alias addiſcendas, quamdiu ſuperficiarie tractantur; difficultatem tamen & obſcuritatem Matheſi obvertentibus monſtrat, utramque vel apparentem eſſe, vel facile ſuperabilem. Quemadmodum vero Logicæ, Metaphyſicæ ac Phyſicæ ſtudium minime negligitur, quia eo ſolo fretus nonniſi ad Profeſſoris munus adſpirare poteſt; ita nec Matheſin negligi poſſe, quod rariora ſint in Republica officia, quibus obeundis ſola ſufficit. Merito autem illis indignatur, qui Matheſeos ſtudium periculoſum pronunciant,

quaſi fores Atheiſmo pandat, & eorum temeritatem ridet, qui Mathematicis nimiam in ſcientiis *ἀκρίβειαν* objiciunt, quaſi vero non omnem lapidem moveri conveniat, ut plana certaque ad veritatem via ubivis ſternatur. Matheſi diſcendæ nimium temporis eſſe impendendum ſi qui conqueruntur, eos experientia refellit. Sibi enim non ignotos eſſe fatetur, qui duce *Wolſio*, Mathematum Profeſſore Halenſi, intra unius anni ſpatium in Matheſi, cujus ante prorſus erant rudes, eo usq; progreſſi, ut non modo ſcripta Mathematicorum intelligere, ſed & computum analyticum & aſtronomicum abſolvere noverint. Hujus etiam elementa Matheſeos ſua & aliorum experientia fretus Matheſeos tyronibus valde commendat. Non tamen diffitetur, culpa ſæpius docentium intra anni ambitum in Matheſi parum proficere tyrones, ſi nempe illi proprio magis lucro, quam diſcentium commodo intenti, ut juventuti deſidi placeant, ultra terminorum artis explicationem vix ac ne vix quidem progrediantur & diſcurſus phyſicos atq; vulgares de objectis mathematicis pro Matheſi ignaris divendant.

Sequitur tandem appendix, in qua Nob. Autor enormes *Georgii Andreæ Rohrbergii* in quadrando circulo lapſus demonſtrat. Edidit ſcilicet *Rohrbergius* ſub initium hujus anni Dresdæ Schediaſma de circuli Quadratura, in quo contendit, circulum eſſe æqualem quadrato lateris trigoni regularis eidem inſcripti, conſequenter quadratum diametri eſſe ad aream circuli ut 4 ad 3; peripheriam vero eſſe æqualem perimetro quadrati lateris trigoni, adeoq; ipſius lateris quadruplam. Demonſtrat Noſter, juxta hanc rationem circulum fieri juſto minorem. Conſtat enim, quadrato diametri exiſtente 1000, aream circuli fore majorem 785; juxta *Rohrbergium* vero eadem foret nonniſi 750. Fallit ergo ratio, quam aſſignat. Similiter cum quadratum diametri ſit ad aream circuli ut diameter ad quartam peripheriæ partem; ſi diameter ſit 4, admiſſa ejus ad peripheriam ratione *Rohrbergiana*, peripheria erit 12, adeoque diameter ad peripheriam ut 4 ad 12, hoc eſt, ut 1 ad 3, quod abſurdum. Recte etiam monet, peripheriam circuli non eſſe æqualem perimetro quadrati eidem æqualis, quoniam a *Pappo* jam demonſtratum, circulum eſſe omnibus figuris rectilineis regularibus ſibi iſoperimetris majorem. Addit, *Rohrbergium* ſibimet ipſi contradicere. Sit enim diameter *a*, peripheria *ma*; erit juxta *Rohrbergium* $ma = 4\sqrt{\tfrac{1}{4}maa}$

& inde

Digitized by Google

& inde elicietur $ma = 4$: ſed ſuperius erat $m = 3$. Similiter ſi diameter ſit 1 latus trigoni inſcripti eſt $\sqrt{3}$, foret ergo peripheria $4\sqrt{3}$ & area circuli $2\sqrt{3}$, conſequenter quadratum diametri ad aream circuli ut 1 ad $\sqrt{12}$, hoc eſt, fere ut 1 ad $3.\frac{48}{100}$. Superius vero rationem aſſignavit ut 4 ad 3. Obiter hac occaſione monet, falſam quoq; eſſe quadraturam circuli, quam anno ſuperiori in Anglia dedit *Robertus Green*, quadratum diametri ad aream circuli pronuncians ut 4 ad 5. Quadrato enim diametri exiſtente 1000, per methodos approximationum conſtat, aream circuli eſſe minorem 786: ſed juxta *Greenium* foret 800.

FLORA QUASI MODO GENITA, SIVE ENUMERATIO aliquot plantarum indigenarum in Pruſſia, quarum in herbariis hactenus editis Boruſſicis aut nulla, aut ſuperficiaria facta eſt mentio, additis nonnullis iconibus, deſcriptionibus, & obſervationibus, nec non Florilegio ad clima Pruſſiæ accommodato; adornata ſtudio M. GEORGII ANDREÆ HELWING, Paſt. Angerburg. & Reg. Scient. Soc. Brand. Membri, cum præfatione JO. PHILIPPI BREYNII Med. D. &c.

Gedani, typis Jo. Dan. Stollii, 1712, 4.
Plag. 10.

A prima jam ætate Botanices amore ſe captum fuiſſe, Autor doctiſſimus monet, hinc aliorum laudatiſſimo exemplo, qui, etiamſi præcipue ſacrarum literarum ſtudio ſe conſecraſſent, hæc naturæ arcana rimari non deſtiterunt, ſed divinam ex eo ſapientiam delaudandi occaſionem commodiſſimam arripuerunt, in ſui delectationem primo duo plantarum in patria ſua Boruſſia natarum, partim exſiccatarum, partim pictoris penicillo delineatarum, exempla collegit, quorum altero ſibi ſervato, alterum regiæ Montis regii bibliothecæ dono dedit, & cum perſpiceret, reperiri inter ſuas aliquot plantarum ſpecies, quæ in hactenus editis Boruſſicarum indicibus, inprimis Cl. Gottshedi Flora Pruſſica, noviſſime conſcripta, vel plane non comparerent, vel leviter tactæ, & non ſatis accurate deſcriptæ eſſent, in animum induxit ſuum, enumerationem inſti-

Digitized by Google

inſtituere plantarum tam ſponte naſcentium, quam inquilinarum, ſive quarum vulgaris in hortis cultura eſt,& quæ ſolo Pruſſico adſuefactæ ſunt; quod tam feliciter ceſſit, ut numerum ab aliis ante obſervatarum ad ducentas & quinquaginta auxerit, quas alphabeti, quod dicitur, ordine conſpiciendas præbet. Præfationem opuſculo præmiſit Jo. Philippus Breynius, apud Dantiſcanos Medicus, celeberrimi Jacobi Breynii mercatoris botanophili filius, qui Helwingio ſuarum Obſervationum edendarum autor fuit. Duo autem pertractare conſtituit Vir doctus; alterum, ſcriptorum rerum naturalium in Polonia & Boruſſia hiſtoriam texere; alterum, errores Loeſelii & Gottſchedi in nominibus plantarum conſtituendis admiſſos corrigere: ex utroque pauca delibare ab inſtituto alienum non erit, Inter ſcriptores hiſtoriæ naturalis Poloniæ primus locus adſignatur Jodoco Willichio, qui de Salinis Cracovienſibus obſervationem dedit Cracoviæ 1543 cum præfatione Jo. Broſcii, 1645 in 8 Dantiſci recuſam, in cujus fine promiſit *Dialogos ſalinares*, quos vel deperditos eſſe, vel adhuc latere, dolet Breynius. *Guilielmus Hondius*, chalcographus, inde ſaliſfodinas Wielicenſes quatuor tabulis majoribus æri inſculptis anno 1645 exhibuit, poſt quem *Martinus Bernhardus* catalogum plantarum tam exoticarum, quam indigenarum, quæ anno 1651 in hortis regiis Varſaviæ, & circa eandem ſponte naſcuntur, conſignavit, Dantiſci 1652 impreſſum, qui Simonis Pauli viridariis, ſuppreſſo autoris nomine, inſertus eſt. Ad Lithuaniæ hiſtoriæ naturalis illuſtrationem facit *Alberti Tylnowski* Disquiſitio Phyſica oſtenti duorum puerorum, quorum unus cum dente aureo, alter cum capite giganteo Vilnæ in Lithuania ſpectabatur, quæ typis Monaſterii Olivenſis 1674 in 12 prodiit. Præter hæc nihil ſe comperiſſe fatetur doctiſſimus Breynius, de ſcriptoribus rerum naturæ in Polonia, ſed plures ſunt, qui hac in parte illuſtrarunt res Boruſſiæ. Succinum, cujus primam ſibi inventionem vindicant Boruſſi, plurium excitavit ingenioſam operam, & primus quidem de illo literis aliquid mandaſſe creditur *Andreas Aurifaber* in ſuccincta Succini Hiſtoria vernacula lingua primum edita, ut putatur, anno 1551 & iterum anno 1572 in 8, quam contractam & Latinam factam a Laurentio Scholzio 1593 invenimus in conſiliis Cratonis, ubi etiam legitur *Danielis Hermanni*

carmen

carmen de rana & lacerta ſuccino Boruſſico involutis. *Severinus Gœbelius* idem argumentum iterum tractandum ſumſit & duos libros de ſuccino conſcripſit 1558, quos Conradus Geſnerus ſuis de omni rerum foſſilium genere libris collectis addidit, & ipſe Gœbelius denuo librum de ſuccino vernacula compoſuit 1567, quem ejusdem filius 1616, 4 recudi curavit. Ulterius progreſſus eſt, eo magis laudando in ſui ordinis homine inſtituto, non minimi nominis Theologus *Joannes Wigandus*, ultimus Pomeſanienſis Epiſcopus, qui veram hiſtoriam de ſuccino Boruſſico, de Alce Boruſſica, & de herbis in Boruſſia naſcentibus, de ſale conſiderationem methodicam & theologicam, conſcripſit, quam poſt autoris obitum luci expoſuit Jo. Roſinus Jenæ 1590, 8. Longius hinc intervallum habuit naturæ ſtudium in Boruſſia, nam medio demum ſeculi poſt *Nicolaus Oelhavius* elenchum plantarum circa nobile Dantiscum ſua ſponte naſcentium publicavit Dantiſci 1643, 4, cui appendicem attexuit *Chriſtianus Mentzelius* 1650, de novo autem eundem recenſuit & locupletavit *Laurentius Eichſtadius*. Tandem ſecutus *Jo. Læſelius*, qui cum conflictaretur cum adverſa valetudine, filii cognominis opera edidit plantas in Boruſſia ſponte naſcentes Regiomonti 1654, 4. Interruptus hinc iterum fuit aliquandiu Botanices cultus, quamvis omni laude propter inſigne herbariæ rei ſtudium decorandus Jacobus Breynius Pomerelliæ Viridarium edere animo conſtituiſſet, quod tamen morbo præpeditus & morte occupatus perficere non potuit, cujus quidem jacturam ſe compenſaturum liberaliter promittit clariſſimus hujus præfationis Autor, digniſſimus tanto parente filius, qui ne fruſtra harum rerum amantibus ſalivam moverit, impenſe optamus. Succinum illud, ſingulare Boruſſiæ donum, plures jam in ſui admirationem & intimius ſcrutinium pertraxiſſe, monuimus, ſed necdum ſatisfeciſſe arcanæ philoſophiæ parti viſi ſunt *Philippo Jacobo Hartmanno*, unde novam ſuccini Pruſſici phyſicam & civilem hiſtoriam adornavit Francofurti 1677 typis exſcriptam in 8, quam ſuccincta ſuccini Pruſſici hiſtoria & demonſtratio ſequuta eſt Berolini 1699, 4, cui ejusdem filius de ſuccino & ejus uſu in medicina diſſertationem, cum Lugduni Batavorum Doctoris inſignia impetraret, ſubmiſit: ſed præter hæc, Hartmannus pater etiam de Phoca & Gladio diſputationes

anno 1683 & 1693 habuit. Alce animal cum Boruſſiæ inprimis ſuos natales debeat, hic commemorantur quoque *Andreæ Baccii* & *Apollonii Menabeni* de Alce tractatus, cum Remberti Dodonæi epiſtola, & *Jo. Frid. Leopoldi* (cujus mortem præmaturam propter merita in rem medicam & naturalem deplorat Autor, & iter ejus Suecicum adhuc ſperare jubet) diſſertatio de Alce Baſileæ 1700 ventilata. Et non minus huc pertinere videntur duæ diſſertationes M. *Georgii Wendii*, Gymnaſii Thorunienſis Rectoris & Profeſſoris, altera de figuratis quibusdam lapidibus prope Thorunium in Viſtulæ littoribus collectis, altera de paſsione Chriſti mirandis quibusdam figuris in regno mineralium reperta, ibidem anno 1704 defenſæ, quibus additur M. *Chriſtiani Maſecovii* diſſertatio de inſula natante Gerdavienſi Regiomonte 1707 expoſita. Sed iterum revixit Botanices amor in Boruſsis, namque anno 1703 doctiſsimus *Jo. Gottſhed Lœſelium* redivivum fecit, ſive Floram Pruſsicam, in qua multis tabulis æneis catalogum Lœſelianum exornavit & illuſtravit, in quo tamen hoc notat Breynius, quod Lœſelii errores in plantarum nominibus & deſcriptionibus non diligenter ſatis correxerit, ut ante jam obſervavimus, ſed venia dignos eſſe & mitiore cenſura putamus & bonos & peritos in hiſce viros, quoniam ejusmodi pati in proclivi eſt omnibus, qui rectæ Botanicæ ſcientiæ methodo recentius excogitatæ non adſtricti ſunt. Verum illas potiſsimum plantas collegerat Lœſelius, quæ circa Regiomontum & in vicinia naſcerentur, quod præter alia movit Cl. noſtrum Helwingum, ut Floram quaſi modo genitam excerperet, quam ſuo ære, ne diutius in occulto deliteſceret, vel plane exareſceret, redemit Breynius, eandemque ſua cura & impendio evulgandam curavit, pro quo publicæ ipſi gratiæ utique debentur. Dubium hæſerat Helwingio circa tres plantas a Wigando productas, ſed incognitas, quod ſolvere doctiſsimus Breynius conatus eſt, at in ſecunda explicanda ipſe titubat, quam tamen ad mentem & methodum Excellentiſsimi Rivini noſtri, ſummi artis magiſtri, vel Cherefolium foliis liguſtici ſimilibus, ſi ſemen leve, vel myrrhis, ſi ſtriatum eſt, (quod magis radicis validitas poſtulare videtur) licebit dicere. Opuſculo ſubnexum eſt Florilegium Boruſsicum, in quo magna diligentia id curavit

Autor

Digitized by Google

Autor,ut ſtudioſis herbarum novitiis quaſi præluceat, quo loco & ſolo, quove anni tempore, ſingulæ plantarum conquirendæ ſint. Ceterum promiſit & Helwingius *Viridarium Pruſſiæ cum Indice Latino-Polonico-Boruſſico* ut & *Hiſtoriam Lapidum & foſſilium quorundam Boruſſiæ.*

Beſchreibung einiger Berg-Schlöſſer ꝛc.
h. e.
DESCRIPTIO CURIOSA CASTELLORUM quorundam Germaniæ in montibus ſitorum; Autore MELISSANTE.

Francof. & Lipſiæ ap. hæredes Jo. Chriſt. Stœſſelii, 1713, 8.
Alph. 1 plag. 21.

Laudabile eſt patriarum antiquitatum ſtudium, quo res priſci ævi a ſitu vindicare,& aliorum conſpectui exponere ſatagimus, quo etiam ductum ſe oſtendit Autor præſentis libri,qui ſe *Meliſſanten* vocare voluit. Novimus autem eum eſſe M. Jo. Godofredum Gregorii,Toba - Thuringum, qui eadem lingua vernacula hactenus edidit *Chronicon Tenſtadienſe*, *Thuringiam hodiernam* ſeu *jam viventem*, *Hiſtoricum* item *curioſum & eruditum*, in quo varia bonæ notæ legi poſſunt. In hoc autem libro caſtra montana enarrat numero LVII,in Thuringia præcipue & regionibus confinibus ſita, Pag. 1.
quorum nos brevibus recenſum faciemus. Occurrit autem primo
loco *Glicha*, *Gleichen*, unde originem duxit notiſſima Glichenſium 45, 65.
Comitum familia,quæ etiam enarratur. 2. *Wachſeburgum*, 3. *Muhl-* 126.
berga, non procul Arnſtadio & Glicha remotæ. 4. *Lichtenburgum* 132.
ad Albim,quæ hodie Regiæ noſtræ Matris ſedes eſt. 5. *Tarandt*,quæ
Dresdam inter & Fribergam ſita, olim munita fuit, jam vero ru- 137.
dera ſaltem quædam oſtendit. 6. *Schauenburgum* juxta Gotham. 149.
7. *Aſcanoburgum*, quæ olim Aſcanienſium & Anhaltinorum Co- 163.
mitum ſedes fuit. 8. *Walderſee* vel *VVilderſee*. 9. *Anhalt*, in Anhal- 168, 9.
tinis terris. 10. *Aſſeburgum*,prope Mansfeldiam. 11. Aliud *Aſſeburgum* 171.
non procul Guelferbyto. 12. *Reinſteinium*, in Thuringiæ finibus. 13. 174.
Kirchberga, Burggraviorum Kirchbergenſium in hiſtoria celebra- 181.
tiſſimorum ſedes,non procul a Jena. Ejus arcis hodieque ſuperſunt veſtigia, & inter ea turris ſatis conſpicua, quæ accolis audit der Fuchs-Thurm/quia ſtudioſi Jenenſes eo tempore,quo Pennaliſmus

 iii

Digitized by Google

in Germanicis Academiis regnabat, novos ſtudioſos in ordinem
redigebant demtis *vulpinis caudis* h. e. exprobratis juvenilibus mo-
Pag. 192. ribus, ut vitam homine ſtudioſo dignam agere inciperent. In eo-
195, 197. dem monte occurrunt 14. *Windberga*, 15. *Greiffberg*, & ex oppoſi-
to 16. *Gleisberga*, quæ olim rebellibus tutum præbuere domicilium,
201. jam vero ſolo ſunt æquatæ. Notiſſimum eſt 17. *Keſernburgum* apud
Arnſtadium, Comitum hujus nominis ſedes, quorum familia ſatis
210. luculenter enarratur; nec non 18. *Schwarzburgum*, unde Comites
quondam nunc Principes Schwarzburgenſes familiam ducunt. 19.
249. *Weiſſenburgum*, hodie Tſcheipliz, olim ſedes Friderici III Palati-
ni Saxoniæ, a Ludovico Saltatore ob Adelheidam uxorem interem-
255. ti. 20. *Goſſigium*, ſive *Goſeck*, Numburgum inter & Leucopetram
ad Salam ſitum, arx ejusdem Palatini, poſt monaſterium non in-
celebre, cujus Chronicon a Madero editum proſtat, Peiferi poſtea,
258. jam vero Nobilium Pœlniziorum ſedes. 21. *Neuburgum*, ſive arx
Friburgenſis ad Unſtrutum in Thuringia, quæ male a quibusdam
cum Numburgo, celebri ad Salam urbe, confunditur. Ibi vero Fri-
269. derico Barbaroſſæ Imp. Ludovicus ferreus Thuringiæ Landgravius
murum oſtendit, quæ arcem hanc cingat, ex ſubditis & nobilibus
266. obedientiſſimis pariter & fideliſſimis conſtantem. Et prope eam
ager ille adhuc hodie oſtenditur, in quo idem Ludovicus nobiles
ſuarum regionum rebelles aratro junxit, omnemque illum agrum
proſcidit, qua re illos officii ſui memores effecit. Arx iſta hodie Se-
280. reniſſimo Duci Weiſſenfelſenſi eſt in deliciis. 22. *Gibichenſteinium*
ad Salam, prope Halam, in editiſſimo monte ſitum, ex cujus vertice
Ludovicus Thuringiæ Comes, qui exinde *Saltatoris* (des Sprin-
gers) nomen accepit, protervo ſatis auſu in Salam fluvium ſe præci-
pitavit, ibique a duobus piſcatoribus ſuſceptus e tædioſa captivitate
295. evaſit. 23. *Mons S. Petri*, juxta Halam Saxoniæ, in quo olim celebre
fuit monaſterium, multorum ſummorum Principum ſepulchra
continens, quod tamen omnem fere nitorem jam amiſit. 24. *Som-*
303. *merſeburgum*, non procul ab Helmſtadio diſſitum, Palatinorum
quondam ejus nominis ſedes, quæ plane jam eſt diruta. 25. *Scharf-*
304, 319. *fenberga*, juxta Iſenacum. 26. *Frauenſteinium* in Miſnia in Bohemiæ
321. confiniis. 27. *Franckenſteinium* in Hennebergiæ Principatu. 28.
322. *Beichlingen*, unde Beichlingii Comites ortum ducunt, quæ vero
jam

jam a Comite Werthero, de cujus familia prolixus eſt Autor, poſſidetur. 29. *Herlingsberga*, apud Goslariam, de cujus obſidione & direptione Henrici Roslæ carmen exſtat Tomo I Scriptorum Rer. Germ. Meibomii. 30, 31. *Ericiburgum* duplex, alterum in Anhaltino, alterum in Calenbergico Principatu ſitum. 32. *Harzburgum*, prope Goslariam. 33. *Raſſeburgum*. 34. *Saxoburgum*, in Thuringia. 35. *Sorbenburgum* prope Salfeldiam. Hæ omnes jam ſunt dirutæ, antiquitate tamen ſua & rerum in eis geſtarum multitudine & varietate venerabiles. 36. *Blanckenhayn*, Jenæ vicina, quæ cum adiacente oppido Hazfeldenſibus Comitibus paret. 37. *Grimmenſteinium*, arx Gothæ imminens, in Saxonica hiſtoria celebratisſima, quæ poſt turbas illas diruta, ſuperiori ſeculo reædificata eſt, & jam *Fridenſteinii* nomine gaudet. 38. *VVartburgum*, a Ludovico Saltatore conditum, vel eo nomine ſatis notum, quod Divi noſtri Lutheri quondam fuerit Pathmos. 39. *Arx S. Cyriaci*, quæ Erfordiæ eſt. 40. *Leuchtenburgum*, ad Salam, prope Calam Thuringiæ. 41. *Hartenburgum*, juxta Rœmhildam, cujus ex W. E. Tenzelio prolixa deſcriptio addita eſt. 42. *Eresburgum*, in Paderbornenſi diſtrictu. 43. *Camburgum* ad Salam in Thuringia. 44. *Spatenberga*, juxta Sondershuſam. 45. *Jechaburgum*, prope Sondershuſam. 46. *Kiffhuſium* haud procul Nordhuſa, ſub quo Imperatorem quendam Fridericum fabulantur ſedere, nictantibus oculis, & barba per lapideam, cui adſidet, menſam perrumpente. 47. *Rotenburgum* Kiffhuſio vicinum, ubi quondam idolum, cui nomen *Püſtrich*, aſſervatum fuit, de quo varia noſter Autor diſputat. 48. Varia caſtella Heidelbergæ vicina 49. *Orlamunda*. 50. *Lobdaburgum* prope Jenam. 51. *Lichtenſteinium*, in Ducatu Wurtenbergico. 52. *Rheinfelſa* Haſiæ. 53. *Lobræ*, in Hohenſteinenſi Comitatu. 54. *Hohenſteinium*, quæ memorato Comitatui nomen dat, & hodie Stolbergenſibus Comitibus ſubeſt. 55. *Elgersburgum*, prope Ilfeldam. 56. *VVurtemberga*, unde Comitum Wurtenbergenſium familia nomen & originem duxit. 57. *Hohenſtauffen* in Suevia.

Pag. 338. 340, 341. 344. 353, 349. 356. 393. 400. 424. 434. 440. 436. 517 534. 538, 546 548. 555. 567. 584, 597. 609, 611. 614, 622. 626, 627. 633.

Hic quidem nobis fatendum eſt, multa in hoc libro occurrere, quæ Germanicam hiſtoriam admodum illuſtrant, præcipue quod ad multarum familiarum genealogias attinet, verum ea nos brevitati ſtudentes omnia adducere non poſſumus. Sufficit nos Lectori

breviter nominum recenſum dediſſe, ex quorum inſpectione facile apparebit, quid ſub unoquoque illorum posſit requirere.

A SHORT HISTORY OF THE ATTEMPTS, THAT HAVE been made to convert the Popish Natives of Ireland &c.

i. e.

BREVIS NARRATIO CONATUUM PRO IMbuendis Hibernorum Pontificiorum animis religione publica autoritate ſtabilita, una cum conſilio eodem ſpectante; Autore JO. RICHARDSONO, Capellano Sereniſſ. Ducis Ormondi &c.

Londini, 1712, 8.

Plag. 9.

QUæ ante annos CXXL in Hibernia jam eluxit purior doctrina Evangelii, ſubinde quidem tenebris oppreſſa rurſus eſt, ex illis tamen emerſa tantum ſemper in promtu habuit adjumentorum, ut mirandus omnino ſit numerus eorum, qui curiam Romanam venerantur, ſexies major eo, quem Anglicanæ membra Eccleſiæ conficiunt. Et iſtam quidem nihil reliqui feciſſe, felicius ut negotium tanti momenti procederet, neque etiamnum de diligentia ſua remittere, libellus hic docere quodammodo poteſt. Perſtringit enim breviter conatus Anglorum,quibus aberrantes Hibernos in viam reducere anniſi ſunt ab regno inde Eduardi VI, qui primus poſt Henrici Patris proluſiones, in Anglia pariter & Hibernia ſuperſtitiones Pontificias aperte impugnavit, ad noſtra usque tempora. Liturgia Anglicana Dublini autoritate Regis Eduardi edita, ut publice populo prælegeretur, *Georgium Brown*, Archiep. Dublin. primum veritatis vim ſenſiſſe refert, ac dein totum fuiſſe in caligine errorum Pontificiorum diſpellenda, quo in negotio tamen *Georgii Dowdall*, Archiep. Armach. aliorumque adverſa ſtudia, ut obſervat, obicem poſuerunt. Interrupto inde Mariæ temporibus curſu veritatis, ubi ad Eliſabetham ſumma rerum delata eſt, acrius etiam, quam antea, laboratum, ut progreſſus illa majores poſſet facere. Inter alia ſacri Codices Anglico idiomate gratis diſtributi

ſtributi plurimum momenti attulerunt, quod inſtitutum rei promoviſſe vel excitaſſe primum oſtendit Autor D. Heath Archiep. Eborac. duo exempla formæ majoris in Hiberniam mittendo, ut Dublini in ædibus Chriſti & S. Patricii uſui publico exponerentur, ad quas idcirco ingentem multitudinem hominum cœleſtis avidorum doctrinæ affluxiſſe memorat. Sed Hibernis Anglicæ linguæ ignaris parum eo conſulebatur; qui irritati magis magisque autoribus Rege Hiſpaniæ & Pontifice armis ſaluberrima Reginæ conſilia intervertere conabantur A. cIↃIↃLX. Quæ illis poſtquam ex manibus eſſent extorta anno inſequenti, multa hinc A. cIↃIↃ LXIII conſtituta eſt iis, qui domicilia habentes diem Solis in templo publice non celebraſſent. Quo facto multi, eorum cumprimis, quorum attenuatæ res eſſent, veritate agnita ſuperſtitiones reieciſſe viſi ſunt, quas animo tamen retinebant, quod patuit A. cIↃIↃ LXVI jugo Angliæ per ſeditionem excuſſo. Typos igitur Hibernicos fundi Regina ſuis ſumtibus curavit, impreſſique inde lingua Hibernica libri, Catechiſmus *Jo. Karney*, Novum Teſtamentum & Liturgia interprete *Daniele* Archiep. Tuam. Jacobi I tempore vel refrixit vel impeditus aliunde eſt ſaluberimus fervor, miris turbis regnum agitantibus, neque Scholis in Hibernia conſtitutis, quibus obſtaculis novum ſe junxit congregatio de propaganda fide cIↃIↃCXXI Romæ excitata, quacum Hibernis arctiſſimum intercesſit commercium, fatumque præmaturum eorum, quibus res cordi maxime fuerat. Non poſthabuiſſe tamen penitus hanc curam Jacobum, ex conſtitutionibus variis, quas producit Autor, apparet, quemadmodum & indefeſſus eo tempore labor exſtitit D. Bedelli, cujus vitam in Actis noſtris A. cIↃIↃ LXXXVI p. 242 recenſitam videas, a qua non aliena eſſe, quæ Autor noſter de ejus laudibus diſſerit, conferentibus patebit. Synodum etiam Dublini cIↃIↃCLXXXIV convocatam, variis canonibus, quos producit Autor, conqueſtus non ſemper atque ubique poſtea obſervatos eſſe, ſtudium haud mediocre exſtirpandorum penitus errorum in Hibernia prodidiſſe docet. Compoſitis motibus, de quibus diximus, nihil, quod inſequenti tempore actum in cauſa religionis eſſet, reſciſcere potuit, niſi, quod A. cIↃIↃCLXXXVI Catechiſmus Anglico pariter & Hibernico idiomate, cui titulus: *The Chriſtian Doctrine*, Chriſtiana doctrina,

exiit, dum poſt viginti annorum intercapedinem celeberrimus *Boyle* manum operi admoveret. Is typos Hibernicos ſuo ſumtu fundendos curavit & typographum inſtruendum, ut libros neceſſarios maxime in lucem ederet, proſtantq; inde Catechiſmus una cum Grammatica, codex veteris & novi Teſtamenti, cui perpoliendo poſt Kirkium Scotum, qui hodienum Hiberniæ ornamento eſt, Primas, tum Præpos. Colleg. Dublin. operam dedit, Higginſii proſelyti induſtria adjutus. Poſt ultimam Angliæ *καλαςροφὴν* Miniſtris, qui Hibernico idiomate Sermones ſacros dicerent, diverſis datum negotium eſt, quibus ſtudio & dexteritate omnibus palmam præripuit *Nicolaus Brown*, Rector Parochiarum quarundam in Diœceſi Clogher. Synodus itidem A. cIↃIↃcciii ea de re conſilia agitavit, quo tempore ſingularis Walteri & Kinſii diligentia multum profuit ad lucem Evangelii latius diffundendam. Alia A. cIↃIↃccIX ulterius proceſſit atque inter alia conſtituit tria membra ſeligere, quæ breviter & perſpicue exponerent argumenta, quibus Pontificii incolæ revinci poſſent atque ab erroribus ſuis liberari. Sub auſpicium anni cIↃIↃccx declinantes jusjurandum Pontificii Doctores munere ſuo non fungebantur, pœnis, quas ſubituri alias fuiſſent, graviſſimis deterriti, ita ut ceſſaret aliquandiu publicus cultus, multique infantium ſacra aqua non tingerentur. Quod in rem ſuam vertere conati Eccleſiæ Anglicanæ miniſtri quidam nihil intermiſerunt, quod ad infringendam pertinaciam miſerorum pertinere poſſet, Hibernico ſemper idiomate uſi, quod quidem inſtitutum iis maximopere ſe approbavit. Inde conſilia capientes de imprimendis rurſus publico ſumtu ſacris Litteris aliiſque libris neceſſariis, Scholis gratuitis & Societate de propaganda fide in exteris partibus inſtituenda rem ad Ducem Ormondum ac deinde ad ipſam Reginam detulerunt. Quæ cum plenius ſibi omnia juſſiſſet exponi, Synodus anno ſuperiori eam ob cauſam coacta eſt, cujus varia decreta & conſilia Autor noſter adducit.

Quæ his de methodo Hibernos, ut reformatam Religionem amplectantur, adducendi ſubjunguntur, jam ſecunda vice, aucta tamen & emendata, lucem adſpiciunt. Ad ſex illa capita redit 1) miniſtros, quot ſufficiant, quibus præter ceteras dotes facultas ſit linguæ Hibernicæ, eſſe ſuſtentandos, ut rudem doceant plebem cultumque

tumque divinum perſolvant, II Epiſcopis illos Diœceſium eſſe ſubjiciendos, qui probent admittantque illos, fungentes officio dirigant, poſſintque rationem ejus ab illis repetere, IV ſacrum Codicem, Liturgiam & Catechiſmum eſſe Hibernica lingua typis excudendum, VI Scholas eſſe gratuitas aperiendas, ut Anglicæ linguæ & repurgatæ religionis rudimenta posſint juventuti inſtillari, quique inde prodierint, iis beneficiis quibusdam eſſe proſpiciendum, quorum in partem etiam pauperum Proteſtantium venire liberi queant, V in conventu communium, quem vocant, rationem de ſumtibus eam in rem ſuſtinendis eſſe ineundam, VI Societatem regia autoritate eſſe conſtituendam, quæ præſit pecuniis vel aliunde vel decreto publico colligendis atque erogandis, quæque annatis Hiberniæ, quas appellant, ædificia piis uſibus deſtinanda redimat. Quæ capita omnia illuſtrat Autor, atque ab objectionibus vindicat, adjecto appendice, quo docet, cur in Liturgia Hibernica lingua ſub prælo ſudante Hibernici non Anglici vel Romani ductus litterarum adhibeantur.

PROPAGATION OF THE GOSPEL IN the Eaſt &c.

i. e.

PROPAGATIO EVANGELII IN ORIENTE,

quam ſiſtit narratio ſucceſſuum duorum Miſſionariorum Danicorum in Indiam Orientalem ablegatorum, ad Gentiles in Malabaria Evangelii luce perfundendos, variis litteris ad amicos in Europa conſignata. Partes II.

Londini, 1711, 8.

Plag. 9.

Complectitur libellus iſte, Thomæ, celeberrimo Archiepiſcopo Cantuarienſi, Præſidi Societatis de propaganda fide in exteris orbis terrarum partibus, membrisque reliquis ejusdem, dedicatus, litteras Miſſionariorum Danicorum Barthol. Ziegenbalk & Henr. Plutſcho, quas ante annos aliquot vernaculo ſermone excuſas vidimus, una cum aliis nonnullis Anglico idiomate veſtitas. Præmiſſus eſt diſcurſus de Miſſionarii charactere, ubi cauſis, quæ Eccleſias orientales tenebris undiquaque obduxerunt, oſtenſis, eadem popu-

lis Europæ fata impendere monet non evitanda, niſi aliam vivendi rationem ineant conſtantisſimeque ſequantur. Qua breviter deſcripta, ad Misſionarios ipſos procedit, quos ſpiritu charitatis, facultate dijudicandi opus gratiæ in animis & ſumme neceſſaria capita religionis a minus neceſſariis ſecernendi, vitæ ſanctitate, ſpiritu martyrii, quin & ſingulari Numinis auxilio inſtructos armatosque eſſe utique oportere commonſtrat.

ELOGIUM QUINTI SEPTIMII FLORENTIS RIVINI, JC.

INgens nuper damnum paſſa eſt Respubl. noſtra morte Viri incomparabilis, D. Quinti Septimii Florentis Rivini, Sereniſſimo ac Potentisſimo Regi Poloniæ & Electori Saxoniæ a Conſiliis Appellationum, Electoralis ac Ducalis Saxonicæ Curiæ Supremæ Provincialis, & Scabinatus Aſſeſſoris, Templi S. Petri Curatoris & Conſulis Civitatis noſtræ meritisſimi. Natus eſt Lipſiæ A. 1651 die 16 Auguſti Parentibus tam ſpectatæ virtutis, quam pietatis. Patrem habuit D. Andream Rivinum, Poeſeos & Phyſiologiæ Profeſſorem Publicum, Academiæ Decem-Virum, & in Minore Principum Collegio Subſeniorem, Philologum in Eruditorum Orbe adhuc inclutum: Matrem Catharinam Eliſabetham, natam Oleariam. Avus ipſi paternus fuit Andreas Bachmann, Senator Halæ, qui, cum in juventute contra Turcas ſemel iterumque ſtrenue militaſſet, uxorem duxit Dorotheam Krebſiam. Avia Eliſabetha, Lazari Wosgaui in intimiori Senatu vini Magiſtri, ut vocant, & Salinarii filia. Puerum lavacro ſalutari tinctum Pater Quintum Septimium Florentem nominari voluit, quod Tertulliani Poemata notis ſuis illuſtrata typis tum committeret. Patre hoc ſuo A. 1656 d. 4 Aprilis orbati educationem amantisſima mater ſollicite curavit, aſſumtis Præceptoribus, a quibus privata induſtria literarum humanitate artiumq; ingenuarum peritia eruditus eſt, donec A. 1666 ad Studia Academica inchoanda capax haberetur. Quem campum ingreſſus, Jacobi Thomaſii Themata Oratoria, D. Friderici Rappolti Aretologiam poeticam manu ſua excepit, Curſum Philoſophicum A. 1667, & 1668, oſtendente viam D. Valentino Alberti, bis abſolvit: inſequentibus annis Profeſſorem Chriſtianum Fridericum Franckenſteinium Georgii

Hornii

Hornii Orbem Politicum dilucidare audivit; in Collegio L. Ottonis Menckenii Moralia diſputando pertractavit; ipſe Diſſertationem de Dictatoribus Romanorum magna cum diligentia elaboravit, & Præſide Patruo ſuo D. Johanne Oleario cum laude defendit. A Facultate Philoſophica menſe Januario A. 1669 primam lauream, ſupremam ſequente A. 1670 obtinuit; poſt Diſputationibus de Pœna Medicinali, & de Viſione, an emittendo vel recipiendo radios fiat, locum inter Magiſtros ſibi aſſeruit; poſt eas, alias, & quidem ex propenſione, quam a teneris erga Botanicen geſſit, de Virtutibus plantarum, an ex colore & figura cognoſci poſſint, item de Noctu lucentibus, & de Retentione Quadrantis ex furto apud Ægyptios publice propoſuit. Inſuper Autor extitit menſe Junio A. 1673 Societatis Oratoriæ a Magiſtris inceptæ & hodie continuatæ. Philoſophiæ adjunxit A. 1669 Studium Juris, quod methodum monſtrante Vitrico, D. Michaele Fingero, Facultatis Juridicæ Aſſeſſore, inchoavit, & anno memorato 1673 de Beneficio competentiæ ſub ejus præſidio vires periclitatus eſt. Præ aliis excellentiſſimi JCti D. Bartholomæi Leonhardi Suendendorfferi informatione gaviſus eſt, Exercitia Diſputatoria in Harmoniam Juris Civilis Struvio-Schnobelianam, & in Syntagma Juris feudalis Struvianum frequentavit. A. 1674. a Generoſiſſimo Dn. Chriſtiano Wilhelmo Hahnio, Poſſeſſore Dynaſtiæ Seeburg, Hæreditario Domino in Remplin, Liepe & Heinrichshagen, Filiorum ſuorum ephoriam oblatam recepit; cum quibus etiam ſequentibus annis peregrinationem initurus erat. Verum, dum Parentum mortes intervenirent, & bonorum ratio præſentem requireret, Lipſiæ eum remanere oportuit. Certus autem docentem ipſum plura diſcere, Scholas Lectorias & Diſputatorias in Inſtitutiones Juris Juſtinianeas, & in Eckolti Compendiariam Pandectarum tractationem aperuit, ac Diſputationem inauguralem de Marito hærede mobiliari conſcripſit. Tendens A. 1677 menſe Novembri Erffurtum, poſt examina illam pro Licentia defendebat, & axiomate Doctorali d. 2 Maji A. 1678 ornabatur. Reverſus in patriam, conſentiente Facultate Juridica, inſtitutiones juventutis ſtudioſæ continuavit, A. 1679 de Favore Juris circa bona Abſentium cum eruditis opponentibus diſceptavit. Anno 1680, cum lues peſtifera Studioſos diſcedere impelleret, pra-

xi ſe dedit. Tum ſtatim pluribus innotuit, cauſas ſuas ei committentibus, & diligentiam, fidem, dexteritatem laudantibus. A. 1690 a Scabinatu commendatus die 11 Febr. Subſtitutus receptus; die 8 Mart. 1692 Supernumerarius factus, poſt annos undecim in Electoralem locum ordinarium adſcendit. Ante A. 1695 ad Terminum hybernum & æſtivum in Summum Provocationum Judicium ad vices alterius gerendas vocabatur; & A. 1697 æſtate a Sereniſſ. Rege Polon. & Electore Saxoniæ, FRIDERICO AUGUSTO, inter Conſiliarios receptus, aliisque gravibus negotiis, inprimis A. 1699 cum Conſiliariis intimis & Appellationum, Dominis Jacobo Bornio, Erneſto Abrahamo ab Oſterhauſen, & Joh. Henrico Bergero ad revidendam Ordinationem Proceſſus, & Deciſiones Novas formandas, in qua poſteriore re concipientis partes egit, adhibitus eſt. Quemadmodum autem negotioſa praxi ita occupari ſe non eſt paſſus, quin Studioſis Juvenibus, tam in Theoria, quam in Praxi inſerviret, quam ob cauſam non ſolum Zangeri tractatum de Exceptionibus quotannis fere & Electoralem Saxonicam Ordinationem Proceſſus abſolvit, ac Specimen Exceptionum dilatoriarum typis commiſit, aliquoties poſtea recuſum; ſed etiam primis annis, cum in Scabinatu ſedit, quantum fieri poterat, continuavit privatam informationem, & deſiderante Conſiliario intimo Vito Ludovico a Seckendorff, ex fratre nepotes, & alios nobili ſtemmate natos in Inſtitutis, Digeſtis & Jure Feudali quotidie duabus horis legendo, & examinando inſtituit. Similiter ſingulari ſtudio in Sam. Strykii Cautelas Contractuum diſſerebat, & ſecundum eas aliasque obſervationes formulas in foro Saxonico receptas Auditores ſuos jubebat elaborare: quæ poſtea maximam partem, ipſo neſciente nec conſentiente Volckmanni libro de Notariatu inſertæ fuerunt. Materiam delictorum in Collegio Criminali explicavit, in quo non tantum indicia accurate expendit, ſed & quæ ad defenſionem Inquiſiti aliqua ratione facere poſſent, & quo modo Proceſſus Inquiſitorius dirigendus ſit, ex Actis Judicialibus oſtendit. Pari induſtria in quorundam gratiam privatiſſime Acta in cauſis civilibus percurrit, monſtrans, ubi vel Judex, vel litigantes aberrarunt, ubi bene petierunt, proceſſeruntque. Præ reliquis opus in Ordinationem Proceſſus Electoralem Saxonicam quotidie ex obſervationibus

nibus in Scabinatu & Judicio Appellationum ita accrevit, ut tandem recognoſceret, & A. 1705 Enunciatorum nomine exprimi curaret. A. 1705 ab Ampliſſimo Senatu Pro-Conſul eligebatur, A. 1709 a Sereniſſ. Duce Saxoniæ Weiſenfelſenſi Aſſeſſor Judicii Provincialis ſupremi vocabatur; poſtea curam Templi Petrini in ſe recepit, & poſt obitum Georgii Winckleri ad Conſulatum A. 1712 menſe Auguſto, annuente clementisſime Rege & Electore, evectus eſt. In matrimonium primum deſcendit A. 1679, ſolennibus nuptiarum ad 3 Febr. celebratis cum lectisſima Virgine Maria Catharina, D. Nicolai Creuſelii, JCti, Supremæ Curiæ Provincialis & Juridicæ Facultatis Aſſeſſoris, Minoris Principum Collegii Collegiati, & Univerſitatis quondam Syndici, grandiori natu filia; ex qua liberos ſex ſuſcepit, Auguſtum Florentem & Johannem Nicolaum gemellos, Johannem Florentem, Johannam Catharinam, Chriſtianum Florentem, Johannam Sophiam. Primi duo filii, & Johanna Catharina atque Chriſtianus Florens ante matrem mortalitatem reliquerunt. Dn. Johannes Florens, gaudente Patre, Doctoris in Jure utroque inſignia A. 1701 conſecutus eſt; & A. 1704 virginem Claram Eliſabetham B. L. Tilemanni Andreæ Rivini, Ebreæ Linguæ Prof. Publ. & Archi-Diaconi in Templo S. Thomæ, filiam nativitate juniorem, uxorem ſibi ſolenni ritu aſſociavit; ex qua nati liberi A. 1706 d. 14 Januar. Clara Florentina, d. 30 Januar. 1707, Auguſtus Florens, d. 15 Mart. 1708, Rahel Eliſabetha, d. 18 Jan. 1710, Johannes Florens, d. 26. Nov. 1711 Chriſtianus Florens, & nocte inter 19 & 20 Nov. 1712 hora prima Chriſtiana Florentina: e quo numero duo ſuperant Auguſtus Florens & Chriſtianus Florens. Altera beate defuncti filia Johanna Sophia d. 21 Octobr. 1711 D. Auguſtino Kobero elocata duas filias enixa eſt, Auguſtinam Sophiam & Johannam Eliſabetham. Viduus factus d. 9 Auguſt. 1693 cum ad familiam regendam & conſervandam alia conjuge indigeret, ſecundis nuptiis A. 1694 d. 27 Sept. amplexus eſt tori ſociam, Electoralis Saxonici Conſiliarii intimi, poſt Regii Polonici & Electoralis Saxonici Cancellarii Vicarii, & præpoſiti Capituli Wurzenſis, Johannis Abrahami Birnbaumii, JCti, filiam mediam, Virginem Johannam Sophiam. Hæc ſuavis conjux & fœcunda mater genuit A. 1696 d. 9. Febr. filiam Johannam Dorotheam, (quæ d. 5 Nov. 1697 ę tabulino fe-

Digitized by Google

neſtræ ex altitudine decem cubitorum in plateam lapidibus ſtratam prolapſa, Angelicis autem manibus excepta, & exinde illæſa A. 1712 d. 7 Junii D. Friderico Henrico Graffio nupſit,) A. 1698 Johannam Mariam, A 1699 gemellos Abrahamum Florentem & Johannem Chriſtophorum; A. 1700 Johannem Abrahamum; A. 1702 Andream Florentem; A. 1703 Johannam Eliſabetham; 1705 Erneſtum Florentem; A. 1707 Sigismundum Florentem; A. 1708 Johannam Henriettam; & A. 1710 Fridericam Florentem. Johanna Maria, fratres gemelli, Johanna Eliſabeth, Sigismundus Florens teneri mortui ſunt. Ceterum Vir optimus nuper d. 17 Martii cœpit dolorem infra pollicem pedis ſiniſtri ſentire, propter quem ea die domi ſe continuit. Sequenti die dolor modicus fuit: nocte inflammatio augebatur, ut Medici & Chirurgi opem requirere cogeretur. Et hi quidem remedia, tam interna quam externa, adhibuerunt; attamen inflammationem impedire non valuerunt, maxime ob hanc cauſam, quod diu ante in pedibus admodum infirmis nec calorem, nec ſenſum ſatis perceperit. Acceſſit mox febris vehemens, corpus debilitans, appetitum alimenti adimens, ſomnum impediens, indicia lethalis morbi. Quare Noſter d. 22 Martii Patrem Confeſſionarium, D. Johan. Dornfeldium, ad ſe vocari juſſit; peccata confeſſus eſt, magna reverentia & devotione verendæ Cœnæ Dominicæ myſteriis eſt uſus, cum ſuis precatus eſt, ſæpe repetens Cantionem Cygneam Simeonis, quam etiam frater dilectiſſimus L. Tilemannus Andreas Rivinus moribundus crebro in ore habuiſſe laudatur: Domine, nunc dimittis ſervum tuum in pace. A meridie quietus recubuit, donec nocte tertio quadrante horæ X placide in Salvatore ſuo exſpiraret.

EXCERPTA EX EPISTOLA VIRI CL. J. J. M. ad J. B. M. nuperrime Pariſiis miſſa, in qua de Novis Literariis Galliæ agitur.

Exercuit haud ita pridem antiquarios aliquot nobile argumentum. In templo primario, cum jaciendis novi altaris fundamentis altius terra effoderetur, aræ aliquot veterum Celtarum Diis conſecratæ & monumentum Tiberio a nautis Sequanicis poſitum reperta ſunt. Inter alios explicavit illa Baudelotius, qui inſigne anti-

antiquis marmoribus, ſignis, numisque muſeum poſſidet, ejusque deſcriptionem publicabit. A ſententia autem ejus alienus paſſim fuit Ill. Leibnitius, unde Diſſertationibus quibusdam epiſtolicis occaſio nata, quæ tamen intra literarum arcana ſubſtiterunt. Dignisſima res eſt quæ Actorum beneficio veſtris regionibus innoteſcat. Ut hac occaſione in Celtarum res ſtudioſius inquiſitum, ſic Francorum hiſtoriam a ſtabilito illorum regno, usque ad exceſſum Henrici III tribus in folio vol. expoſuit P. Daniel. Altius deſcendet, deque migrationibus illorum & bellis quæ geſſerunt, antequam in Gallias irrumperent, aget P. Germon, disquiſitione operi quod de L. Salica molitur, ſubjungenda. Idem præterito menſe Diſſertationem de veteribus Hæreticis S. Codicum corruptoribus edidit. Aliam bene de hiſtoria patria merendi viam ingreſſus P. le Long, Oratorii Presbyter, Bibliothecam Scriptorum hiſtoriæ Gallicæ prelo ſubjiciet, cum inde exierit hiſtoria Bibliorum Polyglottorum, qua Bibliothecam ſuam Biblicam auxit. Bernardi de Montfaucon hexapla Origenis jam fere abſoluta ſunt. Interim & jam inprimi cœpit ejusdem Catalogus MSC. qui exſtant in Bibliotheca ſub nomine Seguierianæ admodum illuſtri quondam, & nunc ad Coislinium Epiſcopum Mediomatricenſem pertinente. Factus eſt ad inſtar Lambeciani, ſed majori cum ſelectu, & acrimonia judicii, magnamq; hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & literaturæ antiquæ lucem affundet. Confratres Montfauconii P. Nourry & P. Maſſuet, ille ſecundum Tomum Apparatus ſui ad Bibliothecam Patrum maximam edit, hic poſt Ruinarti obitum Annales ordinis Benedictini continuat. Novam præterea hiſtoriæ monaſticæ acceſſionem, Bibliothecam ſcilicet Ordinis Prædicatorum parat P. Echardus, qui ante aliquot annos D. Thomæ Summam ſuam vindicavit, cujus illum Autorem eſſe Launojus & alii dubitaverant. Vivit adhuc in primario, quem Pariſiis habent Dominicani, conventu P. Natalis Alexander, ſed oculis fere captus. Hiſtoria ejus Eccleſiaſtica reinprimitur. Novam etiam Dictionarii Moreriani editionem nobis dedit Elias du Pin, & nunc Bibliothecam ſuam ſcriptorum Eccleſiaſticorum Latine vertet multumq; augebit. Photius vero nihil hinc ſibi, ut quondam fama tulit, exſpectet. Sub anni præteriti finem Abbas de Tilladet duobus in 8 vol. edidit: *Diſſertations ſur diverſes matieres de Religion*

& de

Digitized by Google

& de Philologie, contenues en pluſieurs lettres ecrites par des perſonnes ſavantes de ce temps. Pleraque Ill. Huetii ſunt, qui abdicato Epiſcopatu in domo profeſſa Jeſuitarum, cui & bibliothecam ſuam, ceu Menagius quondam fecit, deſtinavit, ſenectute ſatis vegeta fruitur. Junctæ iis ſunt Bocharti, Morini, Sam. Pufendorfii aliorumque Diſſertationes epiſtolicæ ad quas Huetius reſpondet, quasve refutat; & farrago epiſtolarum familiarium ad Gabr. Coſſartium, Tanaquillum Fabrum, Gisb. Cuperum, Grævium, Menagium, Salmaſium, Bullialdum, Iſaacum Voſſium, aliosque Viros celebres. Anſelmus Banduri, cujus Antiquit. Imperii Byzantini nuper Actis inſeruiſtis, ſeriem numiſmatum a Trajano Decio usque ad Heraclium, omnium quæ hactenus viſæ ſunt perfectiſſimam ſub manibus habet. Multum hæc ſcientia adjuvabitur, cum Dictionarium Numiſmaticum Cl. Galandi prodibit, quo nomina Deorum dignitatumque in numis occurrentia accurate explicavit. Sed opus hoc juſſu Academiæ elaboratum, ut & alii doctiſſimi Viri labores ad mitiora pacis tempora reſervantur. Ceterum illud quoque vos ignorare nolo, Cl. Parent, Phyſ. & Math. Profeſſ. librum: *Eſſais & recherches de Mathematique & de Phyſique*, paſſim locis longe plurimis, imo & integro Tom. III auctiorem, ſub hujus anni principium prodiiſſe.

Corrigenda in Obſ. Math. M. Febr. & Mart.

Pag. 78 l. 7 pro *directa* leg. *diverſa*. Pag. 79 l. 9, 10, 11, 12 pro litera V ſcribatur ſignum radicale √. Ib. l. 17 pro LM, ſcrib. LN. Ib. 31 pro Eg leg. EG. Pag. 81 l. 24 pro *qua* leg. quare. Pag. 82 l. 3 leg. *apparuerit*. Ib. l. 22 pro *habitus* leg. *halitus*. Pag. 83 l. 5 pro *fluidis* leg. *in fluidis*. Ib. l. 6 a fine pro $\frac{2}{2}$ ſcrib. $\frac{2}{3}$. Pag. ſq. notanda 84. Ib. l. 5 a fine pro §. *16* ſcrib. §. *18*. Pag. 87 l. 6 a fine, pro *olea* leg. *oleo*. Pag. 88 l. 12 pro *delecto* leg. *detecto*. Pag. 94 l. 3 a fine, pro *ſpecies* leg. *ſeries*. Pag. 116 l. 22 pro *vires* leg. *vices*. Ibid. l. ſeq. pro *tantum* leg. *tantam*. Ibid. l. 4 a fine leg. *acquiſita*. Pag. 120 l. 16 pro *znu* ſcrib. *znn*. Ibid. l. 10 leg. *comperiet*. Pag. 121 l. 3 leg. *variabilis*. Pag. 122 l. 8 a fine, pro *tw* leg. *θw*. Pag. 124 l. 15 pro $\pm$ ſcrib. $\mp$. Pag. 126 l. 16 pro $z = n$, ſcrib. $z - n$. Pag. 127 l. 8 leg. *Lectori*. Pag. 130 l. 20 leg. *curva*. Pag. 131 l. 21 leg. *abſolutam*.

In Tab. I Fig. 3 producatur OG ut ſecet cg in F. Ib. fig. 5 pro litera *b* inter T & *t* ponatur litera Græca θ. In eadem figura linea EL ſupponenda eſt recta & parallela reliquis applicatis NR, nr.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii Anno M DCC XIII.

VARINI PHAVORINI CAMERTIS NUCERini Epiſcopi Magnum Dictionarium ſeu Theſaurus univerſæ Linguæ Græcæ, nova hac editione per ANTONIUM BARTOLI Typogr. Venetum diligentiſſime caſtigatus & auctus.

Venetiis, ex typogr. Ant. Bartoli, 1712, fol. maj.
Alph. 5.

QUum Græcæ literæ ſuam desererent patriam & ad Latinos commearent, jusque Romanæ civitatis peterent, benignum hoſpitem in Varino ſeu Guarino Phavorino, Camerte, Epiſcopo Nucerino, nactæ ſunt, tanto earundem amatore, ut ex Italo in Græcum pene, ita ludente in ipſum Laſcari, fuerit converſus. Erat ille quidem, monente Ughello, Monachorum ſodalitati Sylveſtrinæ deditus, tali hominum generi, quod tum, modo vernaculam calleret linguam, ſatis habebat; attamen cuculla non impediit Varinum, quo minus patrias primum artes excoleret, editoque & ad Petrum Medicen deſtinato Cornu Copiæ locupletaret: ſed & ad Græcorum delitias proſpiceret, conſpectas amaret, amatas æterno ſecum fœdere copularet. Quas dum ſibi Veneres conciliat, Jo. Laſcari utebatur homine erudito, profugo, hoſpitiique adepti beneficium artium reconditarum communicatione compenſante: cujus quidem dexteritatem Varinus adeo expertus, adeoque in pretio habuit, ut eam in ſepulchrali ſuo titulo laudatam, cumque ſuo Præceptoris nomen conſecratum vellet. Nec impune tulit Varinus iſtam in Laſcarin inque Græcas literas propenſionem, quam adeo Numen nobilitavit, ut in Mediceam domum τριάκοντα ἐτῶν τρόφιμος receptus

Leoniſque Decimi juventæ moderatus, eo ad Pontificale cœlum evecto, ipſe ad inferiorem paulo, nec tamen ignobilem Nucerini Præſulatus orbitam raperetur, quod A. R. S. MDXVII factum fuit. In qua dum XXIII annos commoratur, haudquaquam ſegni deditus otio omne tempus ad ornandam, quam ſibi ſelegerat, ſponſam contulit, divitiis e Bibliotheca Medicea depromtis, indulgente id ipſum Julio Mediceo, in quem omnes animi corporiſque dotes, teſte Varino, σωρηδὸν corrivatæ erant. Ex iſtis honeſtis amoribus nobilis fœtus Lexicon Varinianum Græcum prodiit, quod in ipſis incunabulis communi eruditorum applauſu exceptum fuit, non parum ad ejus exiſtimationem conferente Julio Mediceo Purpurato Patre, quem ſe Dei inſtar venerari Varinus ſæpiſſime profitebatur. Pauci ab obitu Camertis interceſſerunt anni, quum Robertus Chimerinus A. MDXXXVIII Lexicon illud Baſileæ typis deſcriberet, cumque Europæis gentibus communicaret: quod dum Laſcaris primum cerneret, ad gratulandum illuc acceſſit, publice profeſſus, tanta peritia conſcriptum eſſe, ut ferme dubitet, Græcis an Latinis civibus Camers accenſendus eſſet. Hinc Joachimus Camerarius, noſtræ Academiæ immortale decus, & erudito carmine, & Præfatione nobile opus condecoravit, ideo quod omnes Græcorum flores in unius veluti coronæ circulum Varinus conſtipaſſet: recto ſane judicio, cum id ipſum Camers in ſua ad Julium Cardinalem Præfatione fateatur. Ad hos Duumviros accedat Angelus Politianus, inſignis Varini præco, qui elegantiſſimo verſu βίβλον δαιδάλεον, ipſiſque Græcis errantibus profuturum celebravit. Certe hujus ſui laboris Camers conſcius nil magis niſi id ipſum opus ſuum poſt fata prædicari maluit, unde cippus ſepulchralis ab Ughello deſcriptus omnia, de quibus Chriſtiani gloriari ſolent, planè neglexit, ſolam Græcæ linguæ peritiam tanquam omnis felicitatis ſummam commendavit.

Βαρίνον τὸν καὶ τῆς Μεδικῆς οἰκίας τρόφιμον
τῷ ζῶντι ἀνόμοιον βλέπεις, ὃς τῷδε σήματι
κείμενος πανταχοῦ γῆς παρὰ τοῖς
πεπαιδευμένοις καλῶς ακούων, καὶ τῆς ἀρετῆς
ἀγηράτῳ χρώμενος ἐπαίνῳ ἥδιστα τῶν
ἀγρυπνιῶν καὶ πόνων ἀπολαύει καρποῦ.

Iſta

Iſta nobis præfari placuit, ut tanto uberiorem gratiam redderemus optimo Viro Antonio Bartoli Typographo Veneto, qui ad renovandam antiquam Græciæ eloquentiam Varini Camertis Dictionarium Magnum charta auguſta non ſine maximis impenſis edi curavit, Manutium imitatus, cujus ſeſe æmulum laudabili æmulatione profitetur. Dedicavit inſigne opus celſiſſimo totius Valachiæ Principi Joanni Conſtantino Baſarambæ Wœwondæ Brancoviano, cujus imaginem & inſignia fronti præfixit, in laudes juxta illius digreſſus, quando ipſum e Cantacucenorum regia ſtirpe editum, virtutibus Imperatoriis ornatum heroa *φύσιν, ἀρετὴν, ἀξίαν θεοειδῆ* dixit.

Literæ libri ſunt admodum pulchræ nec quicquam fere Aldinis picturis cedunt: univerſum opus tanto majori pretio habendum, quod poſt accuratas errorum emendationes, novas etiam *λέξεις* aſteriſco notatas addat, vetuſtasque editiones multis rationibus ſuperet ac vincat. Pergat modo Vir laudatiſſimus, quæque pollicetur, ea propediem in ſplendidum literati Orbis theatrum deducat, nec deerunt poſteri, qui inſignis operæ grata celebratione recordentur.

S. PROSPERI AQUITANI, S. AUGUSTINI Diſcipuli, S. Leonis Papæ Primi Notarii, Opera Omnia ad MStos Codices emendata, & nunc primum ſecundum ordinem temporum diſpoſita.

Pariſiis, ſumptibus Guil. Deſprez & Jo. Deſeſſartz, 1711, in fol. ch. aug.

Alph. 8 plag. 7.

INter cetera S. Proſperi opera liber *de Gratia Dei & libero arbitrio* Moguntiæ primum A. MDXXIV a Nicolao Carbacchio in lucem emiſſus eſt, cui præterlapſis ſeptem annis *Sententiæ ex Auguſtino excerptæ*, & A. MDXXXVI libri *de vita contemplativa Juliani Pomerii* acceſſerunt. Prodiit deinceps Venetiis alia editio, ſed Stephanus Gryphius Lugdunenſis Typographus vetuſta exemplaria accurate contulit, & primus omnium, ut videtur, omnia Opera, quotquot nanciſci potuit, cum eruditis communicare conatus eſt.

 Idem

Idem tentarunt Jo. Sotellus & Jo. Olivarius, editionesque tum Lovanienſem tum Duacenſem procurarunt, ac ſubinde illis ſupplementa, emendationes plurimas, variasque lectiones inſeruerunt. Porro Coloniæ Agrippinæ A. MDCXXX ad normam poſtremæ editionis alia adornata eſt, quam nonnullæ ſequioribus temporibus in diverſis locis excuſæ exceperunt. Præſens editio ab Editoribus ideo ſuſcepta eſt, partim ut amplior emendatiorque codex Proſperi ſubminiſtraretur, partim ut eximiæ Auguſtini Operum editioni ante aliquot annos a doctis viris luci publicæ expoſitæ acceſſio quædam fieret. Amplior namque reddita eſt, adjecto *Chronico integro ab ortu rerum usque ad obitum Valentiniani III & Romam a Vandalis captam pertingente*, emendatior vero, caſtigatis ſingulis libris ad fidem tot MStorum probatiorumque editionum, quorum index in fine ſuppeditatur, & appendici Operum præmittitur. De ſcriptis Proſperi ſecundum ordinem temporum diſpoſitis ſigillatim agendum erit, ſi prius vitam ejus, ex ipſis operibus & Scriptorum Eccleſiaſticorum libris concinnatam, paucis enarraverimus. Proſper itaque omnium ætatis ſuæ longe doctiſſimus ac peritiſſimus, ut Scaligero audit, in Aquitania provincia natus, indeque Aquitanus dictus eſt. Perperam eum nonnulli modo Tolonenſem, modo Regienſem civem vocant, quandoquidem non ſatis conſtat, quænam potiſſimum urbs in memorata regione pro ipſius patria ſit habenda. Juvenis vitiis omnibus deditus in Ægyptiorum, mox etiam in Babyloniorum jura tranſiit, ſed erubeſcere deinceps cœpit, egitque pœnitentiam ſeriam, & perluſtrato ſanctiſſimo codice ad Deum reverſus eſt. Poſtea uxorem duxit, eamque ad concordiam ſervandam diligenter hortatus, ac varias calamitates, quæ ipſi crebriori incitamento fuerunt ad pietatem colendam, perpeſſus eſt. Monaſterio ſe obſtrinxit nulli, ad divina tamen negotia relictis rebus ſecularibus animum applicuit, & circa A. CCCCXXIIX *epiſtolam ad Auguſtinum* dedit, ejusdemque famam adverſus Vincentium & Presbyteros Genuenſes defendit. Cum vero Semi-Pelagiani D. Auguſtinum erroris arguere nondum deſiiſſent, Romam cum Hilario profectus & coram Pontifice Cœleſtino ea de re graviter conqueſtus eſt, acceptoque reſponſo exoptatiſſimo in Galliam rediit, & contra Auguſtini adverſarios diſputare perrexit. Leonem

nem Magnum, penes quem Pontificalis auctoritas illo tempore
erat, & re & conſilio adjuvit, ejusque Notarius ſive Amanuenſis fa-
ctus Romam iterum ſe recepit, ac *epiſtolas* Papæ adverſus Eutychen
de vera Chriſti incarnatione conſcripſit. Obiiſſe creditur circa A.
463 & quamvis nonnulli opinentur, eum Epiſcopum vel Reien-
ſem in Provincia, vel Regienſem in Longobardia fuiſſe, ſolido ta-
men argumento confirmare opinionem nequeunt. Sequuntur
nunc Proſperi noſtri ſcripta, quæ inter Epiſtola ad D. Auguſtinum Pag. 1.
de reliquiis Pelagianæ hæreſeos in Gallia ſubnaſcentibus primo lo-
co comparet. Scripſit eam Proſper non ſolo ſalutandi Auguſtinum
ſtudio, ſed etiam fidei, qua Eccleſia vivit, affectu A. 429 eo tem-
pore quo Arelatenſi Eccleſiæ præerat Hilarius; reliquæ ejus literæ
cum reſponſoriis non amplius ſuperſunt. Circa idem tempus Hi-
larius *de eodem argumento literas* ad Auguſtinum dedit, quæ ſecun-
do loco heic exhibentur. Ubi notandum, tres hujus nominis dari 9, 10.
Hilarios, alterum nempe Syracuſanum, cujus Epiſtola ad Auguſti-
num & Auguſtini reſcriptum de pluribus gratiæ capitibus inter S.
Doctoris epiſtolas habentur; alterum, qui e Galliis ad eundem Au-
guſtinum ſcripſit, & Proſpero ad propugnandam illius doctrinam
ſocium ſe adjunxit; tertium denique Arelatenſem Epiſcopum. Li-
cet autem neque Syracuſanus neque Proſperianus pro Arelatenſi
accipi poſſit, obſervatur tamen in præmiſſa admonitione, Syracu-
ſanum monachum eundem eſſe cum Proſperiano, qui heic loci in-
telligitur. His duabus epiſtolis connectuntur libri duo S. Augu- 23.
ſtini ad Proſperum & Hilarium, quorum prior *de Prædeſtinatione
Sanctorum* agit, poſterior jam olim, titulo forſan per amanuenſes
mutato, *de dono perſeverantiæ* vocatur. Remigius, Archiepiſco- 47.
pus Lugdunenſis, Florus ſeu Beda vulgatus, & Hincmarus allegant
libellum ſub inſcriptione *de bono perſeverantiæ*, aſt ipſe Proſper, qui
operis Hilario & ſibi dicati exemplaria prima introſpexit, eundem
utrique libello titulum inditum fuiſſe tradit in principio libri *re-
ſponſionum ad excerpta Genuenſium.* Uterque libellus circa annum
ſupra memoratum poſt *Retractationum libros* conſcriptus eſt. Por-
ro in ordine ſequitur Epiſtola Proſperi ad Rufinum *de gratia & li-* 82.
bero arbitrio, quæ vivente adhuc Auguſtino & ultimis quidem ejus
annis exarata eſt. Quis vero Rufinus ille fuerit, inter multos hu-

Digitized by Google

juſce nominis circa hæc tempora notos non facile eſt decernere,
nec a quopiam pro certo definitum fuit. *Carmen* περὶ ἀχαριςῶν
ſive *de ingratis* mille verſibus conſtans quod attinet, illud ab omni-
bus hactenus, nomine refragante, Proſpero adſcriptum eſt, & ad
annum 430, quo damnatis jam Pelagianis Semi-Pelagiani Maſſili-
enſes caput extollere cœperunt, pertinet. Eo enim unice col-
lineat Poeta, ut detecto Pelagianorum errore Maſſilienſibus oſten-
dat, ipſos ejusmodi hæreticorum veſtigiis adeo inſiſtere, ut pro oc-
cultis Pelagianis habendi omnino ſint. Carmini junguntur duo
192. *Epigrammata in Obtrectatorem S. Auguſtini*, ſub quo nomine Vin-
centium Lirinenſem Monachum latere putant Voſſius, Henr. No-
riſius & Natalis Alexander. Proſpero illa tribuit & Codicum tam
MStorum quam editorum auctoritas, & omnium ætatum ſuffragi-
108. um, quemadmodum quoque is agnoſcitur pro Autore *Epitaphii
Neſtoriana & Pelagiana Hareſeon*, poſt damnatam Neſtorii hæreſin
in Concilio Epheſino A. 431 Auguſtino jam mortuo ſcripti, eti-
amſi illud Jo. Garnerius, Soc. Jeſu, in dubium vocet. Succedunt
202. ejus Reſponſiones pro Auguſtini doctrina tum ad *capitula obje-
ctionum calumniantium Gallorum*, tum ad *capitula objectionum Vin-
230. centianarum.* De Gallis ſentiunt, eos ex Maſſilienſibus, Caſſiani
diſcipulis forte aut ſectatoribus, fuiſſe, per Vincentium vero non-
nulli Monachum Lirinenſem, alii Presbyterum eumque natione
Gallum, qui in Pſalmos commentatus eſt, intelligunt. Subjungun-
242. tur ſtatim aliæ Proſperi pro Auguſtino *reſponſiones ad excerpta* ex
libris de Prædeſtinatione Sanctorum, quæ a Genuenſibus, non Ge-
nevenſibus, ut vir quidam doctus arbitratur, transmiſſa fuerant.
259. Poſt exhibitam *Cœleſtini Papa* pro Proſpero & Hilario *epiſtolam* ad
Venerium, Marinum, Leontium, Auxonium, Arcadium, Filtani-
um & ceteros Galliarum Epiſcopos, communicantur *auctoritates*
271. ſeu ſententiæ *præteritorum ſedis Apoſtolica Epiſcoporum de gratia Dei
& libero voluntatis arbitrio*, quas modo Cœleſtino, modo Leoni,
modo ipſi Proſpero aſſignari animadvertimus. Vero tamen ſimi-
lius videtur Cl. Editoribus, eas juſſu Cœleſtini a Leone collectas, &
Proſperi uſibus conſecratas eſſe. Sequenti anno, ſcilicet 432,
307. conſcripſit Proſper *librum contra Collatorem*, id eſt, pro Auguſtini
defenſione contra Caſſiani librum, qui titulo *de protectione Dei* in-
ſignitur.

ſignitur. Erat Caſſianus Presbyter & Abbas Maſſiliæ in Galliarum civitate non ignobili, Collationesque ſpirituales numero decem cum Orientalibus Monachis inſtitutas auctore Caſtore, Epiſcopo Aptenſis Eccleſiæ, calamo exceperat, ac ſeptem ſequentes precibus ſanctorum Honorati Arelatenſis & Eucherii Lugdunenſis poſtea Epiſcoporum victus addiderat. Harum decimæ tertiæ, quæ tota fere doctrinæ Auguſtini circa gratiam contrariatur, & propterea huic editioni inſeritur, oppoſitæ ſunt meditationes modo allegatæ. Biennio poſt expoſuit Proſper *Pſalmos Davidis a centeſimo usque ad finem*, nec dubium eſt, quin & ſuper reliquos commentatus fuerit, etiamſi illæ commentationes ob temporis injuriam ad nos non pervenerint. Circa A. 451 *ſententias ex Auguſtino*, quarum numerus ad trecenteſimum nonageſimum ſecundum ſe extendit, delibavit, & ex ſententiis Auguſtini *Epigrammata* ſex ſupra centum compoſuit. Jam ordo nos ducit ad *Chronicum integrum* in A. 455 deſinens ac in duas partes diſtributum, quarum prior ab ortu mundi ad mortem Valentis Imperatoris, & poſterior ad Romam a Vandalis captam protenditur. Quamvis vero nonnulli ſint, qui Proſperum Chronici Autorem eſſe negant, pro genuino tamen ejus partu illud agnoſcunt Victorius Aquitanus, Gennadius Maſſilienſis, Caſſiodorus, Iſidorus Hiſpalenſis, Victor Tunnonenſis in Africa Epiſcopus, & Joannes Abbas Biclarienſis. Huic igitur labori Proſper tribus vicibus, anno ſcilicet ſupra quadringenteſimum trigeſimo tertio, deinde quadrageſimo quinto, denique quinquageſimo quinto, manus admovit, nec novum opus molitus eſt, ſed Euſebium in epitomen redegit, ac interdum auctiorem reddidit. De *Concilio Arauſicano II*, cujus canones XXV de gratia & libero arbitrio collectionem augent, tenendum, quod Arauſione illud ſub Felice Papa IV quinto Non. Julii A. 529 Præſide Cæſario Arelatenſi celebratum, & a Boniſacio II approbatum, maximeque Semi-Pelagianis oppoſitum fuerit. Sequentia opuſcula, videlicet *Confeſſio Proſperi Aquitani*, itemque *Poema conjugis ad uxorem*, & *carmen de providentia divina*, non tam inter ſuppoſita quam dubia Proſperi opera numerantur. Circa libros vero *de vocatione omnium gentium* monent quidam, eos ob MStorum Codicum auctoritatem, Hincmari teſtimonium, doctrinæque & ſtyli ſimilitudinem

Pag 367. 535. 615. 686. 758. 770. 843.

tudinem Proſpero adjudicandos omnino eſſe. Sed copioſe ea de re diſputant Cl. Editores, aſſerentes, auctorem operis, cum hactenus ignotus manſerit, difficulter in ſcenam produci poſſe, quod ſi tamen ex modo res tractandi ſtylique conformitate judicium feratur, eſſe, unde conjiciatur opus S. Leonis Magni. Ab eodem *Epiſtolam ad S. Virginem Demetriadem* ſive de humilitate Chriſtiana tractatum concinnatum eſſe, Queſnellius aliquot argumentis probat, quamvis Joſepho Antelmio pro Proſpero verba facere viſum fuerit. In Appendicem novæ hujus editionis primo loco rejecti ſunt *Juliani Pomerii de vita contemplativa* libri tres, quos perperam olim Proſpero aſſignatos eſſe evincitur ac confirmatur. Erat autem Pomerius natione Maurus, Rhetoricamque Arelate cum applauſu docebat, ac inter alios Cæſarium Magnum ejuſdem urbis poſtea Epiſcopum auditorem habebat, libroſque memoratos Juliano Pontifici nuncupabat. Exhibetur ſecundo liber *Promiſſionum & Prædictionum Dei*, quem Proſper quidem, ſed alius a noſtro, compoſuit. Nec defuerunt, qui illum nomine *libri ante legem, ſub lege & ſub gratia* deſignarunt, eo quod promiſſiones illæ partim ante legem partim ſub lege factæ, tandem temporibus gratiæ impletæ fuerint. Circa *alterum Chronicon*, ſub Tironis Proſperi nomine vulgatum, quod a nonnullis *Pſeudo-Chronicon* vocatur, notandum, forſan a Semi-Pelagiano quodam, penes quem erat germanum Proſperi Aquitani Chronicon, illud pro lubitu mutatum, diminutum aut interpolatum eſſe: quam in ſententiam Antelmius & Bibliothecæ Autorum Eccleſiaſticorum Autor diſceſſerunt. Secunda Appendicis pars continet varia ſcripta & monumenta, quorum lectio operibus S. Proſperi ac hiſtoriæ Semi-Pelagianæ lucem fœneratur. Maximam partem ea ex Auguſtini Operibus collecta ſunt, & una cum ejuſdem Auguſtini libro *de correptione & gratia* ad Monachos Adrumetinos ac Indice tum rerum tum etiam locorum Scripturæ editioni noſtræ adjecta.

Pag. 933. 2. 86. 210. 219.

Ceterum ignorare nolumus Cl. Editores, extare in Bibliotheca Guelferbytana Codicem MSctum libri *de vita contemplativa* membranaceum, uncialibus exaratum, in quo ipſa etiam ſcribendi ratio, ut *laburare*, *ſpecolator*, *inlecebra*, *habundantia*, *luxoria*, antiquitatem ſuadet.

CODEX

CODEX PSEUDEPIGRAPHUS V. T. COLLEctus, caſtigatus, teſtimoniisque, cenſuris & animadverſionibus illuſtratus a JO. ALBERTO FABRICIO, SS. Theol. D. & Prof. P. Hamburg.

Hamburgi & Lipſiæ, ſumptu Chriſtiani Liebezeit, 1713, 8. Alph. 3 plag. 6.

PRomiſſum, quo ſe Orbi literato obſtrinxerat Celeberr. Autor in notis ad Codicem Apocryphum N. T. p. 342 præſtiturus, profert nunc in lucem pari, quo uti alias ſolet, induſtriæ & doctrinæ apparatu Codicem Pſeudepigraphum V. T. eoque complexus eſt ſcripta illa, quæ Patriarchis ac Prophetis ipſa etiam antiquitas nunc remotior, nunc propinquior, ſuppoſuit, ea quidem ratione, ut, quæ ætatem tulerunt, ac in variis monimentis majoribusque voluminibus diſperſa latuerunt magis, quam obvia ſe legentibus ſtiterunt, integra hic compareant, ceterorum vero, quorum diſſimilis fuit fortuna, vel fragmenta, vel notitia ſaltem hic deprehendatur. Volumen ipſum in varia capita, ſecundum temporis ſeriem collocata, diſtinctum eſt, multaque alia cum in contextu tum in adſperſis hinc inde notis exhibet, quæ ad explicanda varia Scripturæ & Antiquitatis ſacræ momenta pertinent. Agmen ducit Adamus, de cujus literis p. 1, commentario de Nominibus animantium p. 2, doctrina ab Angelis accepta p. 4, libris de cultura terræ p. 5, inventis diſciplinis variis & artibus p. 7, libro generationum p. 10, apocalypſi p. 11, vita fabuloſa 12, pœnitentia p. 16, Pſalmo XC Pſalmisque duobus aliis ipſi & Evæ tribui ſolitis p. 19 & 21, libro Raziel p. 26, alio a Zabiis ſive potius Sabæis oſtentato p. 27, libro Jezira p. 29, veſtigiis in inſula Ceylon p. 30, libris decem, quos Muhammedani ipſi inſpiratos fingunt, p. 31, lib. de Alchymia & Divinitate p. 32, Teſtamento p. 35, Nomine p. 49 diſſeritur. Præterea narratio quædam apocrypha, libro Geneſeos in Codice MS. Bibliorum Germanic. B. Jo. Frid. Mayeri præmiſſa ex parte repetitur p. 36, varii inſuper ſcriptores de Adamo & rebus ejus p. 48 enumerantur, ac denique ſumme Rev. D. Gœtzii obſervationes de reliquiis Adami & de iisdem Rev. Pauli Chriſtiani Hilſcheri epiſtola p. 53 ſqq. inſeruntur. Cumque ſint hæretici, quos Adamianos vocant, illorum

Digitized by Google

quoque mentio facta eſt p. 50. Proxima eſt *Eva*, de cujus Evangelio p. 95 legas, quemadmodum p. 97 variorum de primis Parentibus & eorum peccato commenta recenſentur p. 101. Claud. Duretus jactaſſe p. 102 ſcribitur, Prophetias Evæ conſcriptas a Raſiele Adami Angelo, qui forte, ut in Indice Capitum ſuſpicatur Autor, in animo habuit librum Raziel, de quo paulo antea. Quid de *Caini* & *Abelis* colloquio veteres tradiderint, intelligitur ex p. 104. *Abelis* liber de virtutibus planetarum affertur p. 112. *Caini* ſignum ad illuſtrandum Geneſ. IV, 15 Noſter ex libro III c. 4 Obſervation. ſuarum Sacrarum, quas in ſcrinio reconditas habet, & alias, v. c. p. 124, ad Codic. Apocr. N. T. allegavit, probatis primum aliorum ſententiis ita explicat, ut exiſtimet, hoc ipſum fuiſſe ſignum a Deo Caino datum, quod a nemine interficiendus nec interfectus fuerit Cainus. Poſtea de pœnitentia Caini p. 117, de menſuris & ponderibus ab eo repertis ibid. de morte ipſius p. 119, de ſeptem peccatis p. 123 nonnulla afferuntur. Adami filiæ v. c. Norea, Save, Aſuam &c. & filii Rocail ac Abdal Hareth ex Irenæi lib. I c. 34, Epiphanio hær. XXXIX c. VI & Herbeloto in Biblioth. Orient. p. 716 nominatim recenſentur. *Abelonii* hæretici verbis Auguſtini explicatis p. 134, *Ophitæ* vero, *Cajani* & *Sethitæ* ex Philaſtrio itidem notis eruditis illuſtrato p. 136 ſqq. in ſcenam producuntur. Succedit his *Sethus*, de quo ab Angelis edocto p. 141, *Dei Chriſtique* nomine inſignito p. 143, literis ab eodem inventis p. 146, binis, quas filiis ejus tribuunt, columnis p. 148. Aſtronomia librisque, quos Gnoſtici, Sethiani, Arabes, Æthiopes, Samaritani & Syri ipſi ſuppoſuerunt, p. 155 ſqq. fuſe agitur. De *Enoſo* & *Cainane* illius filio ſtrictim quædam commemorantur p. 157. Ampliorem dicendi materiam præbuerunt Prophetiæ Enochi, quarum fragmenta ipſa, jam aliquoties, ut ex p. 179 apparet, edita exhibentur p. 179 ſqq. poſtquam inde a p. 160 veterum Doctorum de iis teſtimonia allata fuiſſent, quibus p. 199 ſqq. ſelecta recentiorum judicia de iisdem adduntur. Non negliguntur ea, quæ de alio Henochi libro liber Zohar, Æthiopes, & de libris ejus triginta Arabes fabulati ſunt. v. p. 209. Literas quoque eidem nonnulli tribuunt p. 215, & formulam excommunicationis p. 220. Tandem varii de Enocho ſcriptisque ejus Scriptores p. 222, Preces vero ei ſuppoſitæ in Addendis memorantur. De *Mathuſala* Schola

p. 224

Digitized by Google

p. 224 ex Maimonide, ut & de Proverbiis ejus ex Judæorum Midraſch quædam leguntur. De jurejurando a filiis ac nepotibus *Semi* per ſanguinem *Abelis* præſtito ex Eutychio Patriarcha Alex. T. I Annalium p. 19 præcipitur p. 227 ſq. *Noachi* prædicatio ad homines antediluvianos eorumque deſcriptio ex Oraculis Sibyllinis affertur p. 229 ſqq. Eundem eſſe gentium Deucalionem, p. 240 monetur, ſicut orationis, quam in arca quotidie recitaſſe fertur, mentio fit p. 243. Sub Noacho Uranum, Solem, Ogygem, Janum, Oenotrium, Gallum, Proteum, Vertumnum, Xiſuthrum, item Puoncuum & Oannem', Leotzitzamum denique, Azonacem, Oſiridem, Bacchum, Prometheum & Saturnum latere ex nonnullorum ſententia, oſtenditur p. 249 ſqq. De ejusdem diris p. 261, alphabeto, columnis, methodo Geomantica &c. ut & Teſtamento p. 263 ſq. Noachidarum præcepta ſeptem cum aliis, quæ itidem commemorantur a Judæis, conſiderantur p. 268 ſqq. Hinc uxores nominatim recenſentur p. 271, una cum Sibylla Sambethe, Noachi nuru. Sequitur *Semus*, quem a Melchiſedeco diſtinguendum eſſe apparet ex p. 283 ſq. *Chami* prophetiam Iſidorum multum jactaſſe, ex Clemente Alexandr. lib. VI Strom. p. 642 oſtenditur p. 291, de ſuperſtitioſis Magicisque ejus artibus, ut & Aſtrologia p. 294. Num is Zoroaſter ſit, diſputatur p. 306 ſq. Excipit hunc *Japhetus*, qui a nonnullis *Japetus*, *Jopas* & *Neptunus* putatur, p. 308. Eum tertio non primo, ut putant, loco a Patre genitum, evincunt notæ ad p. 308. *Cainan* Arphaxadi filius Aſtronomiam ex columnis Sethigenarum deſcripſiſſe dicitur in Chronographia Joelis: v. p. 309, ſicut idem quoddam Gigantum ſcriptum inveniſſe memoratur a Syncello p. 80 Chronographiæ. Ea occaſione in notis p. 310 de Cainane Lucæ III, 36 memorato diſſeritur. *Melchiſedecus* huic proximus eſt, de quo narrationes Apocryphæ ex Athanaſio Tom. III p. 239, Suida & Chronico Paſchali p. 49 ſeqq. repetuntur. De eodem duodecim diverſæ Scriptorum ſententiæ enarrantur p. 329 ſq. & eadem opera mentio fit *Melchiſedecianorum* & *Athinganorum*. Tandem diverſi de Melchiſedeco Scriptores recenſentur p. 333, in notis vero ad p. 327 explicatur locus Hebr. VII, 3, ubi Melchiſedecus vocatur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, eo ſenſu, ut illius Patrem & matrem in Scriptura non laudari innuatur, ſicut ipſe etiam Apoſtolus v. 6 ἀγενεαλόγητον appel-

lat. De *Thara* proxime diſpicitur; variaque veterum loca de idolis ejus ab Abrahamo combuſtis afferuntur p. 336 ſq. De literis ab Abrahamo inventis p. 341, de eodem in ignem conjecto p. 344, libris a Perſis ei ſuppoſitis p. 349, Aſtrologia & Arithmetica p. 350 ſqq. anno Solari invento p. 379, Aſtrologia Apotelesmatica p. 380, de ſomniorum interpretatione ibid. lib. Jezira p. 381, de Magiæ modis & effectibus p. 390, lib. de idololatria p. 400 aliisque huc pertinentibus multa leguntur. Accedit commentatio de nomine ejus p. 418 ſqq. haruſpicina p. 421, & colloquio cum divite epulone p. 424, qua occaſione p. 426 locus Luc. XVI, 22 explicatur. De *Loto* narratio fabuloſa ex Annalibus Mich. Glycæ edit. Labbei p. 358 exſtat p. 428, ubi dum uxoris ejus *Edith* mentio injicitur, de columna ſalis, in quam illa abiit, diſſeritur p. 432 in notis. *Iſaacus* Judæis precum pomeridianarum Autor putatur: v. p. 433. *Jacobo Scala* & *Teſtamentum* tribuitur: v. p. 436 ſq. Hic inſeritur Joannis Lemovicenſis *Morale Somnium Pharaonis* a B. Jo. Chriſtophoro Wagenſeilio primo in calce epiſtolæ de Hydraſpide a ſe inventa editum: p. 441 ſq. Hoc abſolvitur epiſtolis variis, inter quas ſunt amœbææ Pharaonis & Joſephi. His ſuccedit p. 496 Jo. Erneſti Grabii præfatio ad *Teſtamenta XII Patriarcharum*, quæ ipſa p. 519 ex ejusdem editione in Spicilegio Patrum curata, exhibentur. Notitia variorum Codd. MSS. & editionum illorum Teſtamentorum habetur p. 758 ſq. Varios veterum Deos ex *Joſepho* ſecundum nonnullorum ſententiam effictos eſſe conſtabit ex p. 760, de cujus precatione varia veterum, v. c. Origenis ex Euſeb. Præparat. VI, p. 292 &c. teſtimonia leguntur. Joſephi colloquium cum uxore Potipharis ex Talmude Babyl. Tract. Joma c. 3 fol. 35 p. 771 Latine recitatur. Sequitur p. 774 hiſtoria *Aſſenath* filiæ Potipharis, Joſephi uxoris. Commemorantur & alia de Joſepho p. 785 ſqq. puta de *ſpeculo* ejus, libro Magico, interpretatione Somniorum, Etymologia nominis *Pſontomphanech*, &c. De *Jobo* præter additamentum ex verſione Græca Job. XLII, 17, *Teſtamentum* ipſi quamvis ex mendoſa forte lectione tribui ſolitum, affertur p. 759. Liber *Heldam* & *Modal* & utriusque nomina Num. XI, 26, 27 p. 801 fuſe conſiderantur, quibus poſt pauca de *Jethro*, Moſis ſocero, & *Bileami* prophetia p. 805 ſq. admonita, ſuccedit commentatio de *Janne* & *Jambre* ad illuſtrandum locum

2 Tim.

Digitized by Google

2 Tim. III, 8, p. 813 ſqq. Jungitur his *Moſes*, de cujus nominibus, ſapientia, literis, inventis &c. illuſtris Clementis Alex. locus affertur p. 825 ſq. Recenſentur deinde p. 833 libri de vita & morte Moſis a Gilb. Gaulucino Pariſ. 1629, 8 Hebr. & Lat. editi, quorum editio nova ſeorſim curanda promittitur p. 835. Libri alii, qui Moſi a Samaritanis, Judæis, Armenis &c. tribuuntur, ſtrictim recitantur p. 835. De Pſalmis ejusdem p. 837, de Apocalypſi p. 838, *ἀναβάσει* p. 839, Sermonibus myſticis p. 847, dictisque, quæ ipſi in ep. ad Hebr. & Clementis Romani ad Corinth. tribui videntur, p. 848 varia leges. His adduntur teſtimonia veterum diverſa de *Geneſi parva* cum fragmentis ipſius ex Cedreno potiſſimum depromtis. Poſtea de ſcriptis Chemicis Moſis, de numis ejus effigiem referentibus p. 864 ſqq. diſſeritur. *Mirjam*, Moſis ſorori, ſcriptum Chymicum a Georgio Syncello tribui, conſtat ex p. 869 ſq. *Joſuæ* Benedictio & precatio, quam Judæi עלינו vocant, p. 871 ſq. hinc ejusdem & Synedrii decreta cum terram ſanctam divideret, enarrantur p. 874. Fuſior vero commentatio eſt de *libro Joſuæ*, quem Samaritani jactant, p. 877, cujus capita ex Hottingeri Exercitatt. Anti-Morinianis apponuntur. Columnæ a Cananæis Joſuæ dedicatæ ex Procopii Vandalicis lib. II c. 20 excitantur p. 889 ſq. *Phineæ explicatio Nominum ſacrorum* ab Hebræis laudatur: v. p. 893. *Samuelis* Prophetæ lib. de jure Majeſtatis ex 1 Reg. X confictus memoratur p. 895. Deinde p. 896 ſqq. Prophetides VII & XLVIII V. T. Prophetæ, qui geſta Regum Iſraelis & Judæ in commentarios retulerunt, ex loco Hypomneſtici MS. Joſephi Scriptoris Chriſtiani recenſetur p. 902. Heman & Ethan tanquam autores Pſalmorum 88 & 89 comparent p. 904. Davidis Pſalmus CLI cum Metaphraſi Apollinaris & Olympiæ Fulviæ Moratæ legitur p. 905 ſqq. Sequitur Pſalterium Salomonis p. 914 ſqq. cum verſ. Lat. ſed interdum caſtigata & notis integris Jo. Ludov. de la Cerda, qui ad calcem Adverſariorum Sacrorum Lugd. 1626 fol. rejecerat. Colloquium Davidis cum Deo de ſui probatione ex Cod. Sanhedrin Lat. legitur p. 1000 & aliud de bonitate amentiæ ibidem p. 1002, item aliud de ædificatione templi p. 1004. De Conſtitutionibus ejus quibusdam non ſcriptis, ut & de ſcuto Davidis contra incendia a Judæis oſtentato p. 1006 ſq. De Nathane quædam traduntur p. 1011, de Numis Davidis & Salomo-

nis p. 1013, de literis Syris & libris quibusdam Salomoni tributis & antiqua verſ. Syra p. 1014 ſq. libro Sapientiæ p. 1018, de epp. Salomonis & Hirami amœbæis p. 1020 aliisque pluribus. Idem a Scepticiſmo vindicatur p. 1057, in Obſervatt. Hallenſ. Tom. VIII, 13 ipſi præter rationem imputato. Attexuntur quædam p. 1063 de ſepulchris Davidis, & Salomonis Apocalypſis *Eliæ* commemoratur p. 1072, ut & ep. ad Joramum Regem miſſa p. 1075, & in notis p. 1077 error Judæorum & Patrum quorumdam Eliam ante extremum diem exſpectantium notatur. Traditio denique Eliæ de mundo per ſex millenarios duraturo recolitur p. 1079. *Elias* quidam junior laudatur p. 1085. Progreſſio fit ad *Jeſaiam*, de cujus ὁράσει apocrypha & ἀναβάσει p. 1086 ſqq. veterum teſtimonia exſtant. De locis Biblicis, quæ ex Jeremiæ Apocryphis petita nonnullis videntur, exponitur p. 1102 ſq. De *Barucho* & *Habacuco* p. 1116, de *Ananiæ*, *Azariæ & Michaelis* libello de jejunio p. 1117 leges. *Ezechielis* Prophetia Apocrypha indicatur p. 221. *Danielis* vita & prophetia Apocrypha p. 1124, ſomniorum interpretatio ejusdem p. 1130, Prognoſticon Syriacum p. 1136, viſiones ibid. *Sophoniæ* Prophetia ſubdititia p. 1140 & ſcriptum ἀπόκρυφον in *Zachariæ* ſepulcro inventum p. 1142 allegatur. De *Esdræ* conſtitutionibus, benedictionibus, precibus, autographis Bononiæ & alibi jactatis, libro Esdræ III & IV, libris ejus 70 qui ex CCIV ſupereſſe finguntur, de reſtitutis ab eo, ut quidam putant, Pentateucho & libris Propheticis, de literis Hebr. vocalibus, Maſora ac diſtinctione in capita & verſus ab eodem repertis, Apocalypſi & aliis permulta præcipiuntur p. 1145-1162. De Bibliotheca ſacra a *Nehemia* inſtaurata ex 2 Maccab. II, 13 vide p. 1163. Per πτολεμαϊκα in Synopſi Scripturæ, quæ in Opp. Athanaſ. exſtat, memorata, ſuſpicatur Cl. Autor p. 1164 intelligendum librum MS. de rebus Alexandri M. qui in nonnullis Biblioth. exſtat Hebr. ſub Ptolemæi nomine. Calcem occupat מגלת אנטיאוכוס ſive Hiſtoria Antiochi Epiphanis ex verſ. Lat. Julii Bartoloccii, in cujus Bibl. Rabbin. T. I p. 383 Hebr. & Lat. exſtat.

JO. ALBERTI FABRICII BIBLIOGRAPHIA Antiquaria, ſive Introductio in notitiam Scriptorum, qui Antiquitates Hebr. Græcas, Romanas, Chriſtianas ſcriptis illuſtrarunt.

Hambur-

Hamburgi & Lipſiæ, impenſis Chriſtiani Liebezeit, 1713, 4, Alph. 3 plag. 8.

CUm non utile minus, quam vaſtum ſit Antiquitatis ſtudium, conſultum putavit Celeberr. Autor, Auditores ſuos primum in privatis Scholis per Bibliographiam hanc Antiquariam in notitiam Scriptorum qui huc pertinent, manu quaſi deducere, nunc vero eandem, ſecundis curis ex incredibili lectionis apparatu auctam in publicam lucem proferre. In quo quidem inſtituto ita verſatus eſt, ut non Univerſales ſolum Scriptores aut generalia antiquitatum capita percenſeret, ſed ſpecialia quoque & raro obvia tangeret, atque illis inſtrueret Scriptoribus, qui illa in voluminibus alii argumento deſtinatis data occaſione cum cura expoſuerunt. Commentarius totus cap. 23 abſolvitur, quorum I Scriptores Antiquitatum Hebraicarum Generales ſiſtit, qui poſt Sacras literas earumque Interpretes merito habentur Philo, Joſephus, Talmud utrumque, de cujus editionibus, interpretationibus, verſionibusque variis curate præcipitur §. 2 & 3. Huc pertinent Syſtemata a Chriſtianis Scriptoribus edita §. 5, promiſſa a Balth. Schedio, Joſua Arndio & Rev. Theod. Daſſovio §. 7, compendia item §. 8 & deſcriptiones rituum recentium Judæorum §. 10. Claudit hoc caput delineatio Theſauri Antiquitatum Hebraic. Thyſiaſteriologiæ B. Gothofredi Voigtii olim præmiſſa & nunc amplificata. Caput II Scriptores de Ægyptiorum §. 1, Perſarum §. 2, Carthaginienſium §. 3, Germanicarum §. 4, Græcarum §. 5, 6, ſpeciatim Laconicarum §. 7, Atticarum §. 8, &c. enumerat, ſubjecto in calce Indice Theſauri Antiquitatum Græcarum Gronoviani. Cap. III complectitur Scriptores Antiquitatum Romanarum Generales cum ante Roſinum hoc opus aggreſſos, tum Roſinum ipſum, Dempſterum, & Andr. Schottum alioſq; uſq; ad §. 6, Scriptores Miſcellaneorum §. 7, 8, 9. Additur Index Theſauri Antiquitatum Græviani §. 10 & Index Alphabeticus Scriptorum, qui in utroque Theſauro Antiquit. Græc. & Romanarum exſtant §. 11. Cap. IV Scriptores Generales Antiquitatum Chriſtianarum repræſentat, quo referuntur Lexica Antiquitatnm Eccleſiaſticarum §. 1, Syntagmata & compendia §. 2, Scripta de Romanæ & Occidentalium Eccleſiarum ritibus §. 3, de ritibus Eccleſ. Græcæ §. 4, de vita & moribus veterum Chriſtianorum &c. Annexa

eſt §. 11

§. 11 delineatio Theſauri Antiquitatum Eccleſiaſtic. olim Thyſiaſteriologiæ B. Gothofr. Voigtii præmiſſa, nunc auctior: quam claudit Catalogus locupletiſſimus librorum recentis Græciæ, quos venales habet Bibliopola Venetus Nicolaus Sarus, p. 116 ſq. Cap. V. commemorat Scriptores veterem Geographiam ac Chorographiam illuſtrantes, ſpeciatim eos qui Terram Sanctam ac Hieroſolymam delinearunt §. 4 5, Geographos antiquos Græcos §. 7, Latinos §. 8, Tabulas Geographicas §. 9, Lexica Geographica §. 13 & Geographiæ veteris Eccleſiaſt. Scriptores §. 16. Cap. VI eorum meminit, qui veterem urbem Romam vel generatim vel ex parte deſcripſerunt, additis nonnullis §. 14 de CPoli nova Roma. Cap. VII revocat in memoriam Scriptores, qui Chronologiam Technicam & Hiſtoricam tradiderunt, quales ſunt Euſebius §. 3, & poſt eum Chronologi multi Græci §. 4, & Latini §. 5, ut & Arabes §. 6. Hac occaſione index locupletiſſimus diverſarum ſententiarum de anno Chriſti Servatoris natali p. 187 affertur, inter quas prima R. Lipmanni ortum Chriſti in A. M. 3616, ultima, quæ eſt Jo. Mulleri Regiomontani, in 6484 refert. Jungitur huic p. 199 Specimen Ideæ Chronologico-Hiſtoricæ rerum præcipuarum per ſex annorum millenarios digeſtarum. Cumque in Hiſtoria Attica veteri notitia diſtincta Archontum eximium uſum præſtet, optimo conſilio ſeries Regum Atticorum inde a Cecrope & Archont. literarum ordine diſpoſita, & cum annis primo Periodi Julianæ deinde vero ipſarum Olympiadum collata ex Henr. Dodwelli commentario de Cyclis exhibetur p. 209. Sic ſimili inſtituto p. 219 Catalogus alphabeticus Pontificum Romanorum e propylæo Maji Papebrochiano repetitur. Cap. VIII mentionem facit Scriptorum de Diis & quæ huc pertinent, ubi §. 22 ex Antonii Macedo libro de Diis tutelaribus Orbis Chriſtiani, Sancti & Sanctæ variarum regionum Præſides recenſentur, ſicut §. 20 & 21 ex mente Gentilium de Diis tutelaribus certarum regionum, urbium, artium rerumque variarum præſidibus diſſeritur. Porro de Patronatibus & præfecturis Sanctorum ſuper certa vitæ genera ex ſententia Eccleſiæ Romanæ §. 23, de Apotheſi §. 24, de Canonizatione Sanctorum §. 25, de Geniis Laribusque §. 27, de cultu Angelorum, Sanctorum, Euchariſtiæ, crucis, imaginum & reliquiarum apud Chriſtianos diſſeritur

Digitized by Google

ſcritur. Cap. IX perſequitur Scriptores de Templis, Altaribus, locisque ſacris & aſylis Judæorum, Ethnicorum & Chriſtianorum. Cap. X Scriptores de Feſtis Judæorum, Ethnicorum & Chriſtianorum, Cap. XI de ſacrificiis, precibus, concionibus, aliisque ſacris diſciplinis, & cerimoniis eorundem, v. c. de pœnitentia publica, proceſſionibus ſacris, peregrinationibus religioſis, jejuniis, flagellationibus &c. commendantur. Cap. XII ſcripta de divinationibus, vatibus, miraculis, magia, juramentis & votis. Cap. XIII ſcripta de Sacerdotibus, Ordinibusque ſacris, Monachis & Beneficiis Eccleſiaſticis, XIV de Republica ac Magiſtratibus variarum gentium, XV de Legibus, Comitiis, Judiciis, pœnis, ſervisque, ut & de ſanctionibus & judiciis Chriſtianorum Canonicis ac Synodicis, XVI de reditibus, cenſu, decimis, primitiis, vectigalibus, ærario, ſalariis, immunitate, teſtamentis, nundinis, auctionibus, numis, uſura, abaco, menſuris ac ponderibus enarrantur. Cap. XVII Scriptores de re militari & nautica veterum, cap. XVIII de re veſtiaria, cap. XIX de conviviis & re cibaria, cap. XX de nuptiis, puerperio, natalitiis, familiis & nominibus Hebr. Græc. & Romanorum, cap. XXI de inſtitutione, Scholis & re literaria, cap. XXII de veterum ludis, luxu, ædificiis, ſupellectile, ſtatuis ac monumentis afferuntur. Colophonem denique imponunt cap. XXIII illi, qui de luctu, funeribus, exſequiis, conſervandorum cadaverum ratione & monumentis ſepulchralibus commentati ſunt. Atque hæc Scriptorum copia non tralatitio aut tumultuaria opera, ſed habito delectu ſingulari collecta eſt. Accedit in calce Mauricii Senonenſis Carmen Elegiacum, de Miſſa, non politum illud quidem at pro ratione ſeculi, quo ſcriptum eſt, non plane contemnendum. Verſus illi, antea non editi, ex Codice membranaceo vetuſto, in quo Anſelmus Cantuarienſis de ſacrificio & alia quædam hujus generis leguntur, a Noſtro depromti ſunt. Mauricius hic idem videtur Celeb. Editori, qui apud Arvernos natus vulgo Petri Venerabilis nomine venit, obiitque anno 1156, cum præter nominis & patriæ Galliæ convenientiam carmina illius, quæ Tomo XII Biblioth. Patrum edit. Lugdun. leguntur, cum his ejusdem ſint genii. Senonenſis videtur appellari, quod fortaſſe tunc cum iſta ſcriberet, apud Senonenſes commoratus fuit.

Digitized by Google

THE SCRIPTURE-DOCTRINE OF THE Trinity.

i. e.

DOCTRINA SCRIPTURÆ S. DE S.S. TRINITATE, Partibus III. Quibus omnes Textus N. T. ad hanc Doctrinam ſpectantes, & præcipua Liturgiæ Eccleſiæ Anglicanæ Loca collecta, inter ſe comparata & explanata ſiſtuntur; Autore SAMUELE CLARKE, S. B. D. Rectore Eccleſiæ S. Jacobi Weſtmonaſterienſis, & Sereniſſimæ Reginæ a ſacris ordinariis.

Londini, apud Jac. Knapton, 1712, 8.

Alph. 1 plag. 13.

CUjus in Philoſophicis & Mathematicis merita in rem literariam non uno loco laudavimus, V. Cl. Samuel Clarke nunc quoque in Divinioribus literis, in re, ſi qua eſt, maxime hoc tempore controverſa, nobis eſt memorandus. Is igitur in Introductione ſatis ampla Operis præſentis, quæ unica inter Proteſtantes debet eſſe Fidei regula, Scripturam S. poſthabitis omnibus recentiorum ſymbolis, hypotheſibus, explicationibusque, ſibi quoque unice in re tot controverſiis vexata fili Ariadnei inſtar viſam fuiſſe; ac quæ matura conſideratione ex ea evidenter ipſi vera apparuerint, in hoc veluti ſyſtema compacta eſſe, docet, neutiquam eorum habita ratione, qui vel minus neceſſariam hujus doctrinæ inquiſitionem vel cœca fide veterum deciſionibus formulisve immoriendum eſſe arbitrentur. Tribus totum Opus conſiſtit Partibus, quarum prima univerſa Scripturæ N. T. loca, quæ ad doctrinam de Deo & S. Trinitate ſpectant, collecta, ac, ſicuti opus eſſe videbatur, modo brevius, modo amplius, addito etiam nonnunquam paralleliſmo Patrum, explicata repræſentat. Capite *primo* habes ea
Pag. 1-7. quæ de Deo Patre agunt, ordine hoc: I. Loca, in quibus Pater *unus*
8-50. vel *ſolus Deus* dicitur. II. Ea dicta, quæ Patrem abſolute *Deum* ve-
13. ſqq. luti κατ' ἐξοχὴν nominant, inter quæ a Noſtro etiam refertur locus Act. VII, 3, 4, ubi τοῦ θεοῦ nomen non Spiritui S. tribui vult, ſed Athanaſium ſecutus, ſenſum eſſe dicit, τὸν τῷ ἁγίῳ πνεύματι ψευσάμενον ψεύσασθαι τῷ θεῷ τῷ κατοικοῦντι ἐν ἀνθρώποις ΔΙΑ ΤΟΥ ΠΝΕΥ-

Digitized by Google

ΠΝΕΥΜΑΤΟϹ ΑΥΤΟΥ, veluti 1 Sam. VIII, 7, Luc. X, 16, 1 Theſſ. Pag. 50-68.
IV, 8. III. Loca, in quibus Pater Deus appellatur, additis quibuſ-
dam ſupremis titulis, epithetis, attributisve, quæ licet plurima non
ſint incommunicabilia, attamen in N. T. ut plurimum, ſi non ſem-
per, Perſonæ Patris unice tribuuntur, inter quæ recenſet Noſter ap-
pellationem μεγάλου Θεοῦ, Tit. II, 13, τοῦ μόνου δεσπότου Θεοῦ, Judæ 59.
v. 4, nec non τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ, 1, Joh. V, 20 & Κυρίου τοῦ Θεοῦ τοῦ 61, 63.
παντοκράτορος, Apoc. I, 8. IV. Loca, in quibus docetur, omnes
preces euchariſtiasque *primario* Patri eſſe offerendas, omniaque ul- 69-83.
timato ad ejus honorem & gloriam dirigenda. Caput *ſecundum*
Scripturæ dicta de Filio Dei collecta ſiſtit: I. Ea, in quibus *Deus*
appellatur, quo referuntur & vindicantur loca Matth. I, 23, Luc. 84-88.
I, 16, 17, Joh. I, 1, XX, 28, Rom. IX, 5, quanquam hic dubie,
& alia. II. Illa, in quibus mundus per Filium factus dicitur, ubi impri-
mis urgetur phraſis ΔΙ' ΑΥΤΟΥ ex Euſebio de Eccleſiaſt. Theol. L. I 89-92.
C. 20. III. Ea, quæ Filio alios ſupremos titulos, & perfectiones & 93-131.
facultates adſcribunt, ubi adducitur & a Sociniana στρεβλώσει vin-
dicatur locus Joh. VIII, 58, ac conceditur, ſingularem rationem
loquendi: ἐγώ εἰμι pro ἐγὼ ἦν, poſſe innuere peculiarem illam exi- 98, 99.
ſtentiæ a Patre derivationem, ſed, qui inde voluerit deducere, Fili-
um eſſe abſolute τὸν ὄντα, Ens a ſe ipſo exiſtens, eum manifeſto
committere Sabellianiſmum, fidenter pronunciatur. Ita Joh. X, 100.
30, τὸ ἕν de eadem *Poteſtate* explicatur. Et Joh. XII, 41, quod ἡ
δόξα τοῦ υἱοῦ dicatur viſa eſſe ab Eſaia C. VI, id inde fieri dicitur, quod
Eſaias viderit gloriam Patris, *in qua* venturus erat aliquando filius, 102-105.
Matth. XVI, 27, qui ex univerſali conſenſu Patrum, in V. T. ſemper
nomine Patris apparuerit. Simili modo prolixe exponitur locus 106-111.
Joh. XIV, 7, 8, 9, 10, 11, vulgata Theologorum ſententia de περι-
χωρήσει intima per verba: ἐγώ εἰμι ἐν τῷ Πατρὶ καὶ Πατὴρ ἐν ἐμοί,
adumbrata, non admiſſa. IV. Loca, quæ honorem & adorationem 131-143.
Filio debitam exponunt, ut: Matth. XXVIII, 19, Joh. V, 23, ubi τὸ
καθὼς non paritatem honoris, ſed æqualitatem rationis innuere
vult Noſter, & alia multa. V. Loca, in quibus ſubordinatus dicitur 144-196.
Patri, exiſtentiam ſuam incomprehenſibili quadam ratione a Pa-
tre derivans, ab eo divinam ejus poteſtatem, autoritatem aliaque at-
tributa accipiens, & in omnibus penitus ex voluntate Patris agens,

Digitized by Google

ubi loca Marc. XIII, 32, Joh. XIV, 28, Phil. II, 5-11, prolixe
perſequitur, ac circa Col. I, 15 monet, quam caute Paulus filium
Pag. 182. nominet non πρωτόκτιςον, ſed πρωτότοκον πάσης κτίσεως, quamque prudenter Patres Ante-Niceni hanc cautionem ſint imitati, inter quos Origenis dictum, L. V contra Celſum p. 257, ubi Filium di-
184. cit πρεσβύτατον πάντων τῶν δημιουργημάτων, ita exponit, ut δημιούργημα ipſi latius aliquid ſit, quam κτίσις, ac eodem fere ſenſu accipiatur, quo Athanaſius in Libro contra Gentes Deum Patrem dixit δημιουργὸν πάσης ὑποςάσεως. Capite tertio loca exhibentur
197-200. de Spiritu S. & quidem I. ea, quæ Spiritum S. repræſentant tanquam autorem & operatorem miraculorum omnium etiam ab ipſo Chriſto factorum, & tanquam ipſius Chriſti in diebus carnis ho-
201-207. deguni. II. Ea, in quibus, Spiritus S. dicitur inſpiraſſe Prophetas & Apoſtolos, eosque gubernaſſe in toto ipſorum Miniſterio, quo refertur locus Act. XXVIII, 25, 26. III. Loca, in quibus dicitur ſan-
207-212. ctificare corda, & pios in officiis pietatis confortare & conſolari.
212-217. IV. Illa, in quibus alia ſummi gradus axiomata ipſi tribuuntur, v. g. Matth. XII, 31, 32, ubi blaſphemiam in Spiritum S. nihil aliud eſſe, niſi Phariſæorum adverſus miracula Chriſti per Spiritum S. facta malitioſam repugnantiam, nec niſi in Judæos ejus temporis cadere potuiſſe, exiſtimat; 1 Cor. II, 10, ubi tamen τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ de myſteriis Evangelii tantum accipit ex collatione Rom. XVI, 25,
217. ſqq. Eph. I, 9 & III v. 3, 5, 9 & Col. I, 26. V. Dicta Scripturæ, quæ honorem Spiritui S. debitum declarant, & quomodo ſanctis ejus mo-
219-225. tibus non ſit repugnandum, ſed obediendum. VI. Loca, quæ Spiritum Patri ſubordinatum eſſe, ab eo exiſtentiam ſuam derivare, ab eo mitti, & in omnibus ex ejus nutu & voluntate agere demon-
226-228. ſtrant. VII. Ea, quæ Spiritus erga filium ſubordinationem innuunt.
229-239. Caput *quartum* loca colligit, in quibus tres S. Trinitatis Perſonæ conjunctim memorantur. Pars ſecunda operis totam doctrinam ex his Scripturæ locis collectam, & deductam, diſtinctis LV Pro-
241 ſqq. poſitionibus explanat, quæ quidem eo redeunt: Unam eſſe omnium rerum ſupremam cauſam, autorem omnium Entium, omnisque poteſtatis fontem, Patrem, cum quo inde ab initio exſtitere duæ divinæ Perſonæ Filius & Spiritus S. quorum metaphyſicam naturam, eſſentiam & ſubſtantiam Scriptura nusquam declaraverit, ſed

per

Digitized by Google

per characteres perſonales, officia, facultates & attributa diſtinxerit: Patrem ſolum eſſe a ſe ipſo, ἀγέννητον, autorem & principium omnium, quæ fiunt a Filio & Spiritu, ſolum abſolute, Θεὸν ἐπὶ πάντων, eumque ſolum, ubi Scriptura *Unum* vel *Unicum* Deum memoret, vel abſolute Deum, vel additis κατ' ἐξοχὴν epithetis, ſolum, inquam, ibi eſſe intelligendum, quod poſtremum innumeris Patrum Ante-Nicenorum & ſequiorum locis illuſtrat. Filium non a ſe ipſo exiſtere, ſed exiſtentiam & eſſentiam, nec non attributa a Patre tanquam ſuprema cauſa derivare, quod quo modo, quave metaphyſica ratione fiat, cum Scriptura nusquam diſtincte declaraverit, neminem debere ita eſſe temerarium, ut decidat, (quod eleganti dicto Irenæi ex L. II C. 48 illuſtratur, ubi ille eam Filii ſive *prolationem*, ſive *generationem*, ſive *nuncupationem*, ſive *adapertionem*, aut quocumque quis nomine vocaverit generationem ejus, inenarrabilem exiſtentem, neminem noviſſe fatetur, qua occaſione ſimul egregie a Noſtro monetur, altum hic apud Irenæum de *creationis* voce eſſe ſilentium.) Itaque æque cenſura dignos eſſe, qui filium ἐξ οὐκ ὄντων eſſe docuerint, & qui αὐτόθεον crediderint, cumque Scriptura in memoranda derivatione Filii a Patre, nusquam addat temporis limitationem, ſed ſemper ſupponat aſſeratque, fuiſſe eum ab initio, ante omnia ſecula, merito caſtigatam fuiſſe eorum, qui docuerint, ἦν ὅτε οὐκ ἦν, temeritatem. Neque, num Filius exiſtentiam ſuam a Patre habeat ex neceſſitate naturæ vel arbitrio voluntatis paternæ, ex Scriptura conſtare luculenter, (quanquam ad poſterius Cl. Autor cum Patribus Ante-Nicænis plurimis magis inclinet,) certe tamen λόγον iſtum ſive filium neutiquam, ut Tatiano, Theophilo, Athenagoræ, & poſt Nicænam Synodum nonnullis viſum eſt, fuiſſe Patris λόγον ἐνδιάθετον, ſed veram & diſtinctam Perſonam. Spiritum S. non eſſe a ſe ipſo, ſed exiſtentiam eſſentiamque ſuam derivare a Patre per Filium, tanquam a cauſa ſuprema, idq; *ab initio*, cum Scriptura de Spiritu S. loquens nusquam adjecerit limitationem temporis, qua quidem & ipſa de modo metaphyſico, quo Spiritus S. exiſtentiam a Patre habet, penitus ſilente, nemo temere ea de re quicquam debeat aſſerere, id tamen certum eſſe ex Scriptura, Spiritus S. appellationem plerumque ibi non notare facultatem aut operationem Patris, ſed realem Perſonam. Eos igitur, qui

P. 246-270. | 270 ſqq. | 273. | 276 ſqq. | 280 ſqq. | 287 ſqq. | 289. ſqq.

P. 292 ſqq. non omni ſtudio characteres hos perſonales obſervent, ſed ἀνθολ-
κῆς adverſus Arianiſmum exceſſu, Filium & Spiritum S. individualiter cum Patre Ens a ſe ipſo exiſtens conſtituere, doceant, cum verbis videantur nomen Filii & Spiritus S. glorificare, re vera ipſam eorum exiſtentiam tollere, ac invitos in Sabellianiſmum prolabi, qui idem ſit cum Socinianiſmo. Ceterum nomen Dei in N. T. aliquoties Fili-
296. um notare, at id non tam ex ratione ſubſtantiæ ipſius metaphyſicæ quantumvis divinæ, quam attributorum & autoritatis in relatione ad nos, (ſub qua ratione ipſi Patri Dei nomen tribui in Scriptura
297 ſqq. Autor putat,) creationem vero mundi per ipſum & alia ſumma ac diviniſſima quæque Filio tribui præter abſolutam independentiam, quam communicabilem dicere contradictionem in terminis
301 ſqq. implicet. Sic Spiritui quoque Sancto magna quæque in operationibus miraculorum, Chriſti in diebus carnis gubernatione, inſpiratione Apoſtolorum, ſanctificatione fidelium, ac multo majora, quam ulli Angelorum vel Creaturarum tribui, at nomen Dei nusquam in Scripturis perſonam Spiritus S. ſignificare, (quod ea de cauſa fieri arbitratur V. Cl. quod, quantumvis divina ejus ſit natura, ex tenore tamen œconomiæ ſalutis Spiritus S. nusquam repræſentetur, tanquam ſedens in throno, vel ſupremum dominium aut judicium exercens, ſed, veluti voluntatem Patris & Filii in admini-
296, 297. ſtrando Eccleſiæ regimine exequens, cum Dei nomen in Scriptura ex horum attributorum ratione cumprimis fluere, Autor jam ſupra aſſeruerit.) Nomen porro Dei in Scripturis nunquam notionem
304. complexam plurium una Perſonarum deſignare, ſed ſemper non
305 ſqq. niſi unicam Perſonam, vel Patris, vel Filii. Filium vero in hoc Patri
313. manifeſto eſſe ſubordinatum, quod eſſentiam ab ipſo acceperit, in
322, 330. omnibus tantum poteſtate Patris ſibi communicata, ex ejus voluntate & autoritate, denique ad gloriam ejus egerit ſemper, agat-
332. que, & in diebus carnis ad eum preces gratiasque direxerit, Deumque ſuum appellaverit. Unde, cum Scriptura Patrem pariter De-
333. um appellet, & Filium, neque tamen niſi unum Deum aſſerat, id eo fieri, quod in Monarchia Univerſi non ſit niſi una autoritas originalis in Patre, derivata in Filio, cum poteſtas Filii non ſit alia oppoſita poteſtati Patris, vel illi coordinata, ſed ipſa Patris poteſtas, communicata, manifeſtata & exercita in Filio.

Spiri-

Digitized by Google

Spiritum S. quoque ob derivationem eſſentiæ Patri, ob voluntatis Pag. 349 ſq.
adminiſtrationem Patri & Filio manifeſte eſſe ſubordinatum. Ho- 372-366.
norem itaque abſolute ſupremum ſoli deberi Patri, preces & eucharistias primario & ultimato ad eum dirigendas, omnemque honorem Filio, qui nos redemit, & Spiritui S. qui nos ſanctificat, datum finaliter in Patrem tendere debere: Filio iſtum honorem non
tam reddendum ob metaphyſicam ipſius eſſentiam & abſtracta at- 372.
tributa, quam ob actiones ejus & attributa, quæ ad nos referuntur.
Spiritui S. deberi Baptizationem in nomine ejus, votum gratiæ & 375 ſqq.
pacis ab ipſo, jurejurandi per ipſum præſtiti religionem, precum & ſupplicationum ad eum dirigendarum clarum præceptum vel exemplum in Scripturis non reperiri, poſſe tamen ſecundum analogiam eas defendi. Huc fere redit ſumma ſyſtematis a Clariſſimo Autore compoſiti, quod, cum in non paucis a tradito in vulgus doctrinæ typo haud paululum abludat, Parte tertia conatus eſt Reverendus Autor cum Liturgia Anglicanæ Eccleſiæ conciliare, ex qua primo Capite vaſto numero conſarcinavit loca, quæ hunc τρόπον διδάξεως vel expreſſe aſſerunt vel ſupponunt. Altero vero Capite ea explanare aggreſſus eſt loca, quæ ab iſta doctrina abhorre-
re videntur, qualia ſunt Doxologia Patri & Filio & Spiritui S. fieri 415 ſqq.
ſolita, quam, quanquam defendi poſſe concedat Noſter, optat tamen
ad antiquam formam per Filium in Spiritu S. reduci: complura 418-446.
vero loca Symboli illius, quod Athanaſianum vulgo audit, cum
non niſi violenter excuſari poſſe videat, optat Cl. Autor fœtum 447-453.
hunc ſequiorum Seculorum, iis verbis compoſitum, ut rudioribus vel Sabellianiſmum vel Tritheiſmum queat ingenerare, anathematibus durioribus in diſſentientes gravem, Viris etiam magnis ſcandaloſum, omnibus certe non neceſſarium viſum, (quippe quo per 800 annos Eccleſia caruerit,) ex unanimi Commiſſionis Eccleſiaſticæ ſub Guilielmo III olim congregatæ, conſenſu, aliorumque multorum mente, Scripturæ non amplius ſuperinduci, ſed penitus in Eccleſia Anglicana abrogari. Similia circa Litaniam, quæ glorioſam Trinitatem, tres Perſonas, & unum Deum invocat, Symbolum Nicenum, aliaque Liturgiæ capita moneri facile quisque divinat, ut noſtro indicio id non indigeat. Omnia vero ubique compluribus Patrum, etiam Athanaſii, Baſilii, Hilarii, Gregoriorum, alio-

rumque

rumque locis,non tam probantur, ut ipſe Autor in Præfatione monuit,quam illuſtrantur,eaq;, ut vim veritatis a Viris ſæpe alia omnia aſſerentibus tamen agnitæ in illis exhiberet, ab Autore adducuntur.

THEOLOGIÆ MORALIS SUMMA, AUTORE CLEMENTE PISELLI ab OLIBANO, Clericorum Regul. Minorum, in Romano Sapientiæ Archigymnaſio Ethicæ Profeſſore.

Romæ, typis Bernabo, 1710, 8.
Alph. 3 plag. 4.

QUamvis Scriptorum moralium plurima jam exſtent volumina, ſupervacaneam tamen operam ſe haut impenſurum eſſe credidit doctiſſimus Piſelli, ſi Theologiam Moralem ob inſignem admodum utilitatem in compendio aliquo rurſus exhiberet. Ne autem actum agere videretur, ſed ut, quod ad juvandam memoriam deſiderari videbatur,commode ſuppleret, pro ſingulis materiis duo per diſtinctiones reſtricta theoremata propoſuit, illa ratione quadam confirmavit,& quomodo ex iisdem ſinguli caſus facile enodari poſſint,grata brevitate oſtendere conatus fuit. De quibus ut benevolo Lectori eo melius conſtare queat, unicum exemplum ex hujus libri Part. I tract. 7 cap. 4 ſpeciminis loco in medium adducemus. In hoc capite,quod de occiſione innocentis agit, Autor noſter ſequentia duo theoremata proponit: *Si occiſio innocentis ſit directe, eſt illicita ſemper: ſi ſit indirecte, eſt illicita quoties non concurrit neceſſitas urgentior; alias eſt licita.* Ex his theorematibus, poſtquam ea ratione quadam ſtabilivit, qui caſus reſolvi poſſint, oſtendere aggreditur Autor, demonſtrans, innocentem non poſſe occidi, ſi tyrannus minetur civitati excidium, niſi cives occiderint innocentem; ſimiliter nec poſſe trucidari obſides datos a tyranno, etiamſi hic non ſtet pactis, nec aliter ejus tyrannis coerceri poſſit, quia in utroque caſu occiſio innocentis fieret directe: poſſe autem tradi innocentem, quamvis conſtet illum eſſe occidendum, ſi tyrannus minetur civitati excidium, niſi cives ei tradant innocentem, quia ejus occiſio reſpectu civium fieret indirecte, & ſalus publica eſſet præferenda privatæ; item cives permittere poſſe, ut a tyranno occidantur obſides tali quando pro iis liberandis ſtandum eſſet pactis

contra

contra bonum commune,quia tunc etiam in eorum indirecta occiſione concurreret neceſſitas urgentior: licere alicui conculcare infantem baptizatum in anguſto calle jacentem, ſi quis non poſſit aliter evitare mortem, quam ſi per eundem callem fugiendo ipſum infantem conculcet; quia cum occiſio hujus fiat indirecte & vita propria ſit alienæ præferenda, concurrat neceſſitas urgentior: non autem idem licere,ſi infans non ſit baptizatus,quia,licet ejus occiſio fiat indirecte, cum tamen ſalus ſpiritualis infantis utpote ordinis ſuperioris ſit præferenda ſaluti temporali propriæ, neceſſitas, quæ tunc concurrit, non ſit urgentior: licitum eſſe mulieri gravidæ, ſi ejus vitæ periculum immineat, accipere pharmacum periculoſum fœtui (dummodo huic non ſit mortiferum) quia, ſi ſequatur mors, fœtus occiſio fiat indirecte, & mors immineat tam matri quam fœtui, ſitque minus malum unius quam utriusque mortem permittere: minime vero id licitum eſſe, ſi moriente matre ſperetur fœtus educendus vivus ac baptizandus, quoniam, cum ſalus ſpiritualis ſit præferenda ſaluti temporali matris, neceſſitas, quæ tunc concurrat, non ſit urgentior. Placuit autem Autori hanc Theologiæ Moralis Summam in tres partes diſpeſcere, ac in earum prima de præceptis, in ſecunda de Sacramentis, in tertia de cenſuris agere, cum juxta ipſius ſententiam tota Theologia Moralis ex præceptis, tanquam regulis, ex Sacramentis tanquam mediis, & ex cenſuris, tanquam remediis ad recte operandum conſtet; eidemque geminum indicem, quorum prior ſummam tractatuum & capitum, poſterior vero rerum notabilium exhibet, adjicere.

JOANNIS SARTORII, ELOQ. ET POES. IN Athenæo Gedanenſi P. P. de Hypocriſi Gentilium circa cultum Deorum Schediaſma literarium.

Lipſiæ, impenſis I. L. Gleditſch & M. G. Weidmanni, 1713, 4.
Plag. 22.

Religionem *omnem* vulgi *duntaxat* frenum eſſe ac terriculamentum, licet impia ſit & a vero averſa ſententia, illud tamen negari non poteſt, religione omnino ad plebem quoque coercendam opus eſſe, ſatiusque eſſe, falſam habere, quam nullam, in rep. religionem. Nec illud falſo ſtatuitur, quaſdam religiones politico-

rum ingenio deberi, pietatis ſpeciem ſuæ imperandi cupiditati prætendentium. Hujusmodi politicæ religionis criterium eſt, ſi quædam pro veris tradita manifeſto falſa ſint vel etiam ridicula rectæ rationis judicio. Hinc in tali rep. nati viri altiore præditi mente facile errores vident: quanquam plerique omnes vel metu ſupplicii ab iis refellendis abſtineant, vel etiam ſpe lucri honorumve publica ſacra ſibi probari ſimulent. Id quod Ciceronis exemplum confirmat, qui augurem ſe creari paſſus eſt, licet lib. II de Divin. omne augurii genus inter ineptias male ſanas referre minime vereatur. Poſtquam enim philoſophiæ amor homines ratione rectius uti juſſerat, ſapientiores ſtatim falſa ſe religione teneri agnoverunt. Quare non videtur probanda vulgaris illa loquendi formula, cum Ciceronem v. g. vel Socratem vocamus ſapientem ethnicum, der weiſe Heyde Socratus oder Cicero. Tales enim haudquaquam ethnici fuerunt, hoc eſt, Deorum Dearumque, vel Solis Lunæque aliarumve rerum creatarum cultores, ſed fuere Philoſophi, verum Deum ratione duce agnoſcentes, falſis illis repudiatis contemtuique habitis. Ceterum id, quod modo diximus de ſimulata Ciceronis religione, Cl. Sartorio occaſionem dedit integrum librum de hypocriſi gentilium conſcribendi. Ubi tamen obſervamus, eum non ſolum egiſſe hoc libro de hypocriſi Sapientum, quibus ethnicas religiones falſas eſſe fuit exploratum, verum etiam de hypocriſi eorum, qui revera fuerunt ethnici, ſed Deos ſuos minus ſincere coluerunt, partim ſacra polluentes omni turpitudinis genere, partim reges ſuos eodem, quo Deos, cultu afficientes. *Primum* tamen *Caput* probandæ potiſſimum ſapientum hypocriſi videtur deſtinatum. Producit enim teſtimonia eorum, qui in gentilium religione, quæ ſanctitati, juſtitiæ nullisq; incluſæ terminis potentiæ Numinis adverſantur, atro notarunt calculo; ut Juvenalis, Ægyptiorum ſacra ſalſe ridentis; Luciani, Momum inducentis componentem decretum, quo jubentur Dii cognitiones divinitatis & originis quisq; ſuæ ad concilium afferre, ut, qui peregrini & adventitii fuerint reperti, e cœtu ac civitate Deorum ejiciantur; Ciceronis, Clodium ſororum violatorem vocantis Jovem Romanum, fatentisq; homines fuiſſe Deos illos, qui publice colerentur. Pari modo Curtium, Livium, Juſtinum ac Lucianum teſtes citat, ἀνθρωποθυσίαν divinæ repugnare

pugnare juſtitiæ; Ciceronem, oracula eſſe meram imperantium ac ſacerdotum impoſturam; Senecam pluresque alios, fabuloſa eſſe, quæ vulgo tradantur de pœnis poſthumis ſtatuque defunctorum. Ut omittamus Lucianum, Deorum impotentiam ac miſeriam paſſim albis, quod ajunt, dentibus excipientem. Addi his poſſunt, quæ ex ſolo Livio Tolandus collegit ſingulari libro, a nobis A. 1709 p. 248 recenſito. Nec vero opus fuerit, hic repetere, quæ Cl. Autor in reliquis capitibus affert ad demonſtrandam gentilium hypocriſin. Illud non diſſimulamus, eum occaſione argumenti ſui longiſſimis uti, ſed non minus doctis digreſſionibus, religionis ethnicæ antiquitates pulchre illuſtrantibus. Sic *Cap. II* eruditas profert obſervationes de templis ariſque gentilium: *Cap. III* de feriis eorum, ubi diligenter deſcribit Eleuſinia, Panathenæa, Saturnalia & Bacchanalia: *Cap. IV* de ſacrificiis variiſque circa ea ritibus: *Cap. V* de precibus & priſco precandi more: *Cap. VI.* de Votis, eaque occaſione de Donariis, Muneribus, Anathematibus, Tabellis votivis: *Cap VII* de ſtatuis, quas poni ſolitas eſſe docet tum publicis in locis, tum in privatorum ædibus. Hic obiter §. 6 commemorat viros clariſſimos, qui ſe pingi noluerunt, Eraſmum, Velſerum, Pinellum, & Scioppium. His addimus ex Ciceronis ad Famil. lib. V epiſt. 12 Ageſilaum. Plures recenſet Cl. Fabricius Biblioth. Græc. lib. I cap. 26 ad Plotini vitam Cap. I p. 92. Hac quoque occaſione Cl. Autor §. 10 eos recenſet, qui recentiori ævo illuſtrium virorum imagines æri inciſas edidere. §. 12 docet, priſcos Romanos nullas deorum ſtatuas habuiſſe. §. 13 de more gentilium diſſerit Deorum Dearumque ſtatuas minio illinendi: id quod ſolius ornatus cauſa factum eſſe credit. §. 14 de lunatis umbellis agit, quæ ſtatuis ſub dio collocatis eo conſilio imponebantur, ne vel imbre corrumperentur vel avium fœdarentur ſordibus. Ubi & pictorum morem notat, ex hujus antiquitatis ignorantia picta Sanctorum capita ejusmodi nimbis cingentium. Ceterum cum §. 21 p. 149 hiſtoriam de ſtatua Simoni Mago Romæ poſita refert pro vera, fortaſſe animadverſionem meretur, cum Viri docti jamdudum fabulam illam ejusque originem commonſtrarint, ex quibus jam duos nominamus, B. noſtrum Ittigium *de Hæreſiarchis ſæculi I Cap. 2 §. 6*, & Antonium van Dale, qui ſingularem hoc de argumento diſ-

 ſerta-

Digitized by Google

ſertationem publicavit, ſubjunctam Operi *de Oraculis* p. 579 ſqq. Illud addere liceat, fabulæ huic detegendæ primos viam aperuiſſe Julium Jacobonium & M. Anton. Muretum. Cum enim A. 1574 Romæ ad Tiberis ripam effoſſus eſſet lapis, Semoni Sanco Deo Fidio inſcriptus, plerisque omnibus Simonem Magum deſignari contendentibus, ſtatim Jacobonius in alia omnia ivit, de Deo quodam ethnico lapidem illum loqui judicans. Qua in ſententia confirmatus eſt a Mureto, inter cujus epiſtolas libro III n. 81 & 82 mutuæ Jacobonii & Mureti ea de re epiſtolæ habentur. Non ita multo poſt eruditi quidam viri ſtatuerunt, illum ipſum lapidem olim cauſam dediſſe errori de Simone Mago. Certe nullus ea de re dubitat Valeſius ad Euſebii Hiſt. Eccl. lib. II cap. 13. Sed redimus ad Cl. Autorem, qui *cap. VIII*, quod poſtremum eſt, de Numis agit, Romanosque notat, Imperatores divino cultu in numis proſequentes; id quod pleniſſime doctiſſimeque exponit.

ANDREÆ JULII DORNMEIERI, GYMNAſii Fridericiani, quod Berolini eſt, ſupremi Collegæ Lutherani, Philologia Biblica.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſch & Filium, 1713, 8.

Plag. $14\frac{1}{2}$.

NE ipſe ſtatim titulus Lectorem fallat, Cl. Autor p. 3 profitetur, ſe *Philologiam Biblicam* latiori notione accipere, ut omne doctrinarum, ad S. Scripturæ explicationem utilium, genus, ipſam etiam philoſophiam comprehendat. Nimirum in gratiam Studioſorum Theologiæ de iis, quæ diximus, breviter XLIII capitibus diſſerit. Ac licet ſuperficiaria duntaxat ſit ejus tractatio, tironibus tamen tribus de cauſis commendanda videtur, primum ob brevitatem, deinde ob materiarum ad Theologiam pertinentium varietatem, denique ob librorum notitiam. Ubique enim diligenter recenſet uberiores de ſingulis argumentis ſcriptores. En argumenta a Cl. Autore propoſita. Agit ſcilicet de ſcriptoribus philologiæ ſacræ, de Grammaticis Hebræis, Græcis, ceterarumque linguarum, de Lexicis & Concordantiis, de linguis ad ſacrum ſtudium pertinentibus, Hebræa, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Æthiopica, Samaritana, Græca, de ſtylo S. Scripturæ, de Punctis & diſtinctioni-

bus

bus, de Maſora, de Demopathia Scripturæ Sacræ, (ubi notamus, hanc vocem primum inventam fuiſſe & adhibitam a Cellario ad analogiam vocis ἀνθρωποπάθεια. Vid. ejus Appendix ad Compendium Geographiæ antiquæ, ubi agit de Scriptorum veterum Δημοπαθεία Geographica.) de emphaſibus S. Scripturæ, (quod argumentum dicit a ſe plenius hoc loco elaboratum eſſe, cum nemo, quod ſciat, id ſatis pertractarit,) de translationibus & paraphraſibus, variisque editionibus, (ubi §. 25 exhibet conſpectum novæ editionis Novi Teſtamenti, quam uſui Theologiæ cultorum accommodatiſſimam fore cenſet,) de Harmonia S. Scripturæ, de ejusdem connexione & ordine, paralleliſmo & allegationibus, de uſu Grammatices, Rhetorices, Geographiæ, Chronologiæ, Hiſtoriæ & antiquitatum, Poeſeos, picturarum, Aſtronomiæ, Genealogiæ, Hiſtoriæ philoſophicæ, de mixtura Theologiæ & Philoſophiæ, de uſu Logices & Metaphyſices, Ethices & Juris Naturæ, Politices, Phyſicæ & Medicinæ, Matheſeos. Hic inſerit Caput de Philoſophia Diaboli, de qua ſingularem librum pollicetur. Enimvero ubi hic ad Math. IV, 6 Satanam accuſat omiſſionis Sophiſticæ, in eo falli utique videtur. Nam cum tria illa verba: *in viis tuis* non aliud ſignificent, quam *ubiq;* ſane eorum additio Satanæ nil obfuiſſet. Adde, quod nec Chriſtus vitiatæ S. Scripturæ Satanam arguit, ſed alia ratione ei reſpondet. Sed pergamus in præſenti libro, cujus ſequentia capita agunt de uſu Jurisprudentiæ, de uſu profanorum Scriptorum, de Scriptoribus Sacris & re libraria utriusque Teſtamenti, de methodo ſtudii Biblici, de Commentatoribus, de ſcriptis Patrum & Lutheri eorumque uſu in explicatione S. Scripturæ, de uſu librorum Symbolicorum, de compendiis & ſyſtematibus Theologiæ, de ſingularibus Scripturæ fatis, de methodo excerpendi, ac denique de ſelectu librorum.

Cap. X.

XI.

L. C.
DIATRIBE, IN QUA EDITIO SUIDÆ CANtabrigienſis contra cavillationes J. G. Ariſtarchi Leidenſis defenditur.

In 12 plag. 3.

PAuca quidem ſunt quæ reponit L. C. (qui eſt Cl. Kuſterus) ad Emendationes in ſuum Suidam, de quibus Emendationibus a

Digitized by Google

nobis etiam Menſe Aprili p. 159 actum; ſed eadem exquiſita, tamque clara, ut nihil fere dici contra poſſe videatur. Primo loco perſtringitur elogium Suidæ, in quo is *Sapientiſſimus Græcæ linguæ adminiſter* vocatur, quive in hoc quod habemus Lexico, vocum *ſignificationes auctoritate Veterum Scriptorum & florentis Græciæ ſtabilitum iverit*; cum tamen ille admodum exiguo cum judicio & delectu, aliena collectanea, Scholia in Ariſtophanem, Sophoclem & alios, nec non Lexicon Harpocrationis compilaverit, & pleraque ad verbum deſcripta in illam farraginem tranſtulerit: ſi quando autem teſtimonia Auctorum proprio judicio & labore collecta afferat, ea maximam partem deprehendantur eſſe ex infimæ ætatis Scriptoribus, Agathia, Procopio, Simocata, Damaſcio, Syneſio, Georgio Piſide, aliisque petita. Deinde Emendationes ipſæ licet manuductione tantum MSti ſint factæ, tamen ejusmodi eſſe demonſtrantur, ut non omnes pro certis & indubitatis haberi posſint. Sic in V. *Ἀρχαῖος* ubi *Ἀρχαίως* exponitur per *ἀπραγμόνως*, oſtenditur iſtud poſterius fruſtra fuiſſe ſolicitatum, ſubſtituto *ἀθραυμόνως*, vocabulo prorſus ignoto, quod tamen, ſi expoſitio alterius eſſe debeat, clarius illo ſit oportet. Oportune adducit Cl. Kuſterus locum ex Scholiaſta Ariſtophanis ad Nubes v. 819 ubi *ἀρχαῖοι* & *ἀπράγμονες* itidem conjunguntur: *Ἀρχαῖοι οἱ μωροὶ ἐκαλοῦντο ἀπὸ τῶν ἐπὶ Κρόνου ἐκείνων ἀρχαίων καὶ ἀπραγμόνων ἀνδρῶν.* Nimirum vetuſti illi regnante Saturno erant ſtolidi & ſimplices: nec curioſi aut negotioſi aut litigioſi, quales poſtea facti cum non omnia *αὐτομάτως* ſuppeterent, ſub Jove, qui, ut cum Poeta dicam, *curis acuit mortalia corda, Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno eſt.* Itaque recte *ἀρχαίως* per *ἀπραγμόνως* in vulgatis exponitur. Plura hic afferre neceſſe non eſt, cum omnia ita comparata ſint, ut nec illuſtratione ulteriore indigeant, nec ſub reprehenſionem juſtam cadere posſint.

Illud monendum, multa Heſychii etiam loca optime emendari data occaſione. Inter alia duæ ſunt Obſervationes Cl. Kuſteri, de Heſychio. Prima: *Non infrequenter illum Grammaticum easdem voces duobus tribusve uel pluribus in locis diverſa facie & forma exhibere, ex quibus plerumque una tantum forma recta ſit & vera: reliqua adulterina* v. g. Αιάζω in ſua ſerie recte habet, exponi-

poniturque per *ἀναβοῶ, στενάζω*. Corrupte alibi: *Δαιάζω, ἀναβοῶ, στενάζω* alibi *Ἀδαίζω, ἀναβοῶ, ἀναστενάζω*. alibi: *Ἀδεάζων, ἀναβοῶν, ἀναστενάζων*. Plura hujus generis exempla afferuntur. Satis autem in hoc apparet errores ortos eſſe ex ſimilitudine literarum Α. & Δ. Altera eſt: *Solenne Heſychio, verba duo vel plura ſimilis ſoni inter ſe confundere, & uni ex illis reliquorum etiam ſignificationem tribuere*. Sic cum *εὐρύνειν* & *ἐρευνᾶν* ſint non adeo diſſimilis ſoni, diſſimilis tamen ſignificationis, Heſychius illud prius explicat etiam per poſterioris ſynonymum: *εὐρύνειν, αὔξειν, ἰχνεύειν*. ubi *αὔξειν* quidem pertinet ad *εὐρύνειν* non vero etiam *ἰχνεύειν*, ſed hoc idem eſt quod *ἐρευνᾶν*, Heſychius ſuo loco: *Ἰχνεύει, ἐρευνᾷ*. Hujus etiam generis plura exempla afferuntur.

Indicandum etiam, promitti a Cl. Kuſtero Spicilegium quoddam ſive Curas Secundas in Suidam, quarum etiam ſpecimen ibi exhibetur. Ex eo ſatis apparet Virum Cl. non pœnitendam operam in ea re poſiturum.

Poſt hæc notantur quædam in Arriano Cl. Gronovii. Ubi p. 4. legitur *ἐνταῦθα ἀπήντων αὐτῷ - οἱ Θρᾷκες οἱ αὐτόνομοι, παρεσκευασμένοι εἴργειν τοῦ πρόσω, κατειληφότες τὴν ἄκραν τοῦ Αἵμου, τὸν στόλον, παρ' ὃν τῷ στρατεύματι ἡ πάροδος*. quæ verba poſtrema valde intricata, nec a Viris Doctiſſimis recte intellecta, Cl. Kuſterus optime explicat oſtenſo ordine *συντάξεως*, hoc modo: *παρεσκευασμένοι εἴργειν τοῦ πρόσω τὸν στόλον, κατειληφότες τὴν ἄκραν τοῦ Αἵμου, παρ' ὃν* &c. i e. *Parati impedire agmen, ne ulterius pergeret, occupato vertice montis Aemi, juxta quem* montem *exercitui erat tranſitus*. Porro Arrianus p. 8 mentionem facit Getarum qui vitam æternam credebant, & inde *ἀπαθανατίζοντες* a Græcis ſcriptoribus vocantur. Illud verbum Cl. Gronovio placuit interpretari per *immortalitati conſecrantes*. Cl. Kuſterus mavult, *qui animas defunctorum immortales ſtatuebant*. Et ſane commodius ita exponitur, & ad mentem Herodoti, qui Lib. IV c. 94 ita: *Ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον· οὔτε ἀποθνήσκειν ἑαυτοὺς νομίζουσι, ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάμολξιν*. Idem autem valet hic verbum ſimplex ac compoſitum, ut vel ex eo patet, quod Plato in hac re utitur compoſito, in Charmide: *παρά τινος τῶν Θρᾳκῶν τῶν Ζαμόλξιδος ἰατρῶν, οἳ λέγονται ἀπαθανατίζειν*. p. 156. T. II Opp. Ed. H. Steph.

H. Steph. Clemens autem Alexandrinus I Strom. Platonem citans, ſimplici: *ἀλλὰ κἀν τῷ Χαρμίδῃ Θρᾷκάς τινας ἐπιςάμενος φαίνεται, οἳ λέγονται ἀθανατίζειν τὴν ψυχήν*. p. 109. Ed. Victorii. Sunt autem Getæ gens Thracum. Sed videntur Auctores diverſis modis intellexiſſe hunc *ἀθανατισμὸν*, nec explicavit mentem ſuam Arrianus; & illa igitur expoſitio forte admitti poſſet. Ut autem hoc excuſari forte poteſt, ita illud minime, quod ad Arrianum p. 89 putatur phraſis hæc *Act.* 27, 10. *θεωρῶ ὅτι - μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν* ſimilis eſſe huic Xenophonteæ *τοῦτο νομίζειν μεγίςην εὐωχίαν εἶναι τοὺς συμμάχεσθαι μέλλοντας ὅτι βελτίςους παρασκευάζειν*, quaſi hic etiam Infinitivus poſitus eſſet pro Indicativo: & illud *ὅτι*, *quod* itidem ſignificet; cum tamen hic *ὅτι ſit intenſiva particula*, ut loquitur Cl. Kuſterus, *quæ apud Græcos ſuperlativis præponitur eodem ſenſu quo apud Latinos, particula Quam: veluti cum dicunt: Quam doctiſſimus, Quam ditiſſimus.* Ceterum ut in illo loco *Actorum* cum *ὅτι* conſtruitur Infinitivus, ita & apud Steph. Byz. in *Τρεμιθοῦς*, ubi-*φασὶ δ' ὅτι ἐπιβάσης Ἀφροδίτης εἰς τὸν τόπον, διὰ τὴν παρουσίαν τῆς Δαίμονος ὑπὸ τρόμου διασαλευθῆναι, διὸ καὶ Τρεμιθοῦντα κληθῆναι.* Contrario modo, itidem *ἀνωμάλως* dixit Ælianus: *Φασὶ γοῦν καὶ Σεμίραμιν-εἰ λεαίνης ἐγκρατὴς ἐγένετο, μέγα ἐφρόνει* V. H. XII 39. Plura ex Arriano non attingit Cl. Kuſterus, & videtur non libenter *ἀκάνθας ἐκλέγειν καὶ θνητῶν συμφοράς*. Candide autem indicat ſuam de illa Editione ſententiam cum ſcribit: *Et quamvis ſciam, plura alia eſſe in Arriano, quæ virgula cenſoria ſimiliter notari poſſint; non diſſimulabo tamen eum* (nempe Cl. Gron.) *bene cæteroqui de illo Scriptore meritum eſſe.* Utrumque verum eſt, nam poſſunt plura ibi oſtendi *ἀποτεύγματα*, quæ tamen plurimis & egregiis compenſantur *ἐπιτεύγμασιν*. Idem in Cl. Kuſteri Suida agnoſcere debemus ſi æqui ſumus.

Ultimo loco agit de *Ære gravi apud veteres Romanos*, quod non recte explicatum eſſe, cum a Gronovio Patre in Opere de pecunia Vet. cum ab aliis etiam Viris doctis, contendit. Modo pervenit ad nos Editio ſecunda hujus libelli, cum Acceſſione quadam. Titulus ibi contenta clare indicat, eſt autem iſte: L. K. *Diatribe Anti-Gronoviana: in qua Editio Suidæ Cantabrigienſis defenditur: item-*

Digitized by Google

itemque haud pauca loca Heſychii emendantur: nec non ſpecimen ſecundarum curarum in Suidam exhibetur: & denique quid fuerit Æs grave apud veteres Romanos, explicatur. Accedit Diatribe de verbo Cerno: in qua phraſis illa vexatiſſima, Cernere Hæreditatem, accurate exponitur. Amſtelodami, 1712. Plag. 6 in Octavo.

R. MOSIS MAIMONIDIS TRACTATUS DE Vacca Rufa, Latinitate donatus, & illuſtratus ab ANDREA CHRISTOPHORO ZELLERO, A. M.

Amſtelædami, apud Iſaacum Trojel, 1711, 8.
Alph. 1 plag. 13.

AD explicandam inſignem partem Theologiæ Typicæ, cujus
elegantiſſimum compendium Divus Apoſtolus in Epiſtola ad
Hebræos exhibuit, Autor Cl. Librum *R. Maimonidis* de *Vacca Ru-*
fa Latina civitate donavit, & ampliſſimis adnotationibus, quæ ma-
ximam voluminis partem efficiunt, illuſtravit. In præfatione multa
allegat teſtimonia Judæorum, qui confitentur, ſacrificia, & omnes
V. T. ritus ac inſtituta אל החכמה *ad ſapientiam*, hoc eſt, ad Filium
Dei, ſive ad venturum Meſſiam, ejuſdemque doctrinam, reſpexiſ-
ſe. Præfationem excipit *Maimonidis* Tractatus, XV Capitibus
conſtans, ita ut textui Hebraico e regione reſpondeat verſio Lati-
na. Ipſam commentationem Cl. Autor in tres diviſit Libros, quo- Pag. 170.
rum *primus* ea continet, quæ in hoc ritu comburendi vaccam ru-
fam, tanquam *antecedentia* conſiderare oportet. Ubi de legiſla-
tore hujus ritus agit, obſervat, vocem *Jehova* ex tribus tempori- 189.
bus videri compoſitam, & ſimul præteritum, futurum, & præſens
denotare, atque optime ab Apoſtolo Joanne exprimi ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν,
καὶ ὁ ἐρχόμενος, Apoc. I, 4, nec ullam fingi poſſe Dei perfectionem, 191.
quæ in nomine hoc τετραγραμμάτῳ non contineatur. Poſtea di-
verſas Judæorum ſententias de legis hujus myſterio enarrat, agit-
que cum de vaccæ comparatione, ſacrificio, ſexu, ætate, tum eti-
am de ejus ſignificatione. Ubi *Spencerum*, *Marshamum*, aliosque
reprehendit, qui exiſtimarunt, Deum ſanctiſſimum in condenda
hac lege, ex gentilium ſuperſtitione deducta, craſſiori Iſraelita-
rum ingenio ſeſe attemperaſſe. Libro II de iis agit, quæ tanquam 314.

Digitized by Google

concomitantia in hoc ritu conſiderare oportet, quo inprimis per-
tinet vaccæ vivæ eductio extra caſtra, quæ eductionem Servatoris
in montem Golgatha lucide præfiguravit, Hebr. XIII, 12. De re-
Pag. 334. liquo cum Autor viam deſcribit, qua vacca comburenda educta
fuit in montem Oliveti, dicit, præparatum fuiſſe clivum quendam
a Templo usque ad montem Oliveti, *ſupra vallem Cedron.* Ubi in ea
opinione eſſe videtur, ita paratum fuiſſe pontem iſtum, ut vallis
Cedron, ſive abyſſus interjacens inter montem Oliveti & Tem-
plum ſuperaretur. Ita etiam ſenſit Vir ſummus *Conſtant. L' Empe-
reur* in *Notis* ad *Middoth* Cap. I §. III num. 8 f. m. 327 edit. Su-
renhuſianæ. Sed erravit Vir doctiſſimus. Nam pons ille tantæ alti-
tudinis non fuit, ut eo usque adſurgeret, & intercapedinem inter
Templum ac montem ſuperaret, & viam planam redderet, atque
æquam, ut Autor noſter loquitur, ſed ſtructura pontis fuit ſub vi-
am ordinariam, & tritam, qua a monte Templi ad montem Miſcha
procedunt, quemadmodum *R. Maimonides*, pereruditus textus
Miſchnici interpres, ad Codicem *Para* Cap. III §. 6 in ſcholiis id
403. explicavit. Libro III de iis agit Autor noſter, quæ tanquam *con-
ſequentia* conſiderantur, nimirum de collectione cineris, de im-
munditie, lotione eorum, qui circa vaccæ combuſtionem fuerant
occupati, & aquæ luſtralis confectione ex vaccæ rufæ cineribus, &
uſu ejusdem aquæ expiatoriæ, quæ contra pollutionem ex mortuo
435. contractam valebat, Num. XIX, 17. Ubi ex *R. Moſe Mi Dra-
ni* obſervat, aquas conſecratas פסולין *reprobas* factas fuiſſe,
496. שעשתה מין בהמה, *ſi quæ beſtia ex iis hauſiſſet.* Poſtremo Diſſerta-
tiunculam adjecit, qua probavit, vaccam rufam typum Meſſiæ fuiſ-
488. ſe, atq; oſtendit, omnes hujus ritus circumſtantias cum circumſtan-
tiis crucifixionis Chriſti eleganter convenire. Conf. Hebr. IX,
13, XIII, 12. Quod reliquum eſt, diſſimulare nolimus, librum negli-
genter admodum impreſſum eſſe, & innumeris ſcatere mendis.

Warhaffte und gründliche Cur aller dem Menſchlichen Leibe zuſtoſſenden Kranckheiten.

i. e.

VERA

Digitized by Google

VERA ET FUNDAMENTALIS OMNIUM morborum, qui corpori humano obtingunt, Cura, juxta naturalem & conſtantem methodum delineata a D. CHRISTIANO WEISBACH.

Argentorati, apud Johannem Reinhold Dulßecker/ 1712, 8. Alphab. 1 plag. 53.

IN præfatione ſatis prolixa, quæ toti tractatui fundamenti loco eſt, ſupponit Autor Clariſſ. hominem juxta ſacræ Scripturæ autoritatem ex corpore & anima conſtare; hanc corpore, tanquam domicilio indigere, ut ad æternitatem præparetur: illud anima opus habere, ut mediante ejus motu a putredine & corruptione vindicetur. Animam hinc de corporis conſervatione admodum eſſe ſollicitam, ne prius hoc deſtruatur, quam ſanctificationis opus in ſe completum, & finis, ob quem a Creatore in mundum fuerat miſſa, fuerit obtentus. Quamdiu igitur anima corporis ſuſtentationi ſtudet, vitam vocari, mortem vero ingruere, dum illa hoc putredini & corruptioni tradere cogitur. Cum igitur Chymici corpus ex terreſtri, pingui & aquoſa materia, ſub ſalis, ſulphuris, mercurii notionibus, conflari adinvenerint, has partes inter ſe commode miſceri non poſſe, niſi anima ſingulari induſtria & ſolertia easdem continuo agitet, & ex iisdem fibras, tubulos, membranas & globulos formet, pro diverſa diverſorum membrorum conditione augmentanda & conſervanda. Idque præſtare animam mediante motu non minus intrinſeco humorum, quam corporis extrinſeco. Quemadmodum autem omnes functiones naturales in corporis conſervationem ſedulo ab anima exercentur, prout Autor fuſius in præfamine docet, ita eandem, ſeu quod eodem recidit, naturam unicum & verum eſſe Medicum, qui omnes vires ad averruncanda mala, quibus una alterave functio peſſundari poſſet, mediante motu progreſſivo ſanguinis & motu tonico fibrarum, quem modo auget, modo minuit, impendit, principio tractatus docet, quem in 10 claſſes diſpeſcit, quarum I. morbos & ſymptomata, qui a plethora oriuntur, II. catharrhos, III. eos, quorum cauſa cacochymia eſt, IV. ventriculi & inteſtinorum affectus, V. febres, VI. motus & effectus naturæ & convulſiones, VII. deficientes naturæ ef-

fectus, VIII. imaginationis depravatæ, IX. & X. puerperarum & infantum morbos, explicat.

AN HISTORICAL GEOGRAPHY OF THE old Teſtament.

i. e.

GEOGRAPHIÆ HISTORICÆ V. TEST. PARS Tertia & ultima; Autore EDUARDO WELLS, Theol. Doct. & Rect. Cotesb. in Comitatu Leiceſtrienſi.

Londini, 1712, 8.

Alph. 1 & Tabb. 11.

QUi Geographiam pro altero Hiſtoriæ habent oculo, cum dignitatem, tum utilitatem ejus citra dubium commendare volunt. Uti enim oculus caput non tantummodo ornat, ſed & magnam ſuppeditat utilitatem, ita utrumque a Geographia accipit Hiſtoria. Cum vero Sacra Hiſtoria omnium confeſſione multum præſtet Civili, quis negabit, Geographiæ quoque Sacræ præ Civili ſuam conſtare dignitatem? Hinc nunquam defuere, qui expoliendæ illi operam navarent ſuam, quo facilius intelligi poſſint, quæ in Scriptura ſacra de urbibus locisque illis commemorantur, quas Patriarchæ, Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli peragrarunt. Quin & antiquiſſimum fuit Geographiæ S. ſtudium. Sic Joſua, ut terram promiſſam inter tribus Iſraelis rite diſtribueret, certos emiſit viros, qui Palæſtinam circuirent, & in mappis quaſi oculis ſubjicerent. Non ignotum eſt eruditis, quid Adrichomius, Buntingius, Heidmannus, Bochartus aliique in deſcribendis Palæſtinæ urbibus præſtiterint, ut nil dicamus de Mappis Ortelii, Laurenbergii, Viſcheri, Feri, & aliorum, eandem regionem repræſentantibus. Sed uti poſteriores curæ prioribus in reliquis diſciplinis accuratiores eſſe ſolent, ita Autor noſter fatetur, haud parum ſibi profuiſſe labores recentiorum Geographorum, Maundrelii imprimis, Bruynii & Sandyſii, qui loca in Oriente accuratiſſime viſitarunt, ſimulque notatu digniora literis conſignarunt. Ediderat Cl. Wellſius A. 1708 Geographiam N. T. Londini, de qua in Actis Anglic. ejusdem

dem anni p. 225 agitur; qua abſoluta ſequitur jam tertia pars Geogr. V. T. Complectitur vero illa urbes, quarum fit mentio in libris Samuelis, Regum & Chronicorum. Ne vero nuda urbium nomina Lectori tædium afferant, elegantes tabulas addidit, cum triplici templi Salomonis ichnographia ad mentem Villalpandi ſculpta, quam in Anglicis libris nondum comparuiſſe adfirmat, & quo lectio hujus, ut & reliquorum voluminum, avide in Anglia exceptorum, utilior fieret, curioſas pasſim e recentisſimis Autoribus inſpergit relationes. Ut igitur Lector & Autoris induſtriam, & libri utilitatem melius cognoſcere poſſit, ſtrictim quædam & quidem inſigniora delibabimus.

Cap. I illas recenſet urbes, quarum mentio fit priori Samuelis libro, a nativitate Prophetæ, usque ad unctionem Saulis. Plures fuiſſe urbes notat, quæ nomine Ramah olim fuerint appellatæ, illo quidem tempore haud incelebres, nunc vero exiguum ſaltem oppidum ſine muro hoc nomine notum eſſe, Monachosque Latinos illic monaſterium habere. Addit alia, quæ cap. IV v. 13 prioris Sam. libri illuſtrare queunt. Obſervat inſuper ex Maundrelio, reliquias prope Bethlehem videri, ex quibus de piſcinis hortisque a Salomone plantatis judicari poſſit, & monſtrari locum fontis, ad quem nemini aditus patuerit, niſi cui Rex clavem dederit, quique ſemper clauſus fuerit, ad quem reſpici putat Cant. IV, 15, nec obliviscitur illius fontis, cujus aquam adeo ſitiit David II Sam. XXII, 15. Cap. II progreditur ad urbes libro ſecundo Samuelis commemoratas, præcipue cum inter Davidem & poſteros Saulis bellum duravit. Multis ſtatum veteris Jeruſalem depingit, illorum accedens opinioni, qui putant Salem Gen. XIV, 18 eandem fuiſſe urbem, quæ poſtea ſub Melchiſedeco Rege Hieroſolyma fuit appellata, ſtatuitque ex priori nomine Jebus Joſ. XV, 8, & Salem, levi mutatione literarum coaluiſſe Jeruſalem. Vallem regiam ſecundum Joſephum duobus ab urbe ſtadiis diſtare, eandemque cum valle Joſaphat fuiſſe exiſtimat. Sententiarum divortia de Millo, quam alii pro domo publica, alii pro valle habent, fuſius exponit, ita tamen, ut multis allatis circumſtantiis oſtendat, Millo fuiſſe publicum ſplendidumque ædificium, ubi de rebus belli ac pacis fuerit conſultatum, quod ex I Reg. IX, 15 & II Chronic. XXXII, 5

 conſtare

Digitized by Google

conſtare poſſit. Quæ Maundrelius & Bruynius de ſepulchro Davidis regumque Judæ relationibus inſeruere ſuis, dilucide cum portis veteris Jeruſ. montibus, vallibusque, præcipue monte Sion, Moriah, Olivarum &c. deſcribit. Illum montem, in quo Salomon Sidoniorum abominationem extruxerat, hodie montem mali conſilii appellari ait, quod Pontifices & Phariſæi illic de capiendo Chriſto conſilium inierint. Eodem Cap. ad II Sam. XIII, 13 notat, in textu Hebræo errore ſcribæ literas ר. & ד. mutatas eſſe, & pro ארם, ארם vulgo legi, unde verſiones Occidentales pleræque, ipſaque adeo Anglicana, vallem Salis ad Syriæ referant fines, cum tamen e II Reg. XIV, 7 pateſcat, Edomitarum regioni illam confinem eſſe, unde porro infert, lectionem ארם. Edom, eſſe genuinam, quam Græcus, Syrus & Arabs ſequantur, ſicque II Sam. VIII, 13 non Aram, ſed Edom legi oportere. Recordamur hoc loco, Autorem noſtrum non primum eſſe, qui talem literarum, Reſch, & Dageſch, obſervarit mutationem. Etenim illuſtris Ludolphus peculiari diſſertatione vaticinium Gen. XLIX, 10 explicans, loco רגלין legendum putat רגלין, quamvis mutatio illa, celeberrimo Wagenſeilio, aliisque non fuerit probata Philologis. Cap. III accedit ad loca lib. I Regum, ſicque illa, quæ ad hiſtoriam Davidis tum ſenis ejusque mortem pertinent, illuſtrat. Cumque de magnifica templi exſtructione pluribus egerit in Geographia N. T. Lectorem ad partem ejus I Cap. III Sect. 7 remittit, adjecta templi ichnographia ex Villalpando. Viginti civitates in Galilæa, quas Salomo Tyriorum Regi dono dederat, quam acceptæ fuerint, nomen Cabul, ab Hiramo illis impoſitum, ſatis indicare aſſerit. Celebriorem ex contrario fuiſſe urbem Tadmor, in deſerto exſtructam, quæ Palmyra etiam vocatur. Provocat Autor in deſcriptione hujus urbis ad Tranſactiones Philoſophicas, M. Novembr. & Dec. Anni 1695 in Anglia editas, notans, alios e Græca, alios ex Hebraica lingua originem appellationis deducere. Quæ hodie in dicta illa urbe non ſine admiratione & delectatione a peregrinis ſoleant obſervari, e literis D. Hallifaxii ad D. Eduard. Bernhardum prolixius exponit, nec quæ mortuo Salomone, factaque regni diviſione, cuique regno, Judæ ſcil. & Iſraelis, propriæ fuerint civitates, præterit, commemorata ſimul poſt invaſionem Siſaki I Reg. XIV & II Chron. XII mutatione.

tatione. Cap. IV ſequuntur urbes, quarum mentio fit ſecundo Regum libro, orditurque a rebellione Moabi regni Iſraelitici jugum excutientis, progrediens ad Baalshaliſcham, quæ a LXX Interpr. Bæthariſa vocatur, & juxta Euſebium & Hieronymum prope Dioſpolim ſita fuit, inde ad Zair, item Libnah, aliasque libro iſto memoratas urbes. Cap. V perluſtrat regiones veteris Perſiæ, cujus ante tempora Danielis nuſpiam in Scriptura S. mentionem fieri obſervat, & tempore Cyri regionem illam, cum antea dicta fuerit Elam, Paras eſſe appellatam, quod proprie equitem notat, turpe ſiquidem fuiſſe, ſi in Perſia olim quis niſi eques iter feciſſet. Quæ de Æthiopia & India tum orientali, tum occidentali affert, ut de Shuſhan, Græcis Suſa, a frequentia liliorum dicta, ejus fundatore Tithono, Priami fratre, ſicut & de muris deauratis, admirationem ciere poſſunt. Huc pertinent, quæ de ingenti auri & argenti maſſa, quam Alexander M. hac in urbe inveniſſe dicitur, referuntur. Media & Ecbatana finem capiti huic imponunt. Ne vero operi huic Geographico deeſſe quid videatur, Cap. VI notabiliora urbium nomina e libris Apocryphis, exceptis duobus Esdræ libris, exponit, primumque obtinent locum in libro Tobiæ Naphthali, Rages, Bethulia. E libris vero Maccabæorum primo nominatur loco Modinum, Perſepoli olim nomen erat, cujus divitias, incredibilem ædium murorumque ſplendorem ſatis laudare nequit, quam urbem Alexander M. Laidis, famoſæ illius meretricis, inſtinctu igne deleri juſſit, nec morte interceptus, quamvis turpiſſimi hujus facti pœnitens fuerit, priſtinum ornatum ei reddere potuit. Sparta, alias Lacedæmon, Jamnia, Caſphi, Tripolis, aliæque Maccabæorum tempore haud incelebres urbes non negliguntur, & ſic obſervatis accurate finibus veteris Galatiæ ad Rhenum & montes Pyrenæos ſe extendentibus opus Geographicum hoc clauditur. Tabula Chronologica parti huic tertiæ annexa ſiſtit Reges Judæ & Iſraelis, initio facto a Saule, additisque annis Mundi, Nativitatis Chriſti, & exitus Iſrael. ex Ægypto. Ex ichnographiis juſtam templi Salomonis ideam formari, indeque tum ejus amplitudinem, tum magnificentiam cognoſci poſſe aſſeverat. Ceterum fatetur Autor, prævidiſſe ſe, cum opus hoc Geographicum ſcribere inceperit, multa in illo obventura, quæ Critica potius Diſquiſitione,

quam

quam Geographica deſcriptione opus habeant, cum vero crediderit, Lectori, in cujus uſum ſcripſerit, id minime gratum fore, reſervare ſe maluiſſe notas quasdam Criticas peculiari tractatui inſerendas, ſed placuiſſe poſtea illas tertiæ parti Geogr. V. T. adnectere. Nos ſpeciminis loco quasdam indicabimus, cum prolixiores eſſe prohibeant anguſta chartæ ſpatia, remittentes Lectorem ad cap. V Sect. 10 partis I Geograph. N. T. Illic vero novam & aliis forte non probandam fovet Autor opinionem, verba Salvatoris Joh. VI, 53 non de Spirituali, ſed de Sacramentali uſu S. Cœnæ explicans, ſtatuensque, Chriſtum neceſſitatem Sacramenti hujus Chriſtianis commendare voluiſſe: quod teſtimonio B. Cypriani in Expoſitione Orationis Dominicæ, & ex ſcopo textus ſacri probare ſatagit. Cum enim Judæi Chriſto objicerent, Patres ſuos in deſerto Manna comediſſe, ipſe reſpondit concedendo, ſed ſimul oſtendendo, quanta inter Manna & cibum, quem ipſe det, ſit differentia. Caro, inquit, mea verus eſt cibus &c. ἀληθῶς, non τυπικῶς, ut Manna erat. Quæ de ſeceſſu Pauli in Arabiam poſt converſionem ad cap. I Sect. 3, deque Apoſtoli hujus eruditione & lectione Scriptorum Ethnicorum notat, lectu non ſunt indigna. Ad V. T. Geograph. Part. I cap. 3 Sect. 2 obſervat, mirari ſe, Suecos regni ſui originem in colonia Magogi quærere, cum plane non ſit probabile, primos Europæ ſatores citius frigidas infrugiferasque Septentrionis terras quæſiviſſe, quam ad mitiores Meridionales plagas ſeſe contulerint. Additur tandem Index Generalis in omnes V. & N. T. Geographiæ partes.

ELOGIUM JOHANNIS CASPARI EISENSCHMIDII.

Natus fuit Jo. Caſparus Eiſenſchmidius, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, nec non Mathematicus celeberrimus, Argentorati d. 15 Septembr. ſt. v. An. Chr. MDCLVI, Patre Cive hujus urbis integerrimo ſpectatiſſimoque *Johanne Caſparo Eiſenſchmid*, Fabro ſtannario & judicii cenſorii Aſſeſſore nec non Eleemoſynis Præfecto, Matre vero fœmina virtutibus ſexum decentibus ornatiſſima *Suſanna*, nata *Erhardia*, jam pridem fato defunctis. Cum vero elapſis aliquot annis non exigui felicioris ingenii igni-

culi

culi in eo ſeſe proderent, mature traditus eſt tam privatæ quam publicæ clariſſimorum Præceptorum, in Gymnaſio patrio tunc temporis docentium, informationi, qua adjutus bonarum literarum fundamenta jecit, ita quidem ut illo jam tempore non obſcuros futuræ eruditionis & ſcientiæ radios de ſe ſpargeret. Curſus Claſſici ſtadium cum intra decennium feliciter emenſus eſſet, A. 1673 ſuum Matriculæ Academicæ nomen inſeruit. Promotus hinc ad Lectiones publicas privata partim, partim publica Profeſſorum inſtitutione inſigni cum fructu uſus eſt, & quidem in Mathematicis diſciplinis, quarum incredibili amore flagrabat, Venerandi Senis *Julii Reichelti*, in Eloquentia & Hiſtoria addiſcenda illuſtris *Obrechti*, quo duce incomparabili egregios ſibi comparavit profectus. In Ethicis *D. Schallerum*, in Logicis & Methaphyſicis *D. Johannem Fauſtium*, & in Phyſicis *D. Joh. Rudolphum Saltzmannum* Præceptores habuit. Sub quorum manuductione adeo profecit, ut A. 1676 Diſputationem Geographicam, de Umbilico Terræ, ſub umbone ſupra memorati *Reichelti* ſingulari cum laude defenderet, & paulo poſt, exantlatis feliciter examinibus, lauream ipſi ſecundam ſeu Doctoris Philoſophici inſignia, Promotore *D. Schallero*, Ampliſſima Facultas Philoſophica conferret. Cum animum ita ad altiora præparaſſet, ſtudio Medico ſe potiſſimum dedit, ita tamen ut Mathematicum felici admodum connubio ipſi jungeret. In quo tractando eximia hujus Univerſitatis lumina eidem prælucebant, quæ etiam alacri animo, & ad præclara quævis tendente, ſecutus eſt: nempe *D. Joh. Albertum Sebizium*, & *D. Marcum Mappum*, apud quos in Lectionibus & Collegiis tam reſpondendo quam opponendo cum induſtria indefeſſa ſeſe exercuit, non neglectis rei Herbariæ, Anatomicæ & Chymicæ exercitiis, aliisque quæ ad ſcientiam Medicam ſolide acquirendam quovis modo conferre videbantur. Hoc apparatu abunde inſtructus, Matriculæ Candidatorum Medicinæ nomen ſuum dare, ſeque examini Collegii Medici ſiſtere non dubitavit, in quo ſuos in hac arte profectus eidem ita probavit, ut conſcribendæ Diſſertationis Inauguralis facultatem facile impetraret, quam etiam de Scrophulis proprio Marte elaboratam A. 1681 cum totius Auditorii applauſu tuitus eſt, actu in hoc ſatis memorabili, quod primus erat, ex quo una cum urbe Uni-

Digitized by Google

verſitas in *Chriſtianiſſimi Regis* tutelam recepta fuit. Quibus ita intra quinquennium abſolutis, memor iſtius Lipſiani: *Humiles iſtæ ac plebejæ animæ domi reſident, & affixæ ſunt ſuæ terræ: illa divinior eſt, quæ cœlum imitatur & gaudet motu*, iter ad exteras regiones meditabatur, vel ut, quam ſibi jam ante comparavit, artis Medicæ ſcientiam augeret, vel etiam ut animo curioſitatum naturalium avidiſſimo ſatisfaceret. Relicta itaque eodem adhuc anno patria, Gallia ipſum ad ſe traxit, hinc viſis antea Metis & Nanſio, primum Lutetiam Pariſiorum properavit, & quia quindecim ibidem menſes commoratus eſt, arctum familiaritatis commercium contraxit cum illuſtribus Viris *Du Vernay*, Anatomico, & *Tournefort*, Botanico, Profeſſoribus Regiis, aliiſque fama per orbem notiſſimis. Inde ſalutatis Aurelianenſi Univerſitate, caſtro Bleſenſi, & Turonibus, Salmurium inferioris Andegavenſis Ducatus caput contendit. Exactis & ibidem aliquot menſibus, porro Andegavum, Condivincum, Rupellas, Burdegalam, Tholoſam, Narbonam, & Montem Peſſulanum, qui celeberrimam Academiam in ſinu fovet, ſeſe contulit. Ubi Viris in arte Medica doctiſſimis, *Chicanaldo, Berbeiraco*, & *Vieuſſano*, aliiſque innotuit. Cumque & in his urbibus viſu notatuque digniſſima per quatuor circiter menſes annotaſſet, per Nemauſum & Arelatum, Maſſiliam, celebrem olim ſtudiorum metropolin pervenit; ex qua navi vectus legit fertiliſſimum littus Liguſticum, atque Genuam, urbem ædificiorum ſplendore ac magnificentia præ aliis ſuperbientem, delatus eſt: viſis in tranſitu celebrioribus locis, nempe Antipoli, Nicæa, Villa-franca, portu Herculis Monœci, Sancto Remo, Savona. Relicta deinde Genua Dertonam, Placentiam, Cremonam, Mantuam, Veronam, Vicentiam, & tandem celeberrimum illud Athenæum, Patavium, indeque pedem promovens Venetias ſalutavit. Inde per Ferrariam tandem, Bononiam, Ariminum, Anconam, & Fanum D. Mariæ Lauretanæ, Romam perrexit. Viſis ibi rebus notatu digniorибus, per Sienam, Florentiam atque Bononiam Venetias reverſus, & peragrata ita non minima Italiæ parte per Tridentum, Auguſtamque Vindelicorum ſalvus ſoſpesque menſe Majo A. 1684 Argentorato ſuo redditus eſt. Inſtructus itaque tam egregiis univerſæ antiquitatis & multiplicis eruditionis ſubſidiis, paulo poſt, quam

dudum

dudum promeruerat, tiaram Doctoralem cum omnium Muſarum applauſu impoſuit *D. Mappus*, ſibi de genuino hoc artis Medicæ filio non parum gratulatus. Tum vero & thori ſociam felicibus auſpiciis ſibi junxit ſexus ſui virtutibus exornatiſſimam virginem, *Catharinam Eliſabetham*, *Joh. Jacobi Bableri*, Notarii Publici & Senatus Urbis Majoris Aſſeſſoris, filiam unicam. Quod quidem matrimonium omni felicitatis genere, ſi ſobolis procreationem excipias, beatum fuit. Et conjugalis quidem amor ſeſe quam maxime prodidit in triſti illo caſu & lapſu, qui A. 1696 accidit, & quo Noſtro latus alterum ante ædes ipſius adeo concuſſum fuit, ut domo exire non amplius valuerit. Unde etiam vaga quædam arthritis ſubinde ingruens, cum contractura femoris ſiniſtri juncta, ſuos duxit natales, ita ut ſæpius & ſæpisſime lecto affixus hærere coactus fuerit. Defatigato licet hiſce malis corpore, animo tamen adeo non concidit B. Vir, quin potius majori cum vigore & indefeſſa aſſiduitate ingenii laboribus vacaret. Negotiis namque publicis, Medicinæ præſertim faciundæ, ex hoc morbo plane impar, priſtina ſtudia, & præ aliis Mathematica, quorum miro a primis unguiculis amore tenebatur, repetiit; in quibus non minori cum ſucceſſu, quam conatu ita verſatus eſt, ut clariſſimorum in Orbe Eruditorum favorem facile meruerit, id quod luculentiſſime teſtatur Diploma, quo A. 1699 ab Academia Scientiarum Regia, quæ Lutetiis Pariſiorum eſt, in Sodalem fuit adoptatus, quippe quod publicum teſtimonium a veris rerum æſtimatoribus profectum, ſi non alia ſuppeterent argumenta, ad Noſtri eruditionem Orbi demonſtrandam unice ſufficere poſſet. Sed extant & alia, quæ in poſterum quoque mirabitur Literarius Orbis, publica ſolidæ ſcientiæ documenta, nimirum, *de figura Telluris elliptico-ſphæroide*, item *de ponderibus & menſuris variarum gentium*, *nec non de valore pecuniæ veteris*, ut quæ in ſcriniis ejus vel effecta vel affecta adhuc latent, in Geographicis imprimis, taceamus, quæ, ut lucem publicam videant, omnibus votis annitendum eſt. Unde non mirum, quod tot hinc inde Viri in Gallia, Germania atque Batavia in omni Scientiarum genere illuſtres, Noſtrum literarum ſuarum commercio ſint dignati. In quibus ſunt *Ill. Abbas Bignon*, quem non ſolum Academiæ Scientiarum Regiæ, ſed totius Orbis Litera-

Digitized by Google

rii Præſidem merito dixeris, *Caſſini*, *De la Hire*, *Henrion*, *Reland*, *Lochner*, *Thomaſius*, *Wurzelbaur*, *Junius*, *Schuckard*, *Ott*, aliique. Præterea cum in Hiſtoria ſæpius jam laudatæ & per Orbem celebratiſſimæ Academiæ Scientiarum Eclipſium obſervationes una cum ducto calculo Argentorati factas produxiſſet, a *De la Hire* peritiſſimi Aſtronomi titulo mactatus eſt. Pari modo Ephemerides Eruditorum Gallicanæ, & illæ, quæ ſub auſpiciis *Sereniſſimi Principis Dombenſis* ſingulis menſibus in lucem prodeunt, aliæque additis eximiis laudibus nomen ejus inſerere non dubitarunt. Ut taceamus, ipſum Regem ejus opera in Tabula quadam Geographica adornanda uſum fuiſſe. Quod vero ad ultimum ejus morbum attinet, quemadmodum peritus Aſtronomus Eclipſes corporum cœleſtium ipſe prævidere & aliis prædicere poterat, ita etiam non minus felix Medicus lucem vireſque vitales non levia decrementa pati aliquo abhinc tempore ſenſit, aliiſque declaravit. Siquidem aliquot ante obitum menſes defluxionibus catharralibus laborare cœpit, quæ poſtea ad bronchia deſtillantes atque pectus obruentes & veluti obſidentes tusſim procrearunt; quod malum corporis vires, jam ſatis infirmas, non parum debilitavit, atque ita invaluit, ut diſpoſitio quædam hectica inſequeretur, & calor depaſcens corpus adureret. Unde factum eſt, ut ſuperiore Anno d. 4 Dec. placide exſpiraret, Vir ob eximias animi corporiſque dotes, & præſertim ob raram in Mathematicis ſcientiam longiore vita dignisſimus.

ELOGIUM THEOLOGI CELEBERRIMI JO. HENRICI FEUSTKINGII.

Singulare Eccleſia noſtra haud ita pridem amiſit ornamentum, dum præmaturum obitum Celeberrimi Theologi, atque Oratoris Eccleſiaſtici facundisſimi, Johannis Henrici Feuſtkingii, Sacrorum per regionem Serenisſimi Ducis Saxo-Gothani, cui a concionibus, confesſionibus & conſiliis ſacris fuit, ſummi Antiſtitis, merito deplorat. Editus in lucem eſt Stelloviæ in Holſatia anno 1672 d. 7 Martii, eodem prorſus anno, atque menſe, quo ante ſeculum conſanguineus ejus maternus, incomparabilis Theologus, B. Hieronymus Wellerus a Molsdorf Freibergæ ex hac vita deceſſit, quo ipſo

Digitized by Google

ipſo pii parentes, ut ſacratisſimo Theologiæ ſtudio eum conſecrarent, motos ſe eſſe, faſſi ſunt. Parentem nactus eſt Henricum Feuſtkingium, Paſtorem Stellavienſem, nec non conſiſtorii Münſterdorffenſis Danici Aſſeſſorem; Matrem vero Dorotheam a Molsdorff. Avus ipſi paternus obtigit M. Johannes Feuſtkingius, Paſtor primarius Elmenshornenſis, atque Conſiſtorii Ranzovienſis Senior. Proavus fuit Henricus Feuſtkingius, Paſtor templi Radevicenſis, Herfordi in Weſtphalia. Majores maternos prolixa ſerie enumerare, minus neceſſarium eſſe exiſtimamus, cum ex B. Welleri biographia illorum cognitio abunde ſatis hauriri queat. Parente deſideratisſimo anno 1682 vix decimum vitæ ſuæ ingreſſus annum orbatus, poſitis in Schola Itzehoenſi atque Krempenſi neceſſariis Græcæ atque Latinæ linguæ fundamentis; celeberrimam Roſtochienſem Academiam ſalutavit, in eaque Agnatum amantisſimum, Virum Medicinæ atque Chirurgiæ callentisſimum, Chriſtianum Ellerhuſium, dexterrimum ſtudiorum ſuorum promotorem expertus eſt, quippe qui non minori, quam quo germanos proſequimur filios, amore & affectu ipſum complexus eſt, virisque eruditione præſtantisſimis quam enixisſime eum commendavit. Id ergo Feuſtkingius datum ſibi exiſtimavit negotii, ne ſpem de ſe conceptam falleret, unde Stephani Engeli, Davidis Wendeckeri, & Nicolai Planii informatione fidelisſima primum uſus, poſtea a famigeratisſimorum Theologorum, Auguſti Varenii, Michaelis Cobabi, Johannis Chriſtophori Schomeri, & Franciſci Wolfii, ore pependit. Abſolutis ſub tantorum Virorum ductu ſtudiis Theologicis, ad almam ſe contulit Vitembergam, nec eo in loco, quæ ad amplificandam requiri videbantur eruditionem, temere prætereunda eſſe exiſtimavit, ſedulo illud agens, ut tum celeberrimos eo tempore Philoſophos, tum exquiſitisſimos Theologos magis magisque familiares ſibi redderet, & ulteriores ex illorum inſtitutione ſibi compararet profectus. Etenim doctrinas Philoſophicas a Johanne Baptiſta Rœſchelio, literaturam elegantiorem a Conrado Samuele Schurzfleiſchio, præcepta Hermenevtica a Gerhardo Meiero, hodie diœceſeos Bremenſis Superintendente celebratisſimo, Theologiam Dogmaticam a D. Michaele Walthero, Theologiam Caſuiſticam a D. Caſpare Lœſchero, Theologiam Pole-

Polemicam a D. Johanne Deutſchmanno, Theologiam denique Homileticam a D. Johanne Georgio Neumanno ſumma cum aviditate percepit. Ne vero his inſtructus ſubſidiis in tenebris ulterius deliteſceret, ſed publice quoque diſputando, ac privatim docendo, vires periclitaretur, ſummis in Philoſophia honoribus a Profeſſore moralium, ac Decano Vitembergenſi, Chriſtiano Rœhrenſee anno 1692 ornatus, ac anno 1694 Aſſeſſoribus ordinis Philoſophici adſcriptus, varias, easque eruditas publico eruditorum examini ipſe Præſes ſubjecit Diſputationes, de Achitopheliſmo Machiavelli & Naudæi; de ſufficientia demonſtrationum ex hypotheſi ad convincendos *θεομάχυς*; de tribus hypoſtaſibus Plotini contra Helmontium; de principio unitatis indiviſæ diviſibilis; de principiis Philoſophiæ Spinoſianæ; de Deo, in quantum eſt *ὐσία ὑπερέσιος ἔχων τὸ ὑπερέσιον* ex mente Dionyſii Areopagitæ; de gradibus cognitionis divinæ contra Carteſianos; de ſignis rationis in Deo contra Scholaſticos. Nec Theologicæ ſpecimina dare induſtriæ renuit, id quod diſſertationes Theologicæ ſub D. Caſparis Lœſcheri præſidio de diſtinctione Theologiæ in Archetypam & Ectypam, nec non ſub D. Johannis Georgii Neumanni umbone de converſione Judæorum univerſali ex Rom. XI, publice ventilatæ luculenter comprobant. His in lucem expoſitis ingenii monumentis, dignisſimum illum proceres judicarunt, quem publicis data occaſione admoverent officiis. Hinc anno 1697 munus Paſtoris ac Superintendentis in Diœceſi Jeſſenenſi ipſi concreditum eſt, quo ut dignum ſe fuiſſe aliis declararet, habita ſub D. Neumanni præſidio diſputatione inaugurali, de Reformatiſmo Eccleſiæ noſtræ intentato, ſequenti anno 1698 d. 6 Octobr. in ſolenni panegyri Doctorali ſummo Doctoris Theologiæ axiomate eſt condecoratus. Perſpecta ejus in ſanctisſimo iſto munere fide, ampliori illum præficere Eccleſiæ ii, quibus cura illa demandata eſt, nulli dubitarunt, ac Præpoſiti & Superintendentis Kembergenſis munia humeris ejus anno 1703 impoſuerunt. Hoc ipſo autem officio, divina ita dirigente providentia, per diuturnum temporis ſpatium fungi ipſi non licuit, dum anno 1706 Dantiſcum abeunte Venerando Theologo, D. Weikmanno, Serveſtam Paſtor ad ædem D. Bartholomæi, Concionator aulicus, Confesſionarius, Conſiliarius

Eccle-

Eccleſiaſticus, & Diœceſeos Serveſta-Anhaltinæ Superintendens a Sereniſſ. Principe Serveſta-Anhaltino clementiſſime fuit vocatus, qui tanta inſuper illum proſecutus eſt gratia atque clementia, ut ad alia eum, ſæpius licet expetitum, munia dimittere non ſemel detrectaverit. Nihilominus tandem divino, quo omnia reguntur, nutui diutius refragari noluit, ſed, triſtiſſimo licet animo atque madentibus oculis, miſſionem benigne ipſi dedit, cum anno 1709 Vitembergæ Profeſſoris Theologiæ & Aſſeſſoris Conſiſtorii Eccleſiaſtici munia ſuſciperet. Cui officio dum docendo, diſputando, ſacrasque per hebdomadam conciones habendo pro viribus ſatisfacere allaboraret, aulicis inſimul ſe conſecrare laboribus a Matre Regia atque Auguſtisſima Principe Electrice Saxoniæ, luculento ejus erga ipſum clementiæ documento, ſingulis ſeptimanis Lichtenburgi a concionibus aulicis eſſe, juſſus eſt. Imo ne quicquam deeſſet quod ad oſtendendam inuſitatam ferme ſummorum Principum erga illum clementiam facere videretur, Sereniſſimus Dux Saxo-Gothanus Conſiliarii inſuper Eccleſiaſtici munia benigne ipſi demandavit, ac præterea indefeſſam navavit operam, ut proquinquiore ejus conſuetudine frui, ex voto ipſi contingeret. Quare creberrimis cum Auguſtisſima Principe Electrice Saxonica inſtitutis conſiliis, tandem anno 1712 deſiderii ſui compos factus, munia Confeſſionarii longe graviſſima fidei ipſius ſingulari prorſus gratia concredidit, qua ad extremum usque vitæ halitum ipſum clementisſime beavit. Quo major vero de eo concepta ſpes fuerat atque lætitia, eo majori luctu illam commutatam doluit aula Sereniſſ. Principis, cum præmaturo fato ex vita ipſum diſcedere cerneret. Scilicet, cum vix per annum officiis ſibi concreditis invigilaſſet, hydrope gravi diuturnoque morbo per aliquot ſupra anni quadrantem hebdomadas laboravit, tandemque d. 23 Martii anni præſentis 1713 noctu dimidia poſt primam hora, in medio ætatis flore, ſcilicet anno ætatis 41, confecto hujus vitæ curriculo ad cœleſtium ſedes evocatus eſt. De clementisſimo Principum erga illum affectu luculenta hactenus indicia vidimus: conſtabit de eo poſteris quoque ex numiſmate, quo paulo ante ſuprema fata a R. Wahl æri inciſus eſt, cujus altera facies ipſius imaginem & vitæ annos, altera codicem Biblicum, globo terreſtri impoſitum, cum elogio: PERGRATUS SUPERIS,

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPIBUSQUE VIRIS, exhibet. Neque vero exinctam cum morte celeberrimi Theologi clementisſimam Sereniſſimi Saxo-Gothani Ducis gratiam eſſe, exiſtimandum eſt, quin potius, illibatam atque intemeratam eandem conſervat, dum non modo inſtructisſimam bibliothecam juſto pretio redemit, ſed & viduæ mœſtisſimæ, filiæ Johannis Henrici Meyeri, Senatoris ac bibliopolæ quondam Vitembergenſis famigeratisſimi, (ex qua A. 1697 d. 22 April. matrimonio juncta quatuor liberos ante Parentis obitum demortuos, ſex vero ſuperſtites ſuſcepit,) certam redituum annuorum ſummam asſignavit, unde ſuſtentationi vitæ ejus impoſterum conſulatur. Ceterum variis quoque ſcriptis, tam Latino, quam patrio idiomate exaratis, B. Theologus inclutus fuit. Novam nimirum theſauri Evangelico-Apoſtolico-Hunniani editionem procuravit, & accuratam nonullarum epiſtolarum, ab Hunnio prætermiſſarum, ſcilicet poſterioris epiſtolæ ad Timotheum, primæ & ſecundæ Johannis, & epiſtolæ Judæ exegeſin ſubjunxit. Porro hiſtoriam Clerogamiæ Evangelicæ, ſive de primo ſacerdote, marito Evangelico meletema; hodegeticum concordantiale, ſive de recondito concordantiarum Lankiſianarum uſu Schediaſma; hiſtoriam colloquii Jeverenſis inter Lutheranos & Reformatos Anno 1573 inſtituti; Syllogen Præpoſitorum Kembergenſium; præfationem elencticam in Nicolai Hunnii Matæologiam Fanaticam, ſub nomine Collegii Tripolitani evulgatam; hyperaſpiſtem Lutheri, oder Rettung einiger Stellen Lutheri wider den Autorem des ewigen Evangelii von der Wieder-Bringung aller Creaturen; introductionem in Threnologiam Propheticam Georgii Schimmeri; Gynæceum hæretico-fanaticum oder Beſchreibung der falſchen Prophetinnen / Quäckerinnen / und andern Sectiriſchen Weibes-Perſohnen / durch welche die Kirche GOttes in Unruhe geſetzet worden; palinodiam ſacram, ſive de retractationibus Theologorum in rebus fidei Schediaſma; orthodoxiam Menzerianam, oder die Lehre von dem heiligen Abendmahl aus D. Balthaſar Mentzers Schrifften zuſammen gezogen / & præfationem ad novam Urbani Rhegii de formulis caute loquendi editionem in lucem emiſit. Varias quoque, cum Vitembergæ adhuc degeret, diſſertationes Theologicas, de ſynuſia, Eccleſiis noſtris perquam inique imputata; de Philippiſmo Henoticorum; examen libelli de hæreſi circa menſas; de præpoſtera in rebus fidei moralitate; de præſidiis veritatis Evangelicæ in jure Canonico occurrentibus; de Symbibaſmo Biblico, ad Act. IX, 22; de legali ſub peccatum concluſione ad Rom. XI, 32 & Gal. III, 22, atque de cuſtodia mentis & voluntatis in praxi asſidue conjungenda, ad Philipp. IV, 7, cum erudito orbe communicavit. Denique nonnullas etiam conciones, acceſſorias, valedictoriam, funebres, pœnitentiales, atque caſuiſticas, diverſis, prout habitæ ſunt, temporibus, edidit, ceu teſtes facundiæ, qua pollebat, luculentisſimos.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Julii Anno M DCC XIII.

Hiſtoriſche Gedächtnis-Müntzen.

ſive

NUMISMATA HISTORICA ANNI MDCCI, item MDCCII, & MDCCIII.

Norimbergæ, ſumtibus hæredum Jo. Andr. Endteri, 1712, 1713, fol. Alph. 3 pl. 5 & iconibus inſertis 188.

SPlendidi Operis hujus *Partem primam*, in qua repræſentantur Numismata, ad notitiam rerum anno MDCC geſtarum pertinentia, recenſuimus in his Actis anno ſuperiore 1712 p. 233 & ſeqq. Nunc vero proxime ab hac editas Partes II, III, & IV, aurea argenteaque annis MDCCI, MDCCII, & MDCCIII actorum illuſtrium monumenta complexas, adfirmare poſſumus, pari ſtudio, ut ſumtuoſo, ita ſollicito, fuiſſe elaboratas, ſic ut prodeſſe & delectare queat inſpectio lectioque libri non magni quidem ſed viſu lectuque digniſſimi. Cum autem non liceat nobis omnium Numismatum in his Actis noſtris enarrare ſummam; quædam ſeligemus tamen, ceteris exſtantiora; id ſimul monentes, interpretem egiſſe hactenus Virum Pl. Rev. & Clariſſimum, M. Joachimum Negelein, Poetam ingenioſiſſimum, variarumque linguarum eleganter doctum & ad D. Laurentii ædem Diaconum in libera Imperii Urbe Norimberga; Collectorem vero maxime induſtrium pariter intelligentemque talium, *Melchiorem Kærnlein*, Curatorem officii, quod Norimbergæ appellari conſuevit das Schau-Amt. Fas eſt, utrumque hactenus præclare meritum, nullique parcentem cum Bibliopola, juvandæ literariæ rei ſtudioſiſſimo,

Digitized by Google

operæ, ut tam accurate quam nitide hoc opus prodeat, decus Germaniæ, merita ornari laude, invidenda fortaſſe nationibus exteris, qui in hoc genere ſtudiorum ſoli ſapere ſunt viſi.

Inter negotia publica anni MDCCI eminet Coronatio FRIDERICI III, Electoris Brandenburgici, in REGEM *Boruſſiæ* primum, ſignata numis XX memorialibus. De qua cum integrum proſtet volumen, quod inſcribitur: Die Preußiſche Crönungs-Geſchichte / non opus eſt ut pluribus hoc loco agamus, non præteri-
Pag.127. turi tamen ſilentio, quod omine felici Pomeranus quidam Poeta, cui nomen Bodekerus, ſcripſit, carmen breve, cum naſceretur *Fridericus* in urbe Boruſſiæ capite Regiomonte anno MDCLVII:

Naſcitur in Regis Fridericus monte; quid iſtud?
Prædicunt Muſæ: Rex Fridericus erit.

Hoc ipſo anno invaleſcebat bellum graviſſimum de jure ſucceſſionis in Regnum Hiſpaniarum, quod occupaverat Philippus Dux Andegavenſis, Avi ſui Ludovici XIV, Galliarum Regis, adjutus conſilio, armis, & ope, non ſine injuria familiæ Auſtriacæ. Et hic eventus, qui totam Europam percuſſit, occaſionem dedit opportunam numiſmatibus haud paucis. Cumque a morte *Wilhelmi Gloceſtriæ Ducis*, deſtinati eſſent SOPHIA, Erneſti Auguſti, Electoris Hannoverani, relicta Vidua eiusque Hæredes, qui olim imperium
112 ſqq. Magnæ Britanniæ capeſſerent, idque unanimi conſenſu decretoque Parliamenti confirmaretur; hujus rei memoria conſervata fuit numiſmate faberrime ſculpto a Raymundo Falzio *Medaliatore* celeberrimo; prior illius pagina repræſentat imaginem fœminæ, hac addita inſcriptione: *MATILDA filia Henrici II, Regis Angliæ, Uxor Henrici Leonis Ducis Bavariæ & Saxoniæ, Mater Ottonis IV Imperatoris, prius Duciſſa Aquitaniæ, Henrici, Palatini Rheni Ducis Saxoniæ, Wilhelmi Satoris domus Brunſuicenſis.* Altera pagina conſpiciendam præbet *Sophiam*, adjunctis his verbis: *SOPHIA ex ſtirpe Electorali Palatina Neptis Jacobi I, Regis Magnæ Britanniæ, Vidua Erneſti Auguſti Electoris Brunſuicenſis & Luneburgenſis, Angliæ*
114. *Princeps ad ſucceſſionem nominata MDCCI.* Notabile eſt, quod primus intra centum annos fuerit novus Papa, *Clemens*, qui, magna comitantium turba equo inſidens ex Vaticano Palatio ad Baſilicam

usque

uſque Sancti Johannis Lateranenſis proceſſerit, capiens ſimul Baſilicæ hujus poſſesſionem. Impetus exercitus Auſtriaci in Italiam,per inaccesſibilia aliis montium clauſtra, nobilitavit virtutem incomparabilis Herois, EVGENII *Franciſci*, Sabaudiæ Principis; qui cum primam ad Atheſin fluvium a Gallis victoriam reportaſſet,hoc quaſi præmium ab artifice manu tulit, quæ in numo eleganti faciem ipſius conſpiciendam dedit, cui adſcriptum eſt: *Fregi Alpes, galeiſque Padum victricibus hauſi*; ex Claudiano Poeta; & in margine exteriori: *Nec ſimilis Latias patefecit gloria portas*; ex eodem. Averſa autem numi hujus pagina regionem Italiæ amœniſſimam, aliquot fluminibus irriguam, & caſtra Cæſareanorum Gallorumque, pugnamque utriusque partis, exhibet, cum iſta inſcriptione, ex Petronii Arbitri ſpecimine hiſtoriæ belli civilis depromta: *Victores ite furentes, ite mei comites, & cauſſam dicite ferro.* Notari etiam merentur duo numi in honorem Societatum Artium Scientiarumque, tum Berolini, tum Pariſiis, a Rege Boruſſiæ Galliæque conſtitutarum, cuſi. Pag.123. 128, 129, 131.

Cum vero memorabilis ſit annus MDCCII ob multas res præclare fortiterque geſtas in Italia Belgioque adverſus Gallos a fœderatis Principibus, eædem per numiſmata non pauca commendatæ fuerunt poſteritati admiraturæ. Captus enim ab Eugenio Sabaudiæ Principe *Villaregius*, ſupremus Exercitus Gallici in Italia imperator, intra mœnia urbis Cremonæ; mortuus autem Londini fuit terror hactenus Gallorum, libertatisque Britanniæ ac Belgii uniti defenſor feliciſſimus, WILHELMUS III, Rex. Uterque eventus ſignatus eſt numis admodum elegantibus. Omnium,quos unquam vidimus, Numorum memorialium imagines ingenii ſeu inventionis præſtantia ſuperare iſtum, qui ortas hactenus, ſed hoc anno MDCCII compoſitas demum, Electorem inter Hannoveranum Cellenſemque Ducem, Ducesque Brunſuico-Guelpherbytanos, diſſenſiones explicat, nemo, qui talia intelligit, non fatebitur. Una facies monſtrat antliam pneumaticam, ſeu globum potius, aere per antliam extracto vacuum, quem literis R A V (A per medium diſſecto) ſignatum equi duo, (altero horum parmulam vacuam geſtante) fruſtra aperire atque diſtrahere nituntur; Aquila etiam ſuperne conſpicua ſpargit fulmina; & Unicornu, 148. 153. 165 ſeq.

 quod

Digitized by Google

quod in propinquo adeſt, pariter globum petere velle videtur; adſcriptum: *Quod vi non potuit.* In parte numi poſtica ſpectatur manus, cujus digiti quinque has literas P. G. S. C. L. referunt, cochleæ adminiculo globum aperiens, ut, aere novo intrante, ipſe in duas partes ſolvatur; cum lemmate: *dis-*
Pag.172. *jectum eſt arte miniſtra*; ſubtus: 1702. In honorem ANNÆ, Magnæ Britanniæ Reginæ, quæ fœdus cum Sociis adverſus Galliæ Hiſpaniæque Reges hoc anno conſolidaverat, notabile effingebatur numisma, quod faciem ipſius una parte, altera vero imaginem Palladis Deæ repræſentat, cui appoſitum legitur: *Nova Palladium Trojæ.* Eventus enim docuit poſt decennium, videlicet anno 1712, cum pacis ineundæ diſſolvendique fœderis communis inirentur conſilia, quod, uti olim ſalvo Palladio Troja ſtetit, hoc autem fraude artibusque Ulyſſis & Sinonis erepto, everſa fuit, ita pariter etiam fœdus iſtud corruerit elapſis decem annis, & recedente a Sociis Palladio iſto Britannico.
171 b. Etiam memoria novæ Lineæ Meridianæ, quam in templo Matris Angelorum, ubi quondam Thermæ Diocletianæ fuerunt, Clemens XI Pontifex Max. hoc anno erigi juſſit, conſervatur numismate egregio, opus illud dirigente celeberrimo *Bianchini*, aliis Mathematicis magni nominis adjutoribus. Ceterum Electorum Coloniæ Bavariæque fratrum defectio ad partes Gallorum, hoſtiliſque in Sueviam invaſio, munitiſſimæque urbis Landaviæ in Alſatia, & aliquot præterea locorum in Geldria & ad Rhenum Moſamque ſitorum expugnatio, tum interceptio claſſis Hiſpanicæ cum multo argento ex America domum reducis, & res a Sueciæ Rege Ruſſorumque magno Czare geſtæ, quin etiam Academiæ Wittenbergenſis Feſtum ſeculare alterum, novæque Univerſitatis Pontificiæ in urbe Sileſiæ primaria Wratislavia inauguratio, efformandis artificioſe plurimis numis egregiam dederunt occaſionem, qui ſinguli recenſentur ſciteque explicantur.

239. Perelegans inventum eſt, quo gratulatus eſt Medaliator admodum celebris, *Chriſtianus Wermuthius*, recens nato anno MDCCIII, die 6 Januarii, *Georgio*, Friderici IV Daniæ Regis filio, & hoc quidem carmine, quo numisma ornatur:

Nate trium Regum tres Reges attulit Orbi:
Nata trium Regum ſint tria Regna tibi.

quæ

quæ ut rectius intelligi poſſint, ſciendum, Auguſtiſſimam Imperatoris LEOPOLDI nunc Viduam, ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM, natam non ſolum feſto trium Regum fuiſſe anno 1655, ſed factam etiam Reginam trium Regnorum, Germaniæ ſcilicet, Hungariæ Bohemiæque, ſed matrem quoque trium Archiducum Auſtriæ, quorum duos ipſa vidit & Reges & Imperatores. Cum anno hoc MDCCIII Sereniſſimus Dux Mecklenbur- Pag.254.
gicus, *Fridericus Wilhelmus*, a Rege Daniæ inſignibus ordinis Elephantini cohoneſtaretur Hafniæ, ſignatum eam ob rem numiſma repræſentat, præter imaginem Principis affabre ſculptam, imaginem quoque Elephantis, in medio ovium ſine metu paſcentium, addito: *Innocuos non nocuiſſe juvat*; pro exemplo boni ergaque non malos clementis Principis. *Mennonem* quoque, *Baronem de* 268.
Cœhorn, ſummum apud Batavos armorum præfectum, videre eſt, cum icone urbis Bonnæ, quæ per ipſum *ſIC Igne DoMata ferro CI*, ut inſcriptio numi habet. *Chriſtiani Auguſti*, Comitis Palatini ad 273.
Rhenum, Sulzbaci habitantis, honori dicatus eſt numus, qui ſub facie ipſius hæc prodit verba: *Princeps Senectutis & Principum Imperii Senior*; in altera pagina quercus annoſa quidem, ſed adhuc viridis tamen, conſpicitur, cum lemmate ex Virgilio: *annoſoque valet cum robore.* Declarabatur hoc anno Archidux Auſtriæ 279. ſq.
CAROLUS, Rex Hiſpaniarum Indiarumque, translato ſolenniſſime in ipſum omni jure, quod pertinebat ad Patrem LEOPOLDUM, & fratrem JOSEPHUM. Is cum mox iter ſuſciperet ad Batavos, Britannosque, & Luſitanos, illo tempore etiam Lipſiam noſtram ſalutans hoſpes Auguſtiſſimus, multis numis ſignarunt hunc eventum artifices, qui cuncti videri poſſunt in hoc opere, velut & imagines Celſiſſimi Comitis, nunc Principis, ANTONII GUN- 292.
THERI, de *Schwarzburg* in Arnſtad, (cujus Numophylacium toto Orbe celebratiſſimum nuper admodum ſumma pecuniæ ingenti emiſſe Sereniſſimum Saxo-Gothanum Ducem, FRIDERICUM, accepimus certo nuntio, in Arcis Ducalis ornamentum, & uſus publicos eruditorum, curam ejus ut hactenus Arnſtadii, ita nunc Gothæ etiam, gerente Clariſſimo Viro, *Chriſtiano Schlegelio*,) & COSMI III Etruſcorum REGIS, cum urbe *Florentia* elegantiſſime 317.
ſculpta; itemque *Gothardi Henrici*, Comitis a *Salburg*, & celeber- 320.

Digitized by Google

Pag. 322. rimi Theologi Halenſis, *D. Joachimi Juſti Breithauptii*, & Polyhiſtoris Wittebergenſis, *Conradi Samuelis Schurzfleiſchii*, & tan-
324 ſq. dem inclyti Medaliatoris Berolinenſis, *Reymundi Falzii*; de cujus vita & fatis, ſculptisque ab ipſo numismatibus peregregiis, lectu
337. digna occurrunt. In fine adjicitur numus *quadratus* a Judæo ſculptore factus, in quo duo equi admirabiles hoc anno variis in locis circumducti repræſentantur, quorum unus, quod fidem prope omnem ſuperat, non modo Latina verba, quibus adſueverat, intellexit, ſed quatuor etiam circulos ligneos in aerem ſublatos extenſo in longum corpore pervolitare conſpectus eſt paſſim; quale quid ab agyrtis factum fuiſſe aliquando, meminimus.

Nos qui edocti ſumus a quodam Collegarum noſtrorum, non modo Autores hujus operis meditari Supplementum (quam in rem dignisſimos arbitramur, quibus a curioſis, quod aliquoties etiam expetierunt, auxilium adferatur ex iis, quæ forte omiſſa ſunt, ſed ad notitiam ipſorum nondum delata) verum etiam in Nundinis hujus auctumnalibus recenſionem Numismatum Anni MDCCIV prodituram eſſe in lucem, gratulamur & Germaniæ & Orbi erudito de hoc laboris præſtantiſſimi ſucceſſu, optamusque, ut quem ſcimus nunc prælo prope paratum habere Generos. Dn. *Ebnerum ab Eſchenbach*, Senatorem inclytæ Reipublicæ Norimbergenſis, Commentarium de vita Cæſaris LEOPOLDI, numismatibus elegantisſime æri inciſis illuſtratum, moram diutius pati nolit, ſed proferre eundem, & ornare Seculum velit his deliciis & mentis & oculorum.

I CESARI IN MEDAGLIONI.

i. e.

IMPERATORES IN NUMIS MAXIMI MODULI, collecti in muſeo Seren. Ducis Parmenſis, illuſtrati atque in lucem editi a P. PAULO PEDRUSIO, e Soc. Jeſ.

Tomus V.

Parmæ, e typogr. Ducali, 1709, fol.
Alph. 2 Tabb. æn. 29.

Digitized by Google

Fig. 7.



Fig. 8.



Fig. 9.



Digitized by Google

Summa profecto ad Sereniſsimum Principem Parmenſem gloria redit ex nobiliſsimo opere, quod præſtantiſsimas veteris ævi reliquias e muſeo expreſſas Farneſiano complectitur, & quinto jam Tomo auctum denuo nobis diſſerendi materiam, paulo ſerius licet, ſuppeditat. Enimvero colligunt & alii Principes ad magnificentiæ decus augendum antiquorum temporum monimenta, & numophylacia ſumtibus, quibus fieri poteſt, maximis exſtruunt. Sed tam liberaliter in communes remotarum etiam gentium uſus expromi omnia, clariſsimis viris altero ut æri incidantur, altero ut explicentur accurate, vel inter medios armorum tumultus, juſſu Principis optimi, ſedulo allaborantibus, id vero rarum eſt perennique idcirco famæ commendandum. Neque enim cauſa eſt, ut opinionis nos olim de libro iſto conceptæ pœniteat; de integro potius diligentiam Pedruſii cumprimis miramur ex diuturno labore nihilo remiſsioris, & ante Anni hujus finem Tomum etiam VI nobis promittentis.

Ceterum, cujus generis numi hic exponantur, ſi magnitudinem ſpectes, ex titulo ſatis ipſo intelligitur. Majoris enim moduli ſunt, quos vulgo *Medalliones* vocant, quorum quanquam pauci ex auro, plures etiam ex argento conflati reperiuntur, credibile tamen eſt, ipſo etiam tacente Pedruſio, æneos eſſe omnes hic expreſſos, propterea quod aureos atque argenteos in præcedentibus Tomis exhibuit. Imperatorum numis quidam alii præmittuntur TAB. IV. iique conturniati, quemadmodum appellantur, ex quibus primus Fig. 1. memoriæ Homeri, Poetæ celebratiſsimi quondam infinitisque marmoribus, ſignis, ſtatuis, numisque culti, renovandæ inſervit. Adverſa ejus facies oſtentat imaginem, averſa ἀποθέωσιν Homeri, qua & marmor in agro Ferentino inventum, quod nobiliſsimus Cuperus illuſtravit, ſuperbit. Homerum enim deſignat figurarum altera, ſedens divinitatisque cauſa haſtam tenens, cui Victoria porrigit coronam & Aquila divinos honores denuntiat, altera velo obducta, quæ cornu copiæ geſtat, Juno eſt, prope quam Mars cinctu militari manum tollit: inferiorem numi partem Neptunus cum Delphino & Amphitrite ad latus tauri, junco marino a tergo enato, proſtrata exornat. Hunc numum Cl. Pedruſius Argivis deberi credit propterea que Junonem adeſſe, editam quippe Argis in lucem

Digitized by Google

lucem ſummaq; ibi ſuperſtitione cultam, quanquam eam & Homeri cauſa, expeditionem Græcorum adverſus Trojam, Junonis auſpiciis, ſuſceptam Iliade ſua deſcribentis, locum hic tueri poſſe, lubens largitur. Quid ceteris figuris, Marte, Victoria, Numinibus marinis innuatur, ex bellis, quæ cecinit Homerus, ex præſtantia poematum ejus atque ex navigationibus cum totius exercitus Græci, tum

TAB. IV. Ulyſſis, facile eſt colligere. Ex Imperatorum numis averſa numi

Fig. 2. Neroniani figuram præfert nudam ambabusque imaginem attollentem, quam Panos eſſe, & ex vultu & ex jugo, cujus verticem arbor occupat, ibidem expreſſo conjectat Pedruſius, quam quidem hic comparere propter Lupercalia, quæ Pana Lyceum, teſte Pierio Valerio, veneraturi celebrabant, exiſtimat, ut quæ Neronem præſidio ſuo vel favore dignatum eſſe a veriſimilitudine non abhorret.

Fig. 3. Ad numos Neronis ejusdem refertur, quamvis neque nomen neque faciem Neronis exprimat, alius quidam, cujus in adverſa venator comparet inſidens equo cervumque petens; averſam circus illuſtrat, infra quem figuræ ſunt poſitæ minuſculæ, quas ſaltatores Noſter credit, vocem COLENDUS, quæ in adverſa legitur, nomen

Fig. 4. proprium venatoris ratus. In averſa numi Hadriani occurrit imago Mercurii cum caduceo & ariete, qua Antinoum exprimi exiſtimat ex Bithynia, cultu Mercurii celebri, oriundum, & pulchritudine Mercurio, Hadriani judicio, non inferiorem. Arietem vero non tam laſciviæ cauſa latus ſtipare, quam quod ita in more poſitum fuerit, Mercurium cum ariete conjungere, exiſtimat, non inficiatus tamen, ob transformationem ejus, Penelopes amore ardentis, in arietem vel maxime id fieri. Peſcennii Nigri numi inter rariores referuntur; ſed & ejus Imperatoris ſiſtit aliquem Pedruſius.

Fig. 5. Adverſa caput illius expreſſum eſt cum verbis: ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. Κ. ΠΕΣΚΕΝΝΙΟΣ ΝΙΓΕΡΟΣ ΣΕΒ. i. e. Imperator Cæſar Cajus Peſcennius Niger Auguſtus; averſa Cererem cum ſpicis, face & ſerpente exhibet & verba ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ, quæ ab Antiochenſibus cuſum numum eſſe declarant, apud quos imperium breve ſuſcepit Peſcennius. Græcus is eſt, cujus generis alii etiam in hoc volumine occurrunt, quod ut, quæ reſtant, ſuo tempore ſequantur, doctiorum omnium, arbitramur, intereſt optare.

JOACHIMI

Digitized by Google

JOACHIMI MEIERI, J. V. D. ET IN ELE- ctor. colleg Gotting. P. P Commentatio de nummo quodam Poſtumi rariſſimo, hiſtoriam & res ab eo geſtas copioſiſſime explicans, multis acceſſionibus alteroque argenteo Po- ſtumi nummo hac tertia editione aucta.

Goslariæ, apud Joh. Chriſtoph. Kœnig, 4, 1713.

Plag. 6.

NOvis quibusdam acceſſionibus auctam in lucem prodire juſſit Cl. Meierus commentationem ſuam de aureo Poſtumi nummo, quæ primum Excerptis Hannoveranis Germ. quorum ultimis illo Menſibus curam, Cl. Eccardo abſente, geſſit, inſerta, hinc juxta cum aliis ejus generis minoribus ſcriptis, inter Electa rei numariæ, ab eruditiſſimo Woltereccio edita, prelum quoque ſubiit. Numi (nam eum hic expreſſum dabimus, quem aliter paullo exhibuere Electa & Nova litteraria Germaniæ, quam reapſe eſt) adverſa facies Poſtumum præfert ſeniorem, galea, in qua victoriola & bigæ comparent, ornatum, cum litteris, POSTUMUS AUG. averſa tropæum, ad quod Germani duo proſtrati jacent, qui devicti vultu & corporis inclinatione mœrorem loquuntur, cum litteris P. M. G M T P CO S III P P. Hæc ut illuſtret Cl. Meierus, nomen, genus, elogia, dignitates, res geſtas & mortem denique Poſtumi curatius expendit, quæ hic breviter repetituri obſervamus primo, nomen integrum ab eo haberi MARCUS CASSIUS LATIENUS POSTUMUS, licet apud Fabrettum Inſcript. c. X n. 95 M. CASSIANIUS LATINIUS POSTUMUS appelletur, quam nominis rationem ob infrequentiam nominis CASSIANIUS in veterum monimentis, & quod una tantum inſcriptio, nullis aliis exemplis facile confirmanda, id nobis perſuadere conetur, ſequendam minime putat. Genere eum Gallum eſſe, ex Eutropio Hiſtor. Rom. lib. 9 probat, elogiisque adductis, quibus eum Valerianus & Gallienus Auguſti ornarunt, inde vel maxime oſtendit elucere virtutem Poſtumi, quod Gallienus illi filium Valerium Saloninum credidit. Obiter hic Vopiſci fidem ſollicitat Cl. Meierus, *Gallienum* eum appellantis, ut qui litteras Valeriani ad Antoninum Gallum conſulem adducit, quibus ille rationes affert, cur *Gallienum* filium non Aurelio, ſed Poſtumo commiſerit, ſuſpectasque eas arbitratur,

TAB. IV. Fig. 6.

 quod

Digitized by Google

quod Antoninus Gallus conſul alibi occurrat nuſquam & ſententia Vopiſci cum conſenſu reliquorum ſcriptorum manifeſte pugnet. Sed ita tamen conciliat eandem, ut filium illum Gallieni ante adoptionem *Gallienum Saloninum*, poſt eam *Valerianum Saloninum* appellatum fuiſſe, præeunte Pollione in Valerianis, ſtatuat, ubi fieri credit potuiſſe, ut ab avo primo, quod ante adoptionem geſſerit, nomine Gallienus appelletur, quemadmodum & Antoninum illum honoris cauſſa & titulotenus tantum Conſulem vocatum conjectat. Explodit autem Reineſii ſententiam Syntagm. Inſcript. Cl. II Inſcr. XLI tres ſtatuentis Saloninos, ſcriptorumque auctoritate eum deſtrui exiſtimat. Digreſſio iſta novæ ſternit viam, qua de Salonini hujus matre, Cornelia Salonina ſollicite inquirit, cumque alii duplicem credunt Saloninam extitiſſe, in una ille Salonina Pipara acquieſcit, Attali vel Attilæ filia, ratus Saloninæ nomen eam a Dalmatiæ urbe, Salona, non longe a patrio regno diſſita, Corneliæ vero a voluntate viri eſſe indeptam. Quantum ad dignitates, non dubitat Meierus, fortitudine ſua Poſtumum ad ſummos honores militares evectum. Tres vero annos Ducis & Galliæ Præſidis geſſit partes, ſeptem Imperatoris ſibi dignitatem vindicavit, quæ tempora confundentibus ſcriptoribus, modo decem, modo ſeptem Poſtumo in Gallia anni tribuuntur. Equidem æneus apud Triſtanum numus tribunitiam poteſtatem decimam Poſtumo aſſignat, unde colligi poſſit, quod decennium in imperio transegerit, quoniam tribunitiæ poteſtatis anni cum annis imperii creſcunt & conveniunt; ſed potuit fieri, ut annos tres, quibus Præſidis in Gallia munere functus eſt, annis imperatoriæ dignitatis annumeraverit. Verum de his & aliis nos docere quodammodo etiam averſa præſentis numi facies poteſt, ubi litteras intiales P M G M T P COS III PP. legendas: *Pontifex Maximus, Germanicus Maximus, Tribunitia poteſtate, Conſul tertium, Pater Patriæ*, arbitratur. Elogio Germanici Maximi Galerius etiam Maximus, Gallienus & Probus gloriam ſibi ac decus quæſivere; teſtatur autem eo Poſtumus de expeditionibus adverſus Germanos, Alamanos & Francos, quas ille feliciſſimas ſuſcepit. Ceterorum titulorum umbram tantum captaſſe eum, ut veros Auguſtos & Imperatores imitaretur, exiſtimat Cl. Meierus, faſſus tamen, minime indignum eum eſſe, qui illos ge-

rat & Pater cumprimis Patriæ appelletur.' Res geſtas abſolvunt prælia cum Germanis, Gallieno & Lolliano; pacis tempore provincias ſumma moderatione rexit, tributa remiſit aliisque factis egregiis tulit nomen. Cumprimis autem rem monetariam in Gallia collapſam reſtituit, quod patet ex alio numo argenteo, in caſtris fœderatorum anno ſuperiori in Belgio invento, ſed Mediobarbo iam & Ferretio in Muſis lapidariis commemorato & expreſſo, in cuius averſa cum MONETA AUG. legatur, occaſionem hinc amplectitur Cl. Meierus, quæ de Dea Moneta collegit, hoc loco expromendi. Mortem oppetiit Poſtumus, militibus ipſis, quod Moguntiacum diripiendum tradere nollet, violentas manûs inferentibus, poſtquam Lollianum rebellem feliciter profligaſſet. Dedicavit Cl. Meierus commentationem hanc Reverendiſſimo Abbati cœnobii Luccenſis, Gerhardo, cujus & epiſtolam præfixit, qua ille equidem ad illuſtrationem a Cl.Meiero allata confirmat, numum autem ipſum a *νοθείας* ſuſpicione vix abſolvit, idque cum propter inſolitum ſcribendi compendium G. M. pro *Germanicus Maximus*, tum propter victoriolam alatam cum bigis in caſſide tam obſcure ſignatam, ut propterea non cuſus numus ſed forte fuſus videri queat, tum propter litteram S. in voce COS, quam vel omiſſam penitus exiſtimat, vel ſaltim tam obſcure expreſſam, ut defectus ille in numo cuſo a cælatura vix proficiſci potuerit.

GEMME ANTICHE FIGURATE

i. e.

GEMMÆ VETERES EFFIGIATÆ PER DOMINICUM ROSSIUM; cum expoſitionibus PAULI ALEXANDRI MAFFEI, Patricii Volaterrani, Equitis Ordinis S. Stephani & inter Pontific. Corporis Cuſtodes.

Pars II.

Romæ, ex Typographia alla Pace dicta, 1707, 4 ch. reg. Alph. 1 plag. 10 Tabb. æn. 105.

Pars III.

Romæ, ex eadem typographia, 1708, 4 ch. reg.
Alph. 1 plag. 8 Tabb. æn. 103.

Pars IV.

Romæ, ex ead. typogr. 1704, 4 ch. reg.
Alph. 1 plag. 5 Tabb. æn. 104.

POſt recenſionem primæ Partis ſplendidiſſimi Operis, quam Suppl. T. IV Sect. VII p. 301 dedimus, jungendæ veniunt tres poſteriores, curioſa Antiquitatum ſupellectile, eruditisque obſervationibus refertiſſimæ. Atque primi & ſecundi quidem Voluminis, ut ſupra obſervavimus, idem pene argumentum eſt; ritus & cultus religioſus ſuperſtitionis gentilitiæ. Liber ſecundus nobis ſiſtit non Deorum ſaltem, Dearumque, Semonum item & Hiſtoriæ Deorum intermixtorum hominum, *Iſidis*, *Serapidis*, *Mitræ*, *Canopi*, *Harpocratis*, *Jovis Ammonii*, *Stygiique*, *Ganymedis*, *Cibeles*, *Cereris*, *Apollinis*, *Muſarum*, *Dianæ* & ſpeciatim *Epheſiæ*, *Minervæ*, *Mercurii*, *Herculis*, *Hermaclidæ*, *Joles*, *Onfales* vultus, genium, resque cum illis actas referentes; ſed & cultum *Iſidi*, *magnæ Deum Matri*, *Apollini*, *Æſculapio*, *Saluti* aliisque exhibitum: Animantia itidem ſacra, *Bovem Siriacum*, *Leonem Mitriacum*, *Gallum Marti & Mercurio dicatum*, hujusque *arietem*: porro inſtrumenta & apparatus Sacrorum, *Siſtrum*, *Menſam Iſiacam*; ut ſilentio tranſeamus figuras hieroglyphicas & deformes corporum variorum compoſitiones, numen ex deliriis *Baſilidis Alexandrini* natum *Abraxas*, in quibus enodandis eo felicior quisque reputari debet, quo magis ingenio abundat. Noſter, quæ hanc in rem apud Macrobium & ex recentioribus *Pierium Valerianum*, *Kircherum*, *Buonarrotum* & reliquos invenit, diligenter conquiſivit, & alicubi diduxit magis & perſpicua reddidit; quamvis non diffiteamur, eum, ut ſolent hieroglyphicorum ſtudioſi, ubique myſteria ſectari, & nimium quantum indulgere conjecturis. Sunt tamen in Gemmis ipſis & obſervationibus Maffeanis præclara multa & conſideratione digna. Tabula III *Iſidem* exhibet, dextra *Siſtrum* tenentem, inſtrumentum in ſacris ejus moveri ſolitum & arcanæ, ut ferunt, ſignificationis plenum. Trajiciuntur

Pars I.

tur

tur per hoc ut & alterum illud, quod Tab. IIX delineatum cernitur, virgulæ quatuor, in vertice laminarum malum perſicum cum foliis duobus eminet. Obſervat Vir doctiſſimus, non eandem omnium figuram apparere. Aſſervari duo apud *Borgheſium* Principem & *Leonem Strozzium* tribus ſolum virgulis inſtructa, quale & illud eſſe deprehendimus, quod ex Muſeo *Franciſci Gualdi* produxit *Laurentius Pignorius* in Commentario de ſervis Ed. Amſtel. p. 162, cui ultimo loco mali perſici Sphinx humana facie incubat; inque quo extrema virgularum non in globulos, ſed in capita ſerpentum in ſe reducta deſinunt: quibus variationibus non parum confundi illos neceſſe eſt, qui crepitaculi hujus figuræ certos ſignificatus adſerere ſatagunt. Pergit Noſter, in tanta olim veneratione apud Ægyptios ſiſtrum fuiſſe, ut divinus Vates (*Eſaiæ c. 18, 1*) ipſam Ægyptum dixerit *terram cymbi alarum*, vel ſecundum Hebraicam phraſin *terram cymbali alati*; ideo quod ſiſtrum in ſuperiori ſui parte oblongæ rotunditatis, ſummo capite prominens, inferius autem manubriatum, virgulis utrinque per laminas projectis, avis cujusdam ſpeciem præ ſe ferre videatur. Etſi vero non ſpernenda divinatione hoc ſenſu *ad hirundinem ſiſtrum* apud *Minucium Felicem* occurrere opinetur, veremur tamen, ne vulgatæ verſionis verbis deceptus minus feliciter huc transtulerit locum Prophetæ. Tabula IV Sacrificium *Iſidi* oblatum exponit. Fœmina, ut videtur, anſeris corpus ſiniſtra, guttur dextra comprimens, eumque inverſum tenens extremas alas ignibus in foco excitatis uſtulandas porrigit, adſidente proxime tibicine uno ore duas tibias, longiorem alteram & incurvatam, breviorem alteram & rectam, inflante. Notat Vir celeberrimus e *Pauſania in Phocicis*, Phocenſes ſingulis annis Iſidi Titoreæ ſolenne ſacrificium facturos, ditiores quidem boves & cervos, tenuioris autem fortunæ homines anſeres immolare conſueviſſe. Tabula LXXVIII quidam ſacerdotum,

Pag. 10.

11.

quos ſectis Bellona lacertis

Sæva movet,

ante Divæ columnam conſtitutus proſciſſo femore ſiniſtro ſanguinem proſilientem ſiniſtra excipit & libat; unde lucem accipit locus *Tertulliani in Apologet. c. 9: hodie iſtbic Bellonæ ſacratus ſangvis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, ſignat &c.* Prætérimus jam ea, 170.

Digitized by Google

quæ idem de haſtis ſive ſceptris in manibus Deorum p. 61, de modio in capite Iovis Ammonii p. 69, de Neptuno a victoria coronato p. 72, de ſacrificio magnæ Deum matri exhibito p. 80, de intonſo capite Apollinis p. 87, de Columnis, ad quas Poetæ ſua carmina Populo prælegebant, p. 98, de Galeis criſtatis Deorum & Heroum p. 137, de ſignis Pantheis p. 162, de Palladio Veſtæ p. 164, docte commentatus eſt. Accedit his omnibus de veteri quodam Lacrimatorio criſtallino, figuris variis hieroglyphicis diſtincto, quod ille ex Muſeo *Leonis Strozzi* deprompſit, locuples Diſſertatio.

Pars III. Tertia Pars *Veneris cœleſtis*, *Victricis*, *Anadiomenes*, *Marinæ*, *Aphrodites*, *tirſigeræ*, *Cupidinis*, *Pſyches*, *Charitum*, *Bacchi & ſociorum*, *Silenorum*, *Faunorum*, *Libertatis*, ſiniſtra virgam, qua manumittendi caput a lictore percutiebatur, dextra pileum geſtantis, *Fortunæ*, *Deæ Rumiliæ*, *boni eventus*, ingenioſas delineationes complectitur, quibus addenda ſunt ſacrificia *Meretricia*, *Priapo*, *Mercurio*, *Laribus* facta aliaque. Tabula XIV Amor ſub ſpecie Pueri alati, vinctis pedibus baculo innixus lento greſſu incedit, additis circum literis: ΑΠΟΛ Η ΜΥΡ, quas Noſter interpretatur,
Pag. 28. ΑΠΟΛύωντι ἩΜΥσε Ῥάγα, vel: ΑΠΟΛλώμενος ἩΜῶν ΜΥΡετο. Tabula LXIV Pinum oſtentat, ex qua perſonæ quatuor ſcenicæ ſuſpenſæ ſunt; ad radices arboris pedum paſtorale & tibiæ compactæ
114. comparent. Noſter feliciter hoc ad Ludos liberales in honorem Bachi a Romanis pariter ac Græcis inſtitui ſolitos applicat: de quibus capiendi ſunt Virgilii verſus Georg. L. 2 v. 380.

Nec non Auſonii, Troja Gens miſſa, coloni
Verſibus incomtis ludunt, verſuque ſoluto
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis;
Et Te, Bache, canunt per carmina læta, tibique,
OSCILLA ex alta SUSPENDUNT mollia Pinu.

Tab. LXXIV Circulator urſum virga ad ſaltandum impellens, cum inſcriptione ΕΥΤΥΧΙ ΜΑΡΚΕΛΛΕ ΕΙΡΗΝΗ, haud dubie manſuetarius ſeu domitor ferarum eſt, quod genus hominum Romæ & alibi non ſine acclamatione & plauſu Populi excipiebatur, quo & verba hæc referenda eſſe arbitramur. Faciunt huc verſus in antiquo marmore reperti apud *Panvinium de Ludis Circenſibus* L. I p. 36 col. 2.

Urſus togatus, vitrea qui primus pila

Digitized by Google

Luſi decenter cum meis luſoribus,
Laudante Populo maximis CLAMORIBUS,
Thermis Trajani, thermis Agrippæ & Titi.

Mittemus jam obſervationes eruditas de origine perſonarum ſcenicarum p. 115, de manumiſſis per vindictam p. 120, de Diis ἀλεξικακῶν nomine venientibus p. 131, de Puteali Libonis p. 145, de Religione Larum p. 148, de more ſedendi in ſacrificiis p. 146, de Lucerna Larum p. 149, de Buſtuariis p. 160, de Hortis Pallantis eorumque ſitu adverſus *Nardinum* & *Panvinium* aliasque.

Agmen demum claudunt duo Numi, quorum alter eſt *Antonini Pii*, alter Uxoris *Fauſtinæ*. Prior caput optimi Principis laurea redimitum repræſentat circumſcriptis titulis: ANTONINUS AUG. PIUS PP. IMP. II. in averſa parte Jupiter nudus humana figura major dextra haſtam, ſiniſtra fulmen gerens ſtat, defluente ex ſiniſtro humero pallio, cui Gorgon affixus eſt. Circum leguntur TR. POT. XX. Cos. IIII. Cum vero anni Imperatorum omnium optime ex Chronologia Tribunitiæ poteſtatis ſibi conſtent, quam ſingulis annis, ut Autor eſt *Dio*, cum Tribun is ejus anni renovabant; & præterea notum ſit, Antoninum hunc Anno U. C. 891, qui eſt centeſimus trigeſimus octavus Æræ Chriſtianæ, primum Tribunatum geſſiſſe; exinde liquidum eſſe Noſter credit, annum Tribunitiæ poteſtatis viceſimum eſſe centeſimum quinquageſimum octavum a Chriſto nato: qua occaſione multa non vulgaria de ratione computandi Conſulatus Principum Romanorum, de cauſis item aſſumti ab iiſdem Tribunatus & Imperatorii tituli immiſcet. Numus *Fauſtinæ* ab una parte caput ejus vittatum cum inſcriptione: DIVA AUGUSTA FAUSTINA; ab altera vero Dianam Luciferam exhibet. Colligit ex his omnibus, eum poſt mortem demum, quæ incidit in A. 140, & poſtquam jam Dearum numero fœmina non probatis adeo moribus adſcripta eſſet, percuſſum. Occaſionem hinc arripit in Apotheoſeos, qua de *Marcellum Severolum*, Equitem Romanum, ante paucos annos e vivis ſublatum, integrum opus pene affectum ſcripſiſſe diſcimus, origines prolixius inquirendi. Natales illius optime tradi putat ab Autore Libri Sapientiæ c. XIV: *Acerbo luctu dolens Pater cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus erat,*

Pag. 191 ſeq.

198.

208.

nunc

nunc tanquam Deum colere cæpit, & conſtituit inter ſervos ſuos altaria & ſacrificia: neque dubitat, *Epiphanium*, *Auguſtinum* & *Chryſoſtomum* ſecutus, *Tharen* Abrahami genitorem primum ex luto & arte ſigillari ſtatuas formare doctum, ſuperſtitionem hanc invexiſſe, quod legatur Geneſ. XI, 28, mortuum eſſe Abrahamum ante
Pag. 209. Thare Patrem ſuum. Hunc porro ritum a Chaldæis ad Aſſyrios penetraſſe, apud quos Ninus Belum Patrem, Hebræis Bel, Phœnicibus Bahal dictum, publica religione inter Deos retulit; & probabile ſit Noſtro, ipſum Taren, cujus anno vigeſimo ſecundo, Mundi ſcilicet 1996, ſecundum *Euſebium* in Chronico, diem obiit Belus, hujus ſtatuam juſſu Nini effinxiſſe. Ab Aſſyriis eundem morem reliquos Aſiæ Populos itemque Ægyptios, quorum notiſſima erga *Serapidem*, *Iſidem*, *Anubin* aliosque eſt religio, accepiſſe;
213. eademque demum veſtigia legiſſe Græcos & Romanos. Defendit hic obiter *Maffeus* contra *Kirchmannum* & *Gutherium* ſententiam *Herodiani* L. 4 c. 2, qui eos Imperatorum conſecratos fuiſſe retulit, *qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus morerentur*. Id nimirum ab initio ita obtinuiſſe ait, poſtea vero creſcente Cæſarum potentia & ambitione, honorem iis etiam obtigiſſe, quibus ſucceſſorem ſive natura ſive adoptio negaſſent, ut *Nervæ*, *Commodo*, *Pertinaci*,
206. *Gordianis*, *Philippis*, *Decio*, *Valeriano & aliis*. Denique inter Apotheoſin Auguſtorum Auguſtarumque in ſolemnibus hanc ſolam
214. fuiſſe differentiam obſervat, quod in illorum Aquila, in harum vero conſecrationibus Junionis ales e rogo evolaret. Duraſſe illam ſuperſtitionem in Domo Auguſta etiam tum temporis, cum jam Chriſto nomen addixiſſet, evincunt numi duo apud *Angelonium* & *Triſtanum*, Apotheoſin *Conſtantini* M. & *Helenæ* matris referentes.

Pars IV. Sed ad Quartam eamque ultimam Partem divertendum eſt, quam miſcellam, cum primam recenſeremus, diximus. Videas hic *Achillis*, *Hectoris*, *Anchiſæ*, *Curtii*, *Cincinnati*, *Mutii Scævolæ*, *Trajani* aliorumque vultus; ex hiſtoria Mythica *Meleagri*, *Cadmi*, *Perſei*, *Meduſæ*, *Minotauri in Labyrintho*, ſcitas delineationes: ex Antiquitate Romana *Aquilarum triumphalium*, *Militum cum Congiariis*, *ſpoliis*, *ſigniferorum*, *Aurigatorum*, *Bigarum* elegantiſſimas delineationes: ut ſymbolica plura hic occurrentia ſilentio tranſeamus. Præ reliquis attentionem meretur Gemma oblonga, quam

cx

Digitized by Google

ex Muſeo *Franciſci Ficorini* depromptam ſervat Tabula XI. In uno latere vir currui inſiſtens bigas agit, addita inſcriptione: P. HVPSAEVS AED. CVR. CAPVT. In altero ſcriptum eſt in medio:

C. HVPSAE
COS
PREIVER

Ex quibus id quidem vero videtur ſimile, *P. Hypſæum* ex familia Plautiorum, plebeja quamvis, egregiis tamen viris incluta, & Ædilem curulem, de quo *Asconius* in *Miloniana* & *Dio* L. 40, memoriam *Caji Hypſæi*, qui conſul fuit cum *T. Manlio* A. V. 406, & iterum cum *L. Æmilio* A. V. C. 412, & rebelles Privernates acie vicit, eorundemque Urbem expugnavit, recolere voluiſſe, eamque in annulo ſuo geſtaſſe. Sed id expeditum minime eſt , quid ſibimet velit in priore latere addita vox CAPVT, niſi pro illa cum *Maffeo* legas CAPTO vel CAPTVm, & cum ultima dictione alterius lateris PREIVER conjungas, ſic ut legatur: *Cajus Hupſæus Conſul Preiverno capto* vel *Preivernum captum.* Quæ conjectura quamvis commodum ſatis ſenſum admittat, ob ſitum tamen vocum non usque quaque ſatisfacit; niſi credamus, transpoſitionem illam vocum ex errore vel ignorantia artificis profectam eſſe. Sub calcem Voluminis additæ ſunt quinque de totidem Numis antiquis rarioribus Diſſertationes, e quibus aliquos hic quoque repræſentabimus.

Prima, quæ eſt ad *Philippum Buonarrotum*, Senatorem & Antiquarium Romanum multis literariis documentis illuſtrem, examinat numum, in cujus una facie vultus *Antonii* & *Cleopatræ*, ſibi invicem obverſi, comparent, addito lemmate: M. A. IMP. TRIVMV. R. P. C. *Marcus Antonius Imperator Triumvir Rei publicæ conſtituendæ*; ab altera currus quatuor equis marinis tractus adſiſtentibus tribus perſonis, quarum una, ceteris longe minor, quadrigas regit, circum poſitis literis: L. BIBVLVS M. F. PRÆF. *h. e. Lucius Bibulus Marci filius Præfectus*; & in ima parte: ΔΣ, quos characteres cum ab initio *Δρέπανα Σικελίας Drepanum Siciliæ* interpretaretur Noſter, ac urbem innui exiſtimaret Siculam, ſedem Pro-Prætorum Præfectorumque & ſtationem notiſſimam Antoninianæ Claſſis; poſtea tamen meliora edoctus explicare maluit, *Δόγματος*

TAB. IV. Fig. 7.

τες Συγκλήτȣ *Decreto Senatus.* Oſtendit autem Vir doctiſſimus, numum hunc a L. *Bibulo* Pro-Prætore Siciliæ & Præfecto Claſſi Antoninianæ, filiô *Marci Calpurnii Bibuli*, in honorem Antonii poſt Victoriam Armeniacam, quæ incidit in A. ab U. C. 720, & forſitan eodem adhuc anno percuſſum eſſe; quod & poſt illam demum pugnam Antonius Imperatoris nomen adſciverit & Sicilia eo tempore eidem paruerit, ac ſub Pro-Prætore fuerit.

TAB. IV Fig. 8. Secunda Diſſertatio ad *Antonium Magliabechium* in numum inquirit *Commodi*, in quo caput Principis illius laureatum, pectus nudum, ambiente humeros Ægide cum capite Gorgonis, conſpicitur, addita epigraphe: M. COMMODVS ANTONINVS PIVS FELIX. AVG. BRIT. In adverſa parte mare navigant duæ majores naves & triremes tres, propinquo litori Pharo impoſito, ad quem ſtans cum miniſtro ſacrificulus velatus acerram ſuper tripode tenet, proxime abhinc equo occiſo humi projecto, additis verbis: VO-

Pag. 166. TIS FELICIBVS. In hoc numo duo conſideranda ſunt, characteriſmus temporis & occaſio. Prior elicitur ex prænomine *Marci*, quod in locum *Lucii* aſſumſit poſt Tribunitiam poteſtatem tertiam, & retinuit usque ad Conſulatum ſextum & Tribunatum XVI itemque ex agnominibus; ex quibus *Pii* Trib. Pot. IIX, *Britannici*, IX & non multo poſt *Felicis* adſcivit; unde clarum fit, hunc numum

167. poſt nonam Poteſtatem Tribunitiam prodiiſſe. Occaſio videtur inſtituta a *Commodo* claſſis Africana, quæ, ut loquitur *Lampridius in ejus vita, ſubſidio eſſet, ſi forte Alexandrina frumentaria ceſſaſſet*; quam conjecturam juvat *Caput Serapidis cum modio* in altera majori navi

169. conſpicuum. Sacrificium autem haud dubie denotari pro felici expeditionis ſucceſſu Neptuno factum, cui Equos a Veteribus immolatos eſſe, teſtimoniis idoneis probat.

Tertia, quæ ad V. Cl. *Gisbertum Cuperum* dirigitur, numum

171. excutit, in quo capita laureata *Treboniani, Galli* & *Voluſiani* Auguſtorum cum Epigraphe: IMP. GALLVS AVG. IMP. VOLVSIANVS AVG. ſemet objiciunt; in altero latere iidem Auguſti togis pictis ſive palmatis induti, currui triumphali ſex albis juncto, quibus utrinque duo armati adſtant, a Victoria coronantur, adſcriptis literis: PON. MAX. TR. P. II COS. II ET COS. Oſtendit hic

174. Maffeus, annum ſecundum Tribunitiæ poteſtatis incidere in Annum

ab

ab U. C. 1005 & Æræ Chriſtianæ 252, ſimulatique de Scythis triumphi, quibuscum fœdiſſimam pacem, promiſſo adeo tributo, inierat, ſpeciem præbere.

Quarta, quam Viro ill. *Juſto Fontanino* dicavit, numum expendit *C. Aurelii Valerii Diocletiani* Anno U. C. 1137 a C. N. 284 non viceſimo quidem Aprilis menſis, ut viſum *Baronio*, *Golzio*, *Joſ. Scaligero*, *Calviſio* aliisque, cum *L. 4 C. de Delat.* data ſit 3 Kal. Sept. *Carino* & NUMERIANO *Coſſ.* ſeu 15 Kal. Octobr. ſive 17 Sept. ut ex Faſtis Siculis probavit eminentiſſimus *Noriſius*, ad Imperatoriam dignitatem evecti. Viſitur ab una parte caput Imperatoris ſine laurea cum titulis: IMP. CL. VAL. DIOCLETIANVS P. F. AVG. ab altera tres fœminæ dextris librum, ſiniſtra copiæ cornu geſtantes incedunt, ſubſcriptis verbis: MONETA AVGG. ſive *Auguſtorum*, quæ indicio ſunt, numum hunc tunc demum conflatum, poſtquam *Maximianum* jam in ſocietatem Regni admiſiſſet *Diocletianus*, hoc eſt, poſt annum inſtauratæ ſalutis ducenteſimum ſextum & octogeſimum. obſervatu dignum, quod cum in aliis numis laureato, in hoc nudo capite videri maluerit *Diocletianus*, quod Noſter ideo factum arbitratur, quia Jovi, ut in aliis, ita in hoc quoque ſimilis eſſe affectaverit; quam in rem non vulgaria adducuntur.

Pag. 185. 186. 188.

Quinta & ultima data eſt ad *Johannem Brancadorium*, Canonicum, & explicat numum, in cujus una parte caput Imperatoris ſpoliis Leoninis tectum (Hercules enim videri volebat; unde & Herculei nomen adoptavit) cum inſcriptione IMP. C. M. AVR. VAL. MAXIMIANVS P. F. AVG. in altera parte templum ſex columnis innixum, cujus in atrio ſtat Jupiter fulmen dextra, haſtam ſiniſtra tenens; ad pedes Aquila occurrunt. In aditu Templi legitur: JOVIVS AVG. circa oram Nummi: JOVI CON SER VAT ORI AVG. Res eo redit, *Maximianum* numiſma hoc ad adulationem & in honorem Collegæ *Diocletiani*, qui per omnia Jupiter credi, *Jovii* etiam nomine in ſe derivato, poſtulabat, procudi feciſſe.

TAB. IV. Fig. 9. Pag. 196.

RESPONSIO AD IMPUTATIONES JOHANNIS FREINDII in Tranſactionibus Anglicanis Num. 331 p. 330 & ſeqq.

Cum ſcientiarum incrementa nobis curæ cordique ſint, non inconſultum duximus, data ab Autoribus, quorum ſcripta recenſemus, occaſione, monita ad illarum profectum proficua ſubinde inſpergere: nec diſplicuit intelligentibus hoc inſtitutum. Itaque Cl. *Freindii* Prælectiones Chymicas, in quibus veſtigia quorundam conterraneorum ſuorum legens vim attractricem materiæ in numerum principiorum phyſicorum retulerat, A. 1710 Menſe Sept. in ſcenam producentes monuimus, vim hanc attractricem tanquam qualitatem occultam non eſſe poſtlimino ad naturæ phænomena explicanda in phyſicam revocandam, ne alii eadem licentia uſi alias qualitates occultas in philoſophiam reducant. Probe autem notandum eſt, nos impugnaſſe vim attractricem, quatenus pro vi primitiva habetur, non quatenus ut phænomenon admittitur, uti diſerte legitur in Actis A. 1711 p. 221. Cl. igitur *Freindius*, ad objectiones noſtras paucis reſpondere poterat, ſe vim attractricem admittere ut phænomenon, adeoque ſibi non adverſari objectiones noſtras. Hac reſponſione contenti fuiſſemus, niſi quod ipſum aliosque rogaſſemus, ne per eam phænomena explicent, anteqvam ſatis conſtiterit, dari eo in caſu aliquam attractionem. Enimvero prolixas in Tranſactionibus Anglicanis, quæ menſe Septembri A. 1711 prodiere, nunc vero demum ad nos deferuntur, inſeruit Prælectionum ſuarum Chymicarum Vindicias, in quibus nobis imputat a mente noſtra maxime aliena. Contra quæ enim diſputat, ea ipſimet improbamus, immo, ſi ita velit, deteſtamur.

Nam 1 nobis imputat, quod eam philoſophandi methodum rejiciamus, qua olim *Archimedes* in Mechanicis & Hydroſtaticis, recentius *Gallilæus* in Staticis, Mathematici in univerſum omnes in ſcientiis opticis, *Newtonus* in Philoſophiæ naturalis principiis mathematicis & *Wolfius* in Aerometria uſi fuerint, ut ſcilicet primum multiplici experimento corporum vires perquirantur & inde, poſthabita cauſarum indagatione, phænomena enucleentur. Enimvero nos apprime probamus methodum philoſophandi, quæ Matheſin ad experimenta applicat & theoremata generalia demonſtrat, unde phænomena prædicere licet, & ultro concedimus, quæ ex *Wolfii* præfatione ad Aerometriam in Actis A. 1710 p. 25 de eadem retulimus. Miramur vero, qui fieri potuerit, ut contrariam ſententiam

nobis

nobis imputaret *Freindius*. Ipſe nimirum ſtatim ab initio Vindiciarum ſuarum fatetur, *nos modum, quo experimenta chymica ad naturæ leges perpendere aggreſſus ſit, ne attingere quidem; principia ipſa convellere conari.* Qui vero principium aliquod, quo quis ad explicanda phænomena chymica utitur, convellere conatur, is ſane methodum ipſam philoſophandi non improbat. Præterea Cl. *Freindius* ea methodo, quo *Archimedes* & alii ejus veſtigiis inſiſtentes philoſophati ſunt, minime utitur; ſed more vulgari quorundam chymiæ phænoménorum rationes reddere conatur. Neque enim ut *Archimedes* ad experientias indubias Geometria applicata theoremata demonſtravit, ex quibus phænomena prædici poſſunt. Ideo de opuſculo ejus diſſerentes *loc. cit.* p. 416 epilogi loco addidimus: *tum demum dicendum, Chymicos in theoria valde profeciſſe, cum effecerint, ut experimenta nondum capta ex conſtitutis principiis prædici posſint*, hoc eſt, quando methodo *Archimedea* philoſophati fuerint. Apparet itaque, nos eo in loco commendaſſe *Archimedeam* methodum, ubi eam impugnari aſſerit *Freindius*. Quantum enim diſcriminis inter eam & *Freindianam* intercedat, primo intuitu comparebit, Prælectiones Chymicas *Freindii* cum libris *Archimedis* de inſidentibus humido collaturo. *Archimedes* ſane eo, quo *Freindius*, modo philoſophatus fuiſſet, ſi diverſum corporum gravium in diverſis fluidis pondus obſervans *vim aliquam abſorbentem* in fluidis finxiſſet, eamque abſolute inexplicabilem, & rationes phænomenorum circa gravitationem in fluidis phyſicas redditurus dixiſſet, vim illam abſorbere tanto majorem gravitatis partem, quo fluidum denſius ſeu pluribus particulis conſtat, per quas vis illa abſorbens æqualiter diſſeminata. Quodſi ita viſum fuerit Cl. *Freindio*, nos eadem concinnitate omnia gravitationis corporum in fluidis phænomena per hanc *vim abſorbentem* (quam dubio procul nobiscum pro figmento habet) explicabimus, qua ipſe phænomena chymica per vim attractricem enucleat. Immo dabimus theoremata de vi abſorbente geometrice demonſtrata: Geometria enim æque in figmento, ac in vera hypotheſi munere ſuo fungitur. Sed agedum! potius ipſe periclitetur ingenii ſui vires in aliquot theorematis chymicis eruendis, qualia in hydroſtaticis dedit *Archimedes*, certo perſuaſus, nos eodem ipſum elogio, quod *Archimedi* tribuit, mactaturos.

 2 Falli-

Digitized by Google

2. Fallitur totus Cl. *Freindius*, dum a nobis ideo potiſſimum vim attractricem rejici affirmat, quod per rationes mechanicas minime explicari poſſit, adeoque velle, ut nihil in phyſica admittatur, niſi cujus cauſa ſit perſpecta. Qui enim verba noſtra in Actis A. 1710 p. 412 cum attentione legit, ſtatim animadvertit, nos vim attractricem impugnare, quatenus pro *primitiva* habetur, ac inde probare, quod Antagoniſta eam pro primitiva habeat, quia per rationes mechanicas explicari poſſe negat. Licet autem in ſuis Vindiciis videri velit, quaſi eam ſaltem ut phænomenon admittat, quomodo gravitatem, elaterem & electricitatem admittimus; ſibi tamen minime conſtat. Neque enim contradicit, *ſi quis eam neque materiæ neceſſario ingenitam, neque rationibus mechanicis explicandam cenſens in voluntatem Dei reſolvit*. Enimvero qui vim attractricem admittit ut cauſam phænomenorum ſua natura inexplicabilem, cujus non alia aſſignari poſſit ratio præter voluntatem divinam; is utique vim attractricem non admittit ut phænomenon, ſed ut qualitatem occultam, adeoque ad ſcholæ battologias redit: id quod ipſo gravitatis exemplo facile illuſtrari poteſt. Si quis enim quæſitus, cur corpora ſublunaria nitantur verſus centrum terræ, cauſam in gravitatem conjicit, eamque pro vi primitiva in ſe explicabili & ex mero Dei arbitrio corporibus impreſſa venditat, gravitatem pro qualitate occulta habet. Phænomenon enim eſt, gravia niti verſus centrum terræ; ſed rationem redditurus per gravitatem utique aut ταυτολογίζει, aut monſtrum in natura minime exiſtens fingit. Similiter phænomenon eſt, planetas lineas curvas deſcribere, & hinc ratione colligitur, eas duplici vi urgeri debere, altera qua progrederentur per tangentem in linea recta, altera qua continuo directionem mutare cogantur. Poteſt aliquis motus rationem per Geometriam demonſtrare, inſuper habitis cauſis duplicis iſtius impulſus. Sed ſi quis rationem phyſicam redditurus ad vires a Deo impreſſas confugiat; is omnino qualitates occultas introducit: neque enim aliam virium notionem habet, quam quæ phænomeno reſpondet. Unde aut dat ſine mente ſonos, aut in imaginatione idolum fingit, cujus exiſtentiam probare nequit. Deſinat igitur Cl. *Freindius* ægre ferre, quod iſtiusmodi entia figmenta dixerimus. Talia enim entia, quorum

rum nulla datur ratio, niſi voluntas Numinis, in rerum natura exiſtere non poſſunt, cum eſſentiæ rerum ab indifferenti Dei arbitrio minime pendeant, ſed in intellectu divino repræſentatæ fuerint ante omne decretum. Fruſtra vero veretur Antagoniſta, *ne hac ratione notio Dei cuncta providentis atque moderantis ex animis hominum evellatur.* Qui enim res metaphyſicas altius ſcrutati ſunt, in eſſentiis rerum, non modo principia geometrica, ſed & metaphyſica agnoſcunt, quorum illa ſunt fundamentum ejus, quod in rebus abſolute neceſſarium, hæc gradus perfectionis determinant, ut adeo ex multis poſſibilibus in intellectu divino repræſentatis unum cum ratione eligi potuerit. Atque adeo in philoſophicis nunquam recurrendum ad voluntatem Dei, niſi cum quæſtio fuerit, cur ex numero multorum ſua natura æque poſſibilium hoc potius exiſtat, quam aliud. Neque hic ad nutum Numinis ſine ratione provocandum: quin ſemper demonſtrandum, Deum hoc voluiſſe cum ſumma ratione, hoc eſt, rem in ſuo genere eſſe perfectiſſimam. Quamvis autem Cl. *Freindius* admodum confidenter vim attractricem *inter principia jam diu pro certiſſimis habita* reponat; quo jure tamen id fiat, utique nos ignorare lubentes fatemur. Antequam enim Latina Opticæ *Newtonianæ* editio prodiret (prodiit autem A. 1706) nihil, ſaltem apud nos, de vi iſta inauditum; nec ullum hactenus videre contigit, qui ad eam adſtruendam argumenta quædam proferret. Omnes, quos vidimus, unice ad Latinam Opticæ *Newtonianæ* editionem provocant & in ea vis hujus exiſtentiam demonſtratam eſſe affirmant, autoritate profecto magis, quam rationibus adducti. Etenim in Actis A. 1711 p. 211 jam monuimus, illuſtrem *Newtonum* pro ea, quæ ipſi eſt, ingenii perſpicacia per ſua experimenta nondum plene convictum eſſe, quod vis iſta *tanquam phænomenon* ſit admittenda; ſed intra conjecturarum limites ſubſiſtere. Neque inter Anglos ipſos eandem omnes admittunt. Certe Cl. *Liſterus* jam A. 1709 illam in numerum *principiorum precariorum* retulit & phænomenorum rationes inde reddentes *ignotum per ignotius exponere* judicavit. Inter exteros nemo adhuc repertus eſt, qui novum attractionis ſyſtema phyſice probaret. Sunt vero plures, qui idem impugnarunt. Si gravitatis exiſtentia adeo adhuc in obſcuro lateret, ut plures eandem improbarent, quam defenderent,

Digitized by Google

derent, & nonniſi unus ex quibusdam phænomenis, quæ tamen ipſemet inſufficientia agnoſceret ad aliquid certo ſtatuendum, eam ſuſpicaretur; nemo profecto gravitate tanquam principio conceſſo uti poſſet, niſi in leges philoſophandi fundamentales peccare vellet. Agnoſcat igitur Cl. *Freindius*, nos multo æquius cum ipſo egiſſe, quam par erat. Poteramus enim attractionem rejicere ut phænomenon, quamdiu ejus exiſtentia ſufficienter probata non eſt: ſed nos tantum eam impugnavimus, quatenus habetur pro principio primitivo ſeu abſolute inexplicabili, in dubio relinquentes, utrum aliquando experimenta ſufficientia quispiam allaturus ſit, nec ne, ad eam ut phænomenon perſuadendam. Cum igitur *Freindius* glorietur, plura ſibi præſto eſſe experimenta vis attractricis exiſtentiam probantia, quam unquam alii ad demonſtrandam aeris gravitatem ſunt allaturi; rogamus ipſum, ut ea in publicum proferat, & ſi per ea eadem evidentia conſtabit, materiæ maſſulas ſe mutuo attrahere, qua gravia deorſum niti experimur, attractionem in poſterum ut phænomenon admittentes, patiemur, ut in corporibus, quibus ea attractio ineſſe clariſſime obſervatur, tanquam cauſa aliorum phænomenorum allegetur, quæ per eam ſufficienter explicari poſſunt, licet conſtanter inter qualitatum occultarum defenſores relaturi ſimus, quotquot ex hoc phænomeno principium quoddam primitivum, hoc eſt, abſolute inexplicabile effingent. Ni fallimur, *Freindius* demonſtrare ſatagit vis controverſæ exiſtentiam, dum ait: *Experientia comprobatum eſt, radios lucis, quæ a Sole, ſtellis inerrantibus, vel etiam ab eo, quo utimur igne, dimanat, verſus oras ſolidorum corporum æqualiter allici; ea autem immutabilis natura lex eſt, ut, ubicunque ſit actio, ibi una non poſſit non eſſe reactio: itaque vere & jure concluſuri videmur, principium hoc, quod* attractionis *nomine vocamus, tum revera exiſtere, tum per univerſam omnino materiam diffundi. Quod licet in omni materia inhæreſcat,* id tamen *in minutisſimis Corpuſculis vim ſuam ad ſenſum magis patefacere demonſtravit Vir in Phyſiologia acutisſimus Dn. Keillus.* Enimvero quis non videt, aſſumi, minime autem probari, radios lucis a corporibus *allici* ſeu *attrahi*, quaſi vis quædam in corpore illuminando reſidens in diſtans operetur & radios alioquin prætervecturos ad objectum adducat. Quis enim obſe-

cro

ero unquam dixerit, cauſam, cur globus propulſus in parietem impingat, eſſe vim quandam attractricem, quæ in pariete reſidet modoque ignoto in diſtans operatur? Profecto qui ita ratiocinantur, eos qualitates occultas in philoſophiam revocare, immo nugari, nobiſcum fatebuntur omnes.

3. Cum adeo pro certo habeamus, vim attractricem ut principium primitivum eſſe phyſice loquendo abſolute impoſſibile, nec ſufficienter hactenus probatum exiſtimemus, quod tanquam phænomenon in omni materia ſit admittendum; ſine ulla veritatis ſpecie aſſerit Antagoniſta, omnem noſtram argumentationem huc tandem redire: *Si unum aliquod principium, quod in rerum natura exiſtere obſervatione certa compertum eſt, concedimus, ideo oportet etiam alia, quæ nunquam extiterunt, approbare, uti verbi gratia, ſi gravitatem agnoſcimus, quam corporibus quibuscunque ineſſe certo animadvertimus, quanquam illius cauſam prorſus neſcimus, idcirco fabulas Philoſophorum omnes & commenta amplecti neceſſe eſt, quæ nec experientia ulla confirmari, nec ratione explicari queunt.* Huc enim noſtra redit argumentatio: ſi uni concedendum, ut ſine ratione aſſumat principium aliquod, quod in rerum natura exiſtere fingit, quia veras phænomenorum cauſas ignorat &, ut probandi onus declinet, pro abſolute inexplicabili venditet; pari certe jure & alteri concedendum erit, ut ſine ratione aſſumat principia alia, quæ NB. *ipſe agnoſcit inexplicabilia.* In hac vero argumentatione nihil unquam abſurditatis monſtrabit Antagoniſta.

4. Denique cum aſſeruimus, ſi quo in caſu masſulæ corporum ſe attrahi videantur, id non inepte a Viris doctis jam explicatum eſſe, ſtatuendo plurimas materiæ particulas ſphæra quadam magnetica fluidi ſubtilioris eſſe circumdatas, cujus motu (ut in magnetibus noſtris videmus) attrahant ſe invicem aut repellant; quivis, cui eſt animus ab affectibus ac præjudiciis liber, facile intelligit, nos contendere, attractionem masſularum eodem modo fieri debere, quo magnes trahit ferrum, conſequenter a pulſu fluidi cujusdam ambientis rationem petendam eſſe. Nequaquam igitur fingimus ſphæram magneticam ut ens ſua natura inexplicabile, etſi fieri posſit, ut nondum adæquate eam explicare valeamus: neque ipſimet, quia voce attractionis utimur de phænomeno ex hypotheſi loquentes,

tes, vim attractricem in ſubſidium vocamus. Quis enim unquam affirmare auſus eſt, Copernicanos ipſos motum Solis ad explicandum ejus ortum in ſubſidium vocare, quando ajunt, Solem intervallo 24 horarum ſemel appellere ad horizontem ortivum, quia tellus intra hoc ſpatium motum vertiginis intra axem abſolvit. Sed piget iis ulterius immorari, quæ ſponte ſua corruunt: id unice adhuc addidiſſe contenti, illuſtris *Leibnitii* dynamica Cl. *Freindio* minime eſſe perſpecta, ſiquidem vim, quam is materiæ eſſentialem ſtatuit, eandem cum vi ſua attractrice judicat. Tanto enim intervallo diſſident, quanto cœlum diſtat ab aſtris. Fallitur quoque idem *Freindius*, dum audacter pronunciat, quæ *Leibnitius* in his Actis de communi errore momenta corporum ex ratione compoſita maſſæ ac celeritatis æſtimantium annotavit, *una fere Mathematicorum voce atque ſententia improbari.* Geometræ enim perſpicaciſſimi dudum agnovere hanc veritatem & rigoroſis demonſtrationibus corroborarunt. Certe acutiſſimus *Bernoullius*, cui ſummorum Geometrarum paralogiſmos perſpicere datum eſt, demonſtrationem geometricam theorematis *Leibnitiani* invenit, quam dudum cum *Voldero* & *Wolfio* aliisque communicavit & qua priorem pertinaciter receptæ opinioni adhærentem tandem eo adduxit, ut manus victas daret. Similiter aliam invenit celeberrimus *Hermannus*, qua celebris nominis Mathematicos ejusdem veritatis convicit. Immo ipſe inventor *Leibnitius* elegantem theorematis ſui ex principiis mere metaphyſicis contexuit demonſtrationem, ſed eam rigoroſam maxime atque profundam, quam ante annos complures cum *Bernoullio* atq; *Wolfio*, forſan & aliis communicavit. Hæc quidem hac vice ad Cl. *Freindii* vindicias reſpondere viſum eſt: ſed ne præter intentionem noſtram Acta Eruditorum in theatrum controverſiarum abeant, in poſterum noſtra ſpernentes ſuo abundare genio patiemur. Inprimis eos reſponſione indignos judicabimus, qui convitiis extorquere voluerint, ut doceantur. Quamobrem *Mayerum* quendam non eo, quo par erat, animo agnoſcentem, quæ commodo ipſius in Actis A. 1712 p. 348 monueramus, ſuo in fingendo ſenſu abundare & vano affectuum impetui pœnas dare facile patimur: lites enim ut eruditos dedecent, ita nec in Actis Eruditorum locum merentur.

JOHAN-

JOHANNIS CRAIGII ADDITIO AD SCHEDIAſma de Linearum Curvarum Longitudine Actis A. 1710 p. 352 inſertum, excerpta ex Tranſ. Anglic. A. 1710 n. 328 p. 195.

Lectorem monitum volo, quod curva, quæ ex noſtra problematis de longitudine linearum curvarum analyſi reperitur, eadem ſit cum propoſita. Ego quidem de recte inſtituta tantum analyſi ſollicitus hanc curvæ propoſitæ & inventæ coincidentiam minime obſervaram, priusquam de ea me certiorem fecerit Cl. D. Jo. Bernoulli in litteris ſuis ad D. Guil. Burnetum R. S. S. miſſis, in quibus etiam celeberrimum Virum meis contra *motum* ſuum *reptorium* objectionibus plene ſatisfeciſſe, ex puro (quam colo) veritatis amore libenter agnoſco.

SECTIONUM CONICARUM ELEMENTA nova methodo demonſtrata; Autore JACOBO MILNES, A. M. Rectore de Ingeſtre in agro Staffordienſi.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1712, 8.
Plag. 15 Tabb. 19.

De priori horum Elementorum editione abunde dictum eſt in Actis A. 1703 p. 226 & ſeqq. In hac menda typographica, quæ in priorem nimis crebra irrepſerant, ſtudio inprimis *Martini Benſon*, ædis Chriſti alumni (juvenem doctum, ingenuum & Matheſeos admodum ſtudioſum Cl. Autor vocat) ſublata, obſcuriora clarius explicata, demtis quibusdam generaliora ſubſtituta, plurimaque hinc inde inſerta, quæ ad operis complementum deſiderari viſa ſunt.

NOVUM INVENTUM MICROSCOPII CUJUSDAM compoſiti, res quascunque minutisſimas, diaphanas pariter ac opacas, vel ſereno vel perturbato cœlo, interdiu noctuve ſemper aptisſime iſtius ope perluſtrandi, delineandi dimetiendique gratia adornati; deſcriptum a CHRISTIANO GOTTLIEB HERTELIO, Mathem. in Acad. Illuſtr. Lygiorum Profeſſ. Publ.

 Lignitii,


Lignitii, typis Joh. Chriſtoph. Wazoldi, 1712, 4.
Plag. 2. Tabb. æn. 4.

COmmendat Cl. *Hertelius*, microſcopii, quod hic repræſentamus, inventor, microſcopia ſimplicia *Leeuwenhœkii* ac *Muſſchenbrœkii*; compoſita *Hookii* atque *Bonanni*, quibus poſterioribus addi poterant alia nonnulla ab inſignibus in hac arte quibusdam artificibus Anglis confici ſolita. Quamvis autem Autor ingenue fateatur, quod ex illorum inventis profecerit; in omnibus tamen, quæ hactenus ipſi videre contigit, microſcopiis objecti directionem minus commode accurateque procedere & media deficere notavit, quibus corpora delineari atque menſurari poſſunt. His igitur defectibus medelam quærere ſtuduit: id quod ex ipſa microſcopii deſcriptione patebit, quam ipſis fere Autoris verbis dabimus. Compoſitum eſt ex tribus vitris. Ocularis primi æqualiter convexi *a* latitudo integra eſt unius pollicis & $\frac{11}{100}$ totius pollicis Rhenani, radius $2'' \frac{5}{100}$, diſtantia ab oculo in E applicato $1'' \frac{58}{100}$. Oculare alterum æqualiter convexum *b* diſtat a primo *a* $\frac{80}{100}$, Ejus latitudo ſeſquipollicis, radius $2'' \frac{58}{100}$. Diſtantia lenticulæ objectivæ *c* ab oculari altero *b* eſt $7''$ plus minus: tubus enim interior ex exteriori pro intuentis arbitrio extrahi poteſt. Radius convexitatis $\frac{90}{100}$.

TAB. V. Fig. 1.

Fig. 2. Fulcimentum tali modo conſtructum, ut & tubus ipſe & objectum ſubſtratum facillimo negotio ope quarundam cochlearum accurate dirigi valeant. Iſte enim in ſitum perpendicularem & obliquum ac circa fulcrum ſuum ex utroque latere agilis: hoc cum diſco tripartito ſusque deque, huc illuc, moveri poteſt. Ad tubi nempe ſuſtentationem pedamini ligneo immiſſum eſt fulcrum orichalceum AE per ſtylobatam eburneam FA ad fundum fere pedaminis axiculo tranſiens ibidemque, ne tubus GH in objectum jamjam directus iterum removatur, cochlea quadam præcluſum ſuperiusque in E pro tubo reclinando articulatum, ita ut infra articulum ex parte IK tubum continente cochlea incurvata KL per fulcrum tranſeat, qua mediante per matricem ejus M fulcro immiſſam vel attrahendo, vel propellendo in quemlibet ſitum tubus diſponi poſſit. Diſcus NOP in tres minores dividitur, quorum duo N & O ad craſſitiei dimidium excavati. Alter N pro nigricantibus objectis fundum eburneum; alter O pro albidis nigrum ex ligno ebeno habet.

Tertius



Digitized by Google

Digitized by Google

Tertius P perforatus vitro pauliſper concavo inſtruitur ad recipiendum objecta pellucida ſive ſolida, ſive fluida. Horum gratia ſpeculum planum QR, quod ope manubrii V in X verti & per ſemirotulam Y atque axin Z manubrii V ſtriatum, ſe invicem intrinſece tangentes declinari poteſt, lucem in objectum reflectit. Diſcus una cum ſpeculo triplici gaudet motu, alio elevationis ac depresſionis anſula *a*, vertiginis alio cochlea *b*, ac demum alio remotionis a fulcro tubi vel promotionis ad illud juxta tubi diverſum ſitum cochlea *c* productis. Cavitati nimirum pedaminis inſerta eſt machinula EFGH ex mero orichalco confecta atque huc illuc ope cochleæ IK mobilis. Huic enim ſuperſtructa eſt fulcri NL diſcum tenentis ſuper aſſerculum *defg* (Fig. 1) ex ebore tornata cruſta AB cochleolis C & D firmata. Per hanc fulcrum ipſum tranſit cylindricum ex duabus partibus pro duplici motu conſtructum, quarum una LN alteri S (craſſiuſculis lineolis fulcro tereti ſolidiori LN utrinque adpictis Fig. 4 indicatæ) quaſi vaginæ immiſſa eſt. Hæc ab imo usque ad dimidium altitudinis a latere dextro O dentibus inſtructa, rotularum P, Q, R auxilio, moto manubrio M (ſive *a* Fig. 1) aut attolli aut deprimi una cum incluſo fulcro ac impoſito diſco poteſt. Iſtarum rotularum ultima R, ne motus propulſionis totius ciſtulæ EFGH, cui indita eſt, impediatur, in axi ſuo OT uti reliqui duo axes in K & N claviculo a protractionis metu præcluſo, utrinque ductilis: non tamen quoniam hic axis crenæ, æqualis cum foramine oblongo in pedamine facto longitudinis, ſibi inciſæ ſinu protuberantem in cavitate cylindri dentati R partem excipit, circa iſtum verſatilis eſt. Præterea fulcrum intrinſecum, cui ſuperius immediate applicatus eſt diſcus, pro motu diſci vertiginis in dimidia parte inferiori deſuper ſtriatum eſt ac circumdatum vagina, ea ex parte pro amplitudine rotulæ fulcro a latere ſiniſtro parallelo ſitu dentibus prælongis implicatæ M exſciſſa, ſemperque ſive ſublatum ſit, ſive depreſſum, hac ratione cum iſta rotula manet combinatum: quam iterum cochlea perpetua transverſim adaptata V ſuoque axi NZ iſti TO ex omni parte ſimili prædita tangit & circumvoluto manubrio *b* lento gradu iſtam atque iſta fulcrum cylindriforme vertit. Ad objectum illuminandum pedamento afferruminata eſt vaginula *kl* ſtylum excipiens *mn* ſuperius in *n* capitulo, quadrato foramine

Fig. 3 & 4.

Fig. 1.

foramine pertuſo, inſtructum, per quod ad angulum rectum ſitumque horizontalem transfixa eſt regula quadrata *op* ductilis, in O tribus ramulis, duobus collateralibus *qr* lampadem penſilem *ſtu*, poſteriori *w* ſpeculum *z* argenteum, idque concavum ac eleganter

Fig. 5. politum tenens, quod lumen in lentem convexam *x* reflectit. Veram machinulæ illuminatoriæ imaginem Figura 5 monſtrat. De reliquo apparatu in ſchemate ſimul adpicto ut dicamus, non opus eſſe judicamus. Ad delineanda objecta micrometrum collocatur in foco communi lenticulæ objectivæ & vitrorum ocularium (quoniam ocularia ob focum communem pro unica lente habet) quod per filamenta in quadratula diviſum. Ad eadem dimetienda utitur *Kircheriano*, quod deſcripſimus in Actis A. 1711 p. 7.

OBSERVATIO DE CASU HYDROPICO, IN quo folliculus fellis in molem inſolitam erat diſtentus, communicata a JACOBO YONGE, Societ. Reg. Socio & Chirurg. Excerpta ex Actis Philoſoph. Anglic. A. 1712 N. 333.

Mulier *Dyer* 30 ætatis annos excedens materque aliquot liberorum optime valebat, usque ſub finem Januarii, poſtquam extraordinaria occaſione frequentes egiſſet vigilias, dolore abdominis, veluti colico, inciperet vexari. Sub quo tamen *Aſcites* latebat adeo celeriter increſcens, etiamſi omnis generis adhiberem remedia, ut die 9 *Martii*, cum ſuffocanda videretur; Paracenteſin in loco ſolenni cogerer acu cannulata inſtituere hancque operationem repetere, quoties abdomen ſero turgeret. Sicque variam ſeri quantitatem variis hic adſcriptis evacuavi temporibus:

Die *Mart.* 9 extraxi	———	9 Sextarios.
14 ———	———	8
April. 2 ———	———	12
16 ———	———	10
Maj. 17 ———	———	14
31 ———	———	14
Jun. 14 ———	———	14
24 ———	———	14

Jul.	7 ———	——— 17
	21 ———	——— 16
	30 ———	——— 16
Aug.	6 ———	——— 14
	17 ———	——— 14
	26 ———	——— 13
Sept.	1, 6 & 22	——— 11½
Octob.	1 ———	——— 3
	30 ———	——— 15
		214½

Octo nempe menſium intervallo aquæ ducentos & quatuordecim ſextarios cum dimidio evacuavi. Interea temporis nihil eorum omittebam, quæ fonti obſtruendo conducerent, ſed incaſſum omnia: die namq; 4 *Novembris* A. 1711 exſpirabat, in abdomine autem inciſo ſequentia notatu digna & incredibilia occurrebant.

Ex abdomine 14 ſextarii manabant virideſcentis ſeri, commixti cum materia vere purulenta, nullatenus licet fœtida.

Cuncta *inteſtina*, ſpeciatim *Colon*, livebant diverſisque in locis *peritonæo* adhæreſcebant, quod aquæ tam diu fuiſſent immerſa.

Omentum, fere conſumtum, nigreſcebat.

Hepar, quod induratum conjiciebam, omni carebat vitio, niſi quod lobus ſiniſter duobus levibus obſideretur ulcuſculis.

Hoc atque *peritonæum*, in hydropicis plerumque referta *hydatidibus*, ab his prorſus cernebantur immunia, quarum plurimæ in ventriculo erant ac inteſtinis.

Summopere vero mirabamur ingentem veſicam inſtar bubulæ diſtentam, quæ tantum non omnem *hepatis* & *ventriculi* regionem occupabat & tam arctam cum adjacentibus partibus cohæſionem alebat, ut non niſi difficulter eam ſejungere potuerimus, nec omnem penitus auferre. Tanti tamen prodigii admiratio noſtra mox in ſtuporem vertebatur, cum eam *folliculum* eſſe *fellis* deprehenderemus, qui dilatatione ſua hepar ita ſeparaverat, ut altera hujus pars ſiniſtrorſum cum monſtroſa hac *veſica*, et altera retro cum dorſo cohæreret, utraque vero cum illa expanderetur & uniretur ſimili modo, ac muſculus temporalis cum *cranio*.

Tota decem libras & duodecim uncias pondere adæquans, omni

omni deſtituebatur meatu, per quem materia contenta emitteretur, licet ipſam fortiter ideo comprimeremus, nec talem ope ſtyli poteramus detegere, ita ut viam ſcalpello parare haberemus neceſſe, per quam ſeptem ſextarii liquoris atri inſtar *Coffee* effluebant, e quo per noctem in pelvi repoſito duo ſextarii circiter craſſarum *fæcum* flavarum ſubſidebant.

Liquor hujus veſicæ & qui ab obitu in abdominis cavo repertus, ſi addatur quantitati ſeri per paracenteſin extractæ, ſumma creſcet ad 23 ſextarios.

Præter prodigioſam quantitatem materiæ, veſicam magnam replentis, multas quoque portiones advertebamus tunicarum, inſtar inteſtini vel folliculi in fruſta diſſecti, quid tales autem fuerint & unde provenerint, aſſequi conjectura nequeo.

Hoc miratu imprimis dignum erat, quod mulier per totum morbi decurſum tantum fere per urinam redderet, quantum potulenti ingerebat, & nihilominus, ratione ſubducta, ſextarium circiter ſingulis propemodum 24 horis a *Martio* ad *Novembrim* usque in *abdomen* trajiceret.

Cum abdomen ejus fere oppletum eſſet, femora & crura ſolebant intumeſcere ac decolorari, veluti *gangrana* immineret, utrumque vero poſt ſeri evacuationem adminiculo frictionis & lotionis calidæ tollebatur.

Veſicam parteſque hepatis adjacentes curavi exſiccari, ut quam proxima occaſione transmitterem.

Quatuor ex Facultate coram aderant, qui de veritate hujus relationis teſtimonium perhibebunt.

D. PANCRATII WOLFII IN ACAD. Halenſi Reg. Boruſſ. Profeſſ. Publ. Extr. Phyſica Hippocratica, qua exponitur humanæ naturæ mechanismus Geometrico-Chymicus.

Lipſiæ, apud hæredes Lankiſianos, 1713, 8.

Plag. $21\frac{1}{2}$.

Quanquam Autor Clariſſimus naturæ humanæ mechaniſmum annis ſuis Academicis peramaverit colueritque, per annos vero triginta, & quod excurrit, alto praxeos ſuæ pulvere obduxerit, integrum

grum tamen duxit, hanc theoriam Medicam prius cum Lectore benevolo communicare, quam practica ſcripta obſervationesque Medicas divulgare, imprimis quod viderit, falſas theorias, quales quivis empiricus & agyrta pro naturali rationis ſuæ modulo ſibi fingit, potiſſimum praxin Medicam genuinam impedire, ſuisque præjudiciis experientiæ ſoliditatem peſſime remorari; cum tamen potius unice inſudare deceret, ut inveniremus unicam veram antiquam methodum medendi. Ex ſcriptis igitur Hippocratis in hoc tractatu medicinam ſcientiam eſſe docet, quæ experientiam pro principio ſuo cognoſcendi agnoſcit, quam ex ſenſibus ratio componit; illumque naturam humanam non de anima immateriali, ſed de corpore, & quidem per mechanismum partim Geometricum figuræ & motus, partim Chymicum ex duobus ſalibus, acido & alcali, juxta particulas tamen ſulphureas & terreſtres, ut & ex ejusdem operationibus, ſcilicet fermentatione, putrefactione, præcipitatione, coagulatione & ſolutione demonſtrare. Quemadmodum igi- Cap. I.
tur Hippocrates nudas opiniones tanquam imperitiæ inſomnia in Medicina explodit, ita potius ſcientiam, nihilominus practicam, eandem eſſe dicit, & cum eo Autor; qua ratione etiam ei demonſtrationes tribuit, non obſtantibus vulgo ipſi objectis incertitudinibus, magis perverſis temporum noſtrorum moribus, quam ejusdem naturæ, imputandis; id quod æternæ in eadem occurrentes veritates confirmant, ex quibus certitudo quidem propter difficillimam iſtarum applicationem haud ſemper in ſpecialiſſimis caſibus habetur; attamen demonſtrationes duplices deducuntur τοῦ ὅτι & τοῦ δι ὅτι. Demonſtrationes igitur a ſenſuum fundamento incipiunt, ex quibus horumque phænomenis ratio axiomata univerſalia & æternas veritates pro demonſtrationibus inquirit, & ſic experientiam componit, a cruda empiria longe differentem. Præterea etiam autoritas Medicinam aliquo veritatis criterio inſtruit, quæ eo magis valet, ſi ſub ea teſtimonia de propriis obſervationibus comprehendantur, modo ſuſpecta caute diſcernantur. Quo autem ſecundum hanc cognoſcendi methodum errores eo tutius devitentur, ſcepticiſmus, ſed quaſi diſpoſitivus, non habitualis commendatur. Me- II.
dicina itaque naturam humanam explicat; hæc autem naturæ vox non niſi corporibus rebusq; extenſis competit, tanquam quædam eo-

Digitized by Google

rum proprietas eſſentialis, obnoxia neceſſitati a Deo in prima creatione mundi per ejusdem omnipotens FIAT ordinatæ, ita tamen, ut artificialia corpora ab hac notione non excludantur. Hæc natura ſecundum mechanicam philoſophiam rectius a materiæ univerſalibus deducitur modis, magnitudine, figura, ſitu & motu. Neque vero eædem vitales actiones, quæ in beſtiis a principio materiali perfici valent, in homine immateriale illud evincunt. Quamvis autem immaterialis anima quaſi forma ſpecifica in homine ſupereemineat, natura tamen non ex cogitatione, tanquam animæ operatione, morborum medicatrix eſt, in formas potius ſubordinatas convenit, cum vitales ipſius actiones ſint phyſicæ neceſſitatis, non voluntatis moralis. Adeoque mors ipſa non tam ob animæ ſeparationem, quam ob corruptum corporis mechanismum ſupervenit. Negari equidem non poteſt, ab animi affectibus homines creberrime in morbos, præſertim acutos, incidere; notum tamen eſt, eos immediate humores alterare, nec pure, nude, directe motus ipſos incorporeos & ſubſtantiam immaterialem alterando, nocere. Hanc naturæ materialitatem uberius contagia peſtilentialia, morbi hæreditarii, conſuetudo & medicamentorum vis demonſtrant.
Cap. III. Per mechaniſmum intelligitur ratio philoſophandi ſecundum principia, quæ vel in artibus mechanicis, v.g. ex machinarum conſtructionibus evidentius apparere ſolent. Eſt hic vel Geometricus, vel Chymicus. Geometricus ſic dicitur, quod is ex primis Geometriæ elementis petatur, cum corporis cujusvis, neque minus humani, materia nulla alia omnino poſſit agnoſci, quam illa omnimode diviſibilis, figurabilis, & mobilis, quam Geometræ pro demonſtrationum ſuarum objecto aſſumunt. Ex diviſibilitate materiæ quantitas eſt, quæ diſtinguitur in terminatam, qualis figura eſt, & interminatam, qualis eſt magnitudo, multitudinem ſub ſe comprehendens. Ex dictis ſimplicibus materiæ modis textura componitur, qua corpuſcula minima in unum coguntur, ut aliquod diſtinctum conſtituant. Mobilitatis motuumque primitivorum principium internum eſt gravitas, & facultas corporum elaſtica. Præter motus primitivos a principio interno profluentes plures quoque fiunt per communicationem ex contactu fortiori & impulſu externo alius corporis moventis, motum ſuum corpori movendo communicantis.
IV. Mechaniſmus

Chymicus

Chymicus ex Chymicorum experimentis methodo philoſophandi genuina eruendus & deducendus eſt, cujus principia primum tria tradebantur, ſal, ſulphur & mercurius, utpote in metallis conſpectiora, quæ deinde ad reliqua duo regna, vegetabile & animale, per analogiam quandam extendere viſum fuit; quibus recentiores aquam & terram ſuperaddiderunt. Rectius tamen ſub mercurii notione aqua, terra comprehenſa, innuitur. Et quamvis principium ſulphureum non ſimpliciſſimum ſit, nec puriſſimum in corporibus naturalibus deprehendatur, nec tale quavis mechanica elici aut elaborari poſſit, ſufficit tamen, hoc eſſe ſpecificam illam texturam, qua plura concreta conveniant, rurſusque a pluribus differant, & ex qua plures operationes naturales promanent, atque modificentur, & ſine qua nullum concretum ſit inflammabile. Salini principii natura in acuminata figura maxime conſiſtit, & ſalium differentiæ ſpeciesque ſubalternæ pariter ex hujus ſpecifica variatione pendent. Salinæ facultatis primaria proprietas eſt, ut ipſius particulæ ſint in aqua ſolubiles; altera eſt ſapida qualitas. Chymici recentiores ſalia in duo quaſi ſumma genera dividunt, in acida & alcalina; quantumvis demonſtratu difficile ſit, num non dentur ſalia vere tertia, & neutra, id eſt, quæ nec acida nec alcalina, nec ex ambobus contexta ſint. Salia acida præcipue ſub liquorum & ſpirituum nomine formaque occurrunt. Humorum equidem in corporibus acida facultas in ſtatu naturali ita temperata eſt, ut eadem non evidenter appareat; attamen in ſtatu præter naturali ſatis manifeſte illa detegitur. Alcalia ſalia ſunt vel fixa & lixivioſa, vel volatilia & urinoſa. Ex his primis ſimplicibusque ſalinis facultatibus earum cognationes componuntur. Hinc enim primum emergunt muriatico-ſeu acido-ſalſa, quibusdam ſalſa tertia ſeu neutra dicta. Et ex hoc ſalium fundamento adſcitis principiis ſulphureo & terreſtri, ſingulorum medicamentorum facultates medicas dimetiri licet. Sic dulcia ſal acidum alcalique copioſis ſulphureis terreſtribusque particulis involuta gerunt, ita ut ante fermentationem acidum magis ſupprimetur & alcalinum emineat; per hanc vero acidum magis explicetur & extravertatur. In vulnerariis præter copioſiores terreſtres, pauciores vero ſulphureas particulas ſal alcalinum non adeo quidem abundat, & ab acido admodum fixatum & temperatum eſt, ita tamen, ut præ hoc illud do-

 minetur.

Digitized by Google

minetur. Amara præter pauciores terreſtres, copioſiores vero ſulphureas particulas ſale alcalino abundant, quod etiam ab acido quidem multum fixatum admodum prævalet, ita ut amara proxime ad naturam alcalium accedant lixivioſorum, cujusmodi etiam per incinerationem copioſa præbent. Antiſcorbutica contra juxta terreſtres paucasque ſulphureas particulas copioſo ſale volatili alcalino abundant, in multis parcius, in pluribus vix ab acido fixato, ita ut hujus claſſis plantæ fere ſalia volatilia æmulentur. Aromata denique, & in gradu remiſſiori aromatica, copioſum ſal volatile alcalinum particulis ſulphureis combinant, quibus acidum paucum involutum illud haud figit, licet eorundem quaſi corpus particulas

Cap. V. quoque terreſtres, plus minusve acido ſaturatas, non excludat. Tandem Medicina naturam humanam per mechaniſmum chymicum ex eiusdem operationibus deducit. Quemadmodum enim fermentacio concreti particularum heterogenearum motus inteſtinus eſt, a parva fermenti cujusdam quantitate ut plurimum inchoatus; ita natura humana fermentatione, non quidem ſolitaria, utitur pro ciborum in ventriculo digeſtione perficienda, ſicut præter naturalis ejusdem exceſſus a dulcium majore fermento ſupervenientes oſtendunt; nec minus ſanguificatio vera eſt fermentatio. Quemadmodum putrefactio corporis miſti, non vivi, eſt corruptio, ita ſimilis putredo in corpore vivo datur, in quo eam ſanguis per inflammationes inchoat, per gangrænas autem magis provehit in excellentem gradum. Quemadmodum in præcipitatione chymica ſoluti particulas ex ſolvente liquore præcipitans ad fundum dejicit, ita eundem præcipitationis mechaniſmum urina, quæ in renibus quidem percolatione ſecernitur, ſed prius in ſanguine præcipitatione fuſa, & ſudor oſtendit, qui per glandulas ſubcutaneas non ſine prævia ſanguinis præcipitatione ſegregatur: & in ſtatu præternaturali diarrhϾ, dyſenteriæ, & phrenitides eandem teſtantur. Quemadmodum in coagulatione plurimæ mixti moleculæ in unum corpus coeunt; ita ſanguinem ab acidis congelari, & naturam coagulatione pro ſyncriſi oſſium, carnium &c. uti, notum eſt; & ab hac rheumata inflammatoria cum doloribus, anginæ, pulmonumque inflammationes oriuntur; maxime vero calculi concretio eandem probat. Quemadmodum denique in ſolutione vinculum ſoliditatis &

connexio

connexio texturæ coagulatæ rurſus a menſtruo diſſolvitur, ut concreti atomi non amplius cohæreant; ita eadem ventriculi chymificatio perficitur, fermentatione quidem adſcita, ut dictum, lymphæ & ſanguinis præſertim ex particulis pinguibus ſimul contexta coagula a ſalibus alcalinis, maxime volatilibus ſolvuntur, & hoc modo lithontripticorum etiam virtus explicanda venit. Sicut autem in omni copia inopia ineſt, ita ſimile de mechaniſmo etiam naturæ humanæ obſervatur, ut nimirum non omnia hujus phænomena ſatis ſolide per eundem poſſint explicari; ad ipſam tamen Praxin perquam utilis eſt mechaniſmus.

GOTTFRIDI OLEARII, S. THEOL. IN ACAD. Lipſienſi Profeſſoris, Obſervationes ſacræ ad Evangelium Matthæi.

Lipſiæ, ſumptibus Theophili Georgi, 1713, 4.
Alph. 4 plag. 12.

LUculento patris Summe Reverendi, Joannis Olearii, exemplo, cujus Exercitationes ad Pericopas Dominicales habemus in pretio, concitatus filius ſine pari, Gottfridus, quum primum Græcarum & Latinarum literarum, & quibus ab humanitate eſt nomen, cathedra ei daretur, anno ſeculi quarto adeo orſus eſt feliciter opus hoc in Matthæi Evangelium variarum Obſervationum ſacrarum, ſtatis diebus exercitiorum Academicorum. Ivit autem deinceps, eundoque ſuccrevit rarioris ſingularisque doctrinæ præſtantia, quandoquidem muneris publici aucta ratio ipſius S. Theologiæ campos anno ſeculi octavo eidem feliciſſimis etiam aperuit auſpiciis, eoque magis de continuatione iſtarum Obſervationum usque ad adultum, quem nunc cernimus, gradum hunc eruditionis, quodammodo inſtaret pro cauſa communi, ſollicitaretque. In tanto vero apparatu rerum divinarum humanarumque, e cujus divite penu anno ſeculi nono inſigne Philoſtratorum opus, p. 433 tunc recenſum, plaudente orbe erudito itidem prodiit, nemo cogitet, ſolius Matthæi effata hic exponi, ſed & reliquorum Evangeliſtarum loca atque Epiſtolarum etiam non pauca ex inſtituto videbit tangi, tum vero Moſis præterea ac Prophetarum difficiliora eadem, hoc eſt, exquiſita arte excuti deprehendet, qui animum attulerit gnavæ lectioni per omnia idoneum. Ad reſtinguendam vero, quæ ſtatim hic ſubna-

Digitized by Google

ſcitur, multorum ſitim, nunc quidem ſuffecerint iſta. Modeſte
Pag. 23. affirmat celeberrimus Autor, titulum Matthæi, βίβλος γενέσεως,
non genealogiæ ſed totius eſſe libri, quem rectiſſime forſan verteres, *liber de originibus Chriſti Jeſu*: ſicut Geneſ. II, 4, αὕτη βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς, *hac eſt deſcriptio antiquiſſima mundi faciei, cum primum ille factus eſt*, ſive ἀρχαιολογίας mundi jam conditi; & Gen. XXXVII 2, αὗται δὲ αἱ γενέσεις Ἰακώβ, *iſta vero ſunt res, quæ evenerunt Jacobo*, in Chananæa habitanti. Sic Johannem, exemplo veterum Prophetarum, titulum Apocalypſεως libro ſuo præfigere, & Lucam διήγησιν nobis initio Evangelii polliceri, & apud Marcum quoque ἀρχὴν τοῦ εὐαγγελίου videri reſpondere ti-
39. tulo Matthæi, βίβλος γενέσεως. Verba, *Maria* εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα, ſimpliciſſime vertit Noſter, evenit, ut *eſſet* gravida, ut venter ipſi intumeſceret. *Inveniri* enim hic pro *eſſe* poni; quomodo Petrus de Chriſto, οὐδὲ εὑρέθη δόλος, nec *fuit* dolus in ore ejus I, 2, 22, coll. cum Eſa. LIII, 9 & apud Malachiam, II, 6, utrumque æquipollenter. Scriptor pure Græcus Apollodorus, εὑρεθεὶς κρείσσων
44. ὁ Ἀπόλλων, cum victor Apollo *fuiſſet*. Æque feliciter γῆ Ἰούδα, c. II, 6 vertit, tu Bethlehem *urbs* Juda, perinde ut γῆ Γεννησαρέτ, *oppidum*, Matth. XIV, 34, 35 & Joſuæ II, 9, 14 & 18. Recte etiam Matthæum negationem eloqui οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ, nam & LXX in Codicibus melioribus habere, μὴ ὀλιγοστὸς εἶ, ſenſu ſcilicet interrogante, apud Scriptores inprimis ἑβραΐζοντας, qui Græcum μὴ Ebraicis particulis מי & מה æquivalere voluerint, ſueto. Extare autem etiam alibi exempla apud Ebræos, uti hic, ellipſeos interrogationis, atque adeo ab ipſo Michea inſinuatam eam ex mente Judæorum fuiſſe. Ac præterea ultima iſtius Prophetæ verba c. V, 1 lucem afferre loco Taciti, Hiſt. 5, 13, *fore, ut valeſceret ORIENS*, quum vox ambigua קדם *orientem* æque ac *antiquum* notet: quæ obſervatio recens eſt, ac nunc demum ab eruditiſſimo Autore adjecta. Sed ſtatim alius ſequitur perſpicacis ingenii radius ad eruendum genuinum verborum ſenſum c. III, 7, ἰδὼν δὲ ὁ Ἰωάννης πολλοὺς
87. τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ, videns, multos Phariſæorum & Sadducæorum venire non *ad* baptiſmum ejus, ſed *contra* eundem, ſevere illos increpavit. Fretusque clariſſimo Lucæ teſtimonio VII, 29, atque ipſius etiam Matthæi,

Digitized by Google

thæi, 21,25, facile reſpondet Noſter ad Baptiſtæ ultima v. 11, *βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι*, non reapſe ibi baptiſmo Joannis tinctos fuiſſe contranitentes iſtos, ſed conſilium & intentionem ipſius tantum innui, atque mandatum divinum ad prædicandum iis baptiſmum pœnitentiæ, ſi confiterentur peccata ſua; coll. cum Luc. III, 7 & 16. Quumq; addat ulterius Baptiſta, *at ille, qui poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί*, ad duplex ὑποκείμενον reſpicere nos jubet, nam bonis promittit Spiritum S. malis minatur ignem inextinguibilem, v. 12, & judicia ſevera. De bonis loqui Chriſtum, Act. I, 5, omiſſo igne, & Johannem Marc. I, 8, Joh. I, 33. Jam circa baptiſmum ipſius Chriſti c. III, 13, 14 proponitur dubium, Pag. 92.
quomodo potuerit Johannes deprecari modeſte præſtationem iſtius officii, cum primum accederet ad eum Chriſtus, quem tunc ante *φανέρωσιν* Spiritus nondum noverat? Joh. I, 33, & quomodo *φανέρωσις* illa quaſi poſt peractum demum Chriſti baptiſmum narretur Matthæo? c. III, 16. Sic igitur legit ac vertit Noſter, *καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος, Et baptizatus Jeſus ſtatim ex aquis aſcendit*. Hic opportune poni *στιγμήν*. Deinde ſubjungi, quid factum ſit dum ageretur de hoc baptiſmo, & antequam Chriſtus eum ſuſciperet. *Καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί, καὶ εἶδε, Ecce autem aperti fuerant cœli, & viderat*. Ut adeo aoriſtis aſſignetur ſignificatio plusquam perfecti, ac referantur illi ad tempus præcedens. Marcum autem I, 10 duo illa notabilia facta ita conjungere, ut ordo eorundem non tollatur. Et Lucam III, 21 adjicere, apertum cœlum *Ἰησοῦ προσευχομένου*, quæ *ἐξομολόγησις* ſemper præceſſerit baptiſmum. Rurſus explicat Noſter vim ſolertiſſimi judicii in profligando errore multorum, Chriſtum 106.
c. IV, 5, 8 per aera raptatum fuiſſe, & ex deſerto in templi alam, deinde in montem excelſum terribili vectura, ac viliſſimi inſtar mancipii ſubito translatum a diabolo. Nemoque repertus eſt ab anno ſeculi quarto, quo nobilis hæc facta primum eſt confutatio, qui non approbaſſet, iſtum utique ſignificatum non ineſſe voci *παρέλαβεν*, vel *ἤγαγεν* apud Lucam. Nam & Chriſtus *παρέλαβεν τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, καὶ ἀνέφερεν αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλόν, aſſumpſit eos*, h. e. *adjunxit ſibi comites, & in montem excelſum deduxit*. Matth. XVII, 1, Marc. IX, 2, Luc. IX, 28. Deinde cauſam

Digitized by Google

ſam moralem intelligi, καὶ ἵστησιν αὐτὸν, non phyſicam, quæ aliquid raptatum ſublatumque in aera reponat alicubi, multoque mi-
Pag. 113. nus in ſummitatem τοῦ ναοῦ inacceſſibilem. Neque etiam in viſione vel per φαντάσματα quædam factam illam oſtenſionem omnium
125. regnorum mundi, ſed per luculentam orationem, (uti iterum Chriſtus ἤρξατο δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, Matth. XVI, 21)
127. ἐν στιγμῇ χρόνου, *perexiguo tempore* abſolutam. Jamque ad difficilem LXX ſenum delatus textum, cujus ſenſum ſecutus Matthæus c.IV,15,16 antiquiſſimum mendum pro ſua ſagacitate ingenii ite-
134. rum detexit D. Olearius, ejectoque πίε, reſtituit, τοῦτο πρῶτον ταχὺ ποίει. *priora iſta, iisque ſimilia fac celerrime.* Sed quandoquidem ſingula a nobis recenſeri vix queunt, per ſaltum quaſi incedendum nobis eſt, ac paucis monendum, δοξολογίαν & δέησιν in verbis
185. prioribus orationis Dominicæ, ceu conceptus duos, unum paulo latiorem, alterum magis receptum & ſtrictum ac directum a Noſtro inſinuari. Quumque ſeptenarium numerum retineri non adeo repugnet, & tamen aliquid diſcriminis admittendum ibi ſit, tum vero doxologia non excludat optativum, quin & complectatur modum illum celebrandi per rectam fidem & ſanctimoniam vitæ, neque multiplicentur hic entia præter exemplum ſacrarum pre-
210. cum, vix quidquam porro deſideres in iſta obſervatione. Nam &
211. in ſenſu quintæ petitionis litem nemo movit, ſi exponatur ὡς per οὕτως, hoc modo: remitte nobis debita noſtra, *ſimiliter nos quoque tuo exemplo remittemus* debitoribus noſtris; quaſi ſcriptum eſſet, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφήσομεν: ne remiſſio, quam nos indulgemus, Deo proponi videatur quaſi exempli loco, contra intentionem Chriſti, καθὼς καὶ ὁ Πατὴρ ὑμῶν, Luc.VI, 36. Ejusdem Servato-
236. ris effatum, ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς, c. VI, ult. Quid ſi interpretemur, ait Noſter, hoc modo, *Sufficientia diei, miſeria ejus,* h. e. infauſta etiam maxime die habebitis quantum ſufficit. Diſplicebat enim κακίαν cum neutro conſtrui, & unamquamque diem ſua debere anxietate adhuc laborare, quod pugnet cum anterioribus. Nam & de craſtina quavis die divinam providentiam gerere pro nobis curam. Quaſi dictum ſcilicet eſſet, καὶ ἡμέρα τῇ κακῇ ἀρκετὸν αὐτῇ, etiam malæ diei proſpectum eſt de eo, quod ipſi ſufficit. Quia nempe craſtina quævis dies accepit jam a Deo τὰ ἑαυτῆς,

penſum

penſum ſuum; quod antecedentibus conforme eſt. Suntque hæc ex iis decerpta adeo, quæ ad priores curas Græcarum & Latinarum literarum celeberrimi Autoris pertinere diximus. In poſterioribus autem liberius ſe ad S. Theologiæ campos fuiſſe exſpatiatum fatetur in erudita ad Lectorem præfatione, ac poſtulant iſta ſuo jure vel diligentiorem adhuc recenſionem, vel, ſi dicendum quod res eſt, perpetuo attentum atque πεπαιδευμένον Lectorem ipſum. Ille vero tunc incidet præterea in lætiſſima novorum Operum, quæ Orbi erudito quodammodo ſpondentur, præſagia: quale illud Obſervatione VII: *Procopii Gazæi ineditos in Heptateuchum & Canticum* Pag. 62. *Canticorum Commentarios dudum eſt, quod publico bono debemus.* Idque vel ideo notandum duximus, quod ibi ſpecimen emendandæ ex eodem Procopio verſionis LXX egregium ſimul exhibeatur, ac multo plura gravioraque ſperanda ſint. Alterum bonæ ſpei argumentum extat Obſervatione XVI: *Et plura de eo* (Origine) *nos* 155. *forſan aliquando in hiſtoria, quam meditamur, ſenſus allegorici ex profanis ſacrisq; monimentis eruendi, ſumus commentaturi.* Ergo hic nobis vota mutuari liceat ab ipſo Dn. Autore in fine Inſcriptionis ad illuſtr. DN. ZECHIUM nuncupata, *utinam in argumentis virtutis Tuæ legere liceat vel nobis, vel ſera poſteritati, perfecta feliciter, quæ in utroque ſtudiorum genere animo volvis.*

BIBLIOTHECA BULTELLIANA, SIVE Catalogus Librorum Bibliothecæ V. Cl. D. CAROLI BULTEAU, Regi a Conſiliis & ſecretariorum Regiorum Decani, digeſtus & deſcriptus a GABRIELE MARTIN, Bibliopola Pariſienſi.

Pariſiis, apud Petrum Giffart & Gabrielem Martin, 1711, 12.
Alph. 2 plag. 2½.

ILluſtris ille vir, cujus Bibliotheca conſpicienda nobis exhibetur, natus eſt Rothomagi ex familia ejus urbis ſplendida, & inde a teneris annis magnam librorum ſupellectilem congeſſit. Quum vero anno 1661 frater Ludovicus munus ipſi Secretarii Regii conſignaret, factum eſt, ut mirabili Francicæ hiſtoriæ flagraret cupiditate, cum qua quidem neceſſe erat, ut reliquarum Europæarum nationum notitia conjungeretur. Adeoque coemebantur ex-

Digitized by Google

inde libri, quotquot haberi poterant, quorum certe non exiguam in hoc catalogo conſpicere licet copiam, novem voluminum millia nobis exhibente. Inde, ut fieri ſolet, convolabant ad eruditum poſſeſſorem undecunque Viri eruditi, quibus ille pro humanitate ſua nihil facile denegavit. Ipſe Bultellus nihil edidit, præterquam ſine nomine librum, cujus titulus eſt *De la Preſſéance des Rois de France ſur les Rois d'Eſpagne*, Paris. 1674, 4, & quædam, quæ ad illuſtrationem Gregorii Turonenſis contulerat, & cum Theod. Ruinarto communicaverat. Ereptus tandem eſt humanis rebus anno 1710 d. 28 Maji, anno ætatis 83. Ipſe Catalogus exhibet libros in Facultates ſuas diſtinctos, quarum tamen quælibet plures titulos continet ſpecialiores, de quibus prolixiores eſſe nolumus. Ordinem formarum nullum obſervare voluit Autor, ſed quacunque forma ſint, eos promiſcue ſecundum naturalem ordinem collocavit. Anonymorum porro & Pſeudonymorum, quorum ille notitiam habuit, nomina in parentheſi adjecit, eorum vero librorum titulos, qui Anglica, Belgica & Germanica lingua editi ſunt, Latine ſaltem exhibuit, quum iſtæ linguæ Gallis non admodum familiares eſſe ſoleant. Sub finem adjectus eſt index autorum Alphabeticus, cujus ductu facile autores hic occurrentes evolvi poterunt. Confectus eſt autem hic Catalogus ideo, ut libri omnes auctione publica divenderentur. Ceterum bibliopola in præfatione promittit *Syſtema Bibliographicum, ſi non doctum, aut erudite elaboratum, ſaltem clarum & perſpicuum*, ut ipſius verbis illud deſcribamus; quod quidem an hactenus prodierit, non comperire potuimus.

M. CHRISTIANI FRIDERICI WILISCHII *Memoriæ Superintendentum Pirnenſium.*

Annæbergæ, literis Richterianis, 1712, 8.

Plag. $3\frac{1}{2}$.

Exemplo doctorum Virorum, qui in conſignandis Ephororum vitis non inutilem operam hactenus collocarunt, excitatus Cl. Autor, Lycei in Montibus D. Annæ Rector meritiſſimus, præſens opuſculum hiſtoriæ literariæ cupidis invidere noluit, præſertim cum iſtud ſumme reverendo Jo. Gottlieb *Lucio*, Doctori ac Pirnenſium hodie Superintendenti graviſſimo, in ipſis novi muneris ſuſcepti

ſcepti primordiis conſecrandi opportunam nactus fuerit occaſionem. Primus a temporibus repurgatæ doctrinæ vocatur Antonius *Lauterbach*, Lutheri olim domeſticus, qui Vitemberga diſceſſit, ac ſermones ſacros anno MDXXXIX pro populo Pirnæ habere cœpit, conventuique Theologorum de accipiendo aut rejiciendo libro *Interim*, ex decreto Principis Electoris Mauritii inſtituto, interfuit. Succeſſorem habuit Joannem *Stoiſſelium*, Eccleſiaſten antea in aula Vinarienſi primarium, ſed ob Calvini errores, quos in Thuringia pariter atque Saxonia diſſeminaverat, in carcerem protruſum, in cujus locum Andreas *Gœch*, qui nomen ſuum libro Concordiæ ſubſcripſit, ſurrogatus eſt. Sequuntur Bartholomæus *Gerbardus*, David *Ring*, Barthol. *Rulichius*, Balthaſar *Cademanus*, Matthæus *Cundiſius*, qui ſenio confectus per undecim annos uſu oculorum caruit. Porro commemorantur Daniel *Reichardus*, ultra quinquaginta annos Dohnæ, Wachæ, Dresdæ, Rochlicii, Pirnæ officio functus, D. Chriſtianus *Reinhardus*, D. Jo Mich. *Strauſſius*, ac duodecimus in ordine D. Jo. David *Schwerdnerus*, qui intrepida mente ſine ullo doloris ſenſu manum dextram ſibi amputari paſſus eſt, cumque ſphacelus extingui haud potuerit, die VIII Octob. MDCCXI placide obdormivit. In fine ſeries Diaconorum Pirnenſium annectitur, ſub initium autem Rectores ſcholæ Pirnenſis & Paſtores, qui Liebſtadienſibus Evangelium annunciarunt, occaſione ita ferente enumerantur.

M. CHRISTIANI FRIDERICI WILISCHII Incunabula Scholæ Annæbergenſis, inque ea publice ab U. C. docentium recenſio, una cum vita JOANNIS RIVII a GEORGIO FABRICIO concinnata.

Annæbergæ, apud Jo. Victor. Richterum, 1712, 8.

Plag. 19.

ADdimus ſtatim aliud hiſtoriæ literariæ ſpecimen, quod ſupra laudatus Autor ad exemplum Cl. Ludovici, Gymnaſii Schleuſingenſis Rectoris, cujus *Hiſtoriæ ſcholarum celebriorum* partem quartam propediem exſpectamus, luci publicæ donare voluit. Primum ineo annotat, quod incolæ Montium Annæ olim ſcholæ ædificium templo contiguum exſtruere cœperint, illudque A. C. MDXIV ad umbilicum perduxerint, a quo tempore ſenſim ex civium munifi-

centia tanta cepit incrementa hæc ſchola, ut inter celebriores numerata fuerit. Deinde Rectorum, qui ab urbe illa condita publice docuerunt, catalogum adornat, & ſex priores ſub Papatu ex Ieniſii mox commemorandi Annalibus MStis Scholaſticis producit, ſeptimique Jo. *Rivii* vitam, prolixiori ſtylo quondam a gratiſſimo diſcipulo Georgio Fabricio conſignatam, repetit, ac eruditis animadverſionibus illuſtrat. Succedunt Leonhardus *Badehorn*, die Leonhardi natus, ac poſtea in curia Lipſienſi ad ſummos honores evectus, Benedictus *Otto*, Andreas *Nuntallus*, Hermannus *Bætticher*, Joannes *Schrauffius*, Georgius *Mylius*, qui ex ſchola in Æſculapii hortum ſe contulit, Wolffgangus *Held*, Albertus *Lytticbius*, Wolffgangus *Stolbergius*, qui ſacro officio admotus, ſed apoplexia aliquando in ſuggeſtu correptus, ſtupentibus auditoribus obmutuit, ac ægre domum deductus, poſtero die ex hac vita migravit. Inprimis Paulus *Jeniſius*, per 18 annos in ſchola patria & Con-Rector & Rector, ac per totidem annos in Eccleſiis, primum Eilæ in Bornenſium Diœceſi Paſtor, deinde Ilenburgenſium Superintendens, denique Sereniſſimo Saxonum Electori a Concionibus Aulicis & Proto-Synedrii Dresdenſis Aſſeſſor, præclaram laudem poſt ſe reliquit. Succeſſores in munere ſcholaſtico nactus eſt Jo. *Friederichum*, in Academiam Lipſienſem ad Oratoriæ Profeſſionem deinceps evocatum, Chriſtoph. *Fiſcherum*, Mich. *Uhle*, Caſp. *Krautſtengelium*, Georg. *Arnoldum*, ſenem grandævum & exantlatis per 44 annos laboribus ſcholaſticis pro emerito declaratum, qui ætatem usque ad octogeſimum ſeptimum perduxit annum. Inter eos autem, qui ſcholæ a tempore Reformationis præfuerunt, primus obiit Jo. *Knauth*, in cujus locum ſucceſſu temporis ſurrogati ſunt Jo. *Vogelhaupt*, Jo. *Krauſius*, Imman. *Lehmannus*, Jo. Jac. *Stübelius*, Rector hodienum Illuſtris Lycei Electoralis Miſenenſis, Jo. Gideon *Gellius*, ſcholæ Dresdenſis ad D. Crucis hoc tempore Con-Rector, Jo. *Keilbackerus*, anno MDCCIIX mortuus, & qui trigeſimus in ordine eſt, Chriſt. Frid. *Wiliſch*, Auctor hujus recenſionis doctiſſimus. Finita Rectorum hiſtoria catalogus Con-Rectorum, Collegarumque tum mediorum tum infimorum, nec non Cantorum conſtituitur, & aliquot carmina antehac ab Autore confecta adjiciuntur.

M. JO-

M. JOACH. MANTZELII DE GEORGIIS fama & eruditione claris ſelecta centum lemmata.

Güſtroviæ, apud Jo. Lembkium, 1712, 4.
Plag. 14.

QUamvis peculiarem diatriben de Georgiis eorumque ſcriptis, quæ a Georgio Presbytero Alexandrino incipit ac in Georgio Phranza deſinit, olim conſcripſerit Leo Allatius, nihilominus tamen Cl. Autori, ſcholæ Parchimenſis quondam Con-Rectori, *νῦν ἐν ἁγίοις*, ſimilem collectionem adornare viſum fuit. Non enim ad Allatii exemplum Græcos tantummodo recenſet, ſed viros omnis generis eruditione illuſtres ſiſtit ita quidem, ut eos omnes, qui partim hujuſcemodi cognomen habuerunt, partim præter illud adhuc aliud prænomen geſſerunt, excludat. Ante vero, quam eos commemorare incipiat, in originem nominis Georgii inquirit, illudque ex Græco *γεωργὸς* deducit, mox etiam nonnulla de S. Georgio Equitum patrono ediſſerit, ac nomina Georgii & Gregorii facile confundi poſſe, aliquot exemplis oſtendit. Quibus præmiſſis, ex Scriptoribus anonymis Georg. Caſſandrum, Georg. Rollenhagium, celebratiſſimum ſcholæ Magdeburgenſis Rectorem, ex pſeudonymis Georg. Obrechtum, JCtum Argentoratenſem, ex plagiariis Georg. Merulam, in illorum numerum a nemine hactenus relatum, producit, & quorundam Principum eruditorum, qui Georgii nomine inſigniti fuerunt, mentionem facit. Lemmata deinceps alia ex hiſtoria literaria proponit, & modo Georgios militia ac ſcriptis claros, modo Georgios a matre poſt partum ſtudio Theologico conſecratos, modo Georgios a patria cognomen adeptos enumerat, nec omittit illos, qui inter præcoces, nitide ſcribentes, ſtupenda memoria præditos, malas uxores habentes, longævos, polygraphos, *ὑμνοφίλους*, religionem mutantes, *μικροβίους*, intemperie ſtudiorum mortem ſibi accelerantes, anno climacterico denatos, locum occupant, cum adjecta in fine Georgiorum ſibi invicem *ὁμονύμων* centuria.

THE WORKS OF ARMAND DE BOURBON Prince of Conti.

i. e.

OPERA ARMANDI BORBONII PRINCIPIS DE CONTI, una cum ejus Vitæ compendio, collecta & e Gallico in Anglicum idioma tranſlata: acceſſit Archi-Epiſcopi Cameracenſis Diſſertatiuncula de perfectione Chriſtiana, hactenus inedita.

Londini, apud W. Bray, 1711, 8 maj.
Alph. 1 pl. 4.

BEne utique de civibus ſuis meruit Interpres Anglus, qui diſperſa nec ubivis obvia Principis pientiſſimi Opera collegit ac cum vita illius a Voiſinio Gallo, qui in familia Principis annos prope viginti vixit, ſuccincte deſcripta Anglice tranſtulit, præmiſſa Præfatione, in qua inſtituti ſui rationem fuſius exponit. Etenim natus A. 1629 Armandus Borbonius Princeps Contius, mature ingenii perſpicaciſſimi dedit documenta, ac anno ætatis decimo ſexto Theologiæ dogmata ita habuit perſpecta, ut ſummis Theologis par haberetur, eoque ſacro ordini a Patre deſtinaretur, Abbatiis quippe S. Dionyſii, Cluniacenſi aliisque ipſi conciliatis. Cum vero juvenis admodum utroque parente orbatus eſſet, relictis ſtudiis pronum ſe dedit voluptatibus, inprimisque dramatibus mire delectatus eſt, a quibus poſtea, cum ad ſe rediiſſet, magnopere abhorruit. Bello etiam civili, quod ſub minorennitate moderni Regis fervebat, immiſtus adverſas Regi partes ſectabatur; quo tamen compoſito, & mox ducta in matrimonium Mazarini cognata, Catalauniæ copiisque Gallicis illic militantibus præfectus, præclare ac ſtrenue rem geſſit. Redux inde factus Aletenſis Epiſcopi colloquio adeo fuit affectus, ut abdicatis mundi vanitatibus Deo vivere decreverit, ad Ludovici IX ſeu S. quem inter majores ſuos plurimum colebat, exemplum. Atque hic prolixus Autor eſt in enarrandis raræ pietatis exemplis, quæ brevitatis cauſa prætermittimus. Lectioni inprimis Patrum multum dedit operæ, & ne nulla Filio præcepta daret, librum *de magnorum virorum officiis* conſcripſit, pie demum defunctus A. 1666 die 26 Februarii. Et hic quidem, quem modo memoravimus, liber primo hic loco exhibetur; quem excipiunt breves Commentarii de officiis præfecti provinciæ cum variis inſtructionibus,

onibus, quas vocant, huc ſpectantibus; tum Commentarii de ordine in familia propria ſervando, quibus accedunt Regulæ miniſtris ipſius ſingulis, ſive primæ ſive infimæ notæ, obſervandæ; Teſtamentum item Principis pietatem ubique ſpirans; Tractatus denique elegans adverſus dramata & ſpectacula, cui de eodem argumento tractatus Anonymi, nec non decreta Conciliorum, Patrumque, qui illa oppugnarunt, Loca quædam notatu digniora, & Franciſci de Sales judicium de choreis, dramatibus & luſibus, ac poſtremo loco breviſſimus & hactenus, ut fertur, ineditus Archi-Epiſcopi Cameracenſis de Chriſtiana perfectione libellus adnectuntur. Quæ cum pleraque moralis ſint argumenti, neque adeo per compendium recenſeri commode poſſint, ipſam potius libri perexigui lectionem harum rerum cupidis commendamus.

NOVA LITERARIA.

Cum dudum hactenus deſideratum ab eruditis fuerit juſtum Hiſtoriæ Germanicæ ſyſtema, gratiam apud illos haud dubie inibit Vir induſtria & doctrina ſingulari, Jacobus Carolus Spenerus, in Alma Fridericiana Profeſſor Publ. qui *Hiſtoriam Germaniæ Veteris, mediæ, recentioris, hodiernæ*, ex monumentis fidis, ſcriptoribus coævis, numis, inſcriptionibus, diplomatibus collectam condere in animum induxit. Cum vero immenſi laboris judicaverit, integrum opus uno volumine protrudere, hinc per partes ire decrevit, eoque primam libri partem ſub tit. *Hiſtoria Germaniæ antiquæ pace belloque liberæ & Romani Imperii æqualis*, proxime Lipſiæ prelo ſubjiciet, Libris IIX diſtinctam, quorum primo *Germaniæ antiquæ fines, Regiones, Gentes, harumque nomina, viciſſitudines & fata*, ſecundo *mores & inſtituta ſtatumque publicum ac privatum* exponet; tertio, quem *Origines primaque victoriarum & gloriæ inſignia* inſcripſit, quantum de Germanis ante Cæſarum ævum ſcitur, comprehendet; quarto, quo *libertas a prima Cæſarum familia fruſtra tentata* exhibetur, hiſtoriam usque ad A. C. LXIIX, & quinto, qui *decora ex ipſis Romanorum triumphis eminentia* ſiſtet, eandem usque ad A. C. CCXI producet; libro ſexto, *Fœdera & præclari conatus contra Romanorum ambitionem* inſcripto, integri ſeculi III hiſtoriam,

Fran-

Francorumque adeo, Alemannorum, Saxonumque fœdera; ſeptimo *Germaniæ antiquæ magna in rem Romanam merita*, hoc eſt, hiſtoriam ſeculi IV usque ad Honorium, ac denique octavo *Triumphales Germaniæ bonores ex proſtrato Romano Imperio*, migrationes nempe Germanorum, Regnaque ab iisdem condita explicabit. Lipſiæ porro duo jam potiſſimum Opera, quæ avide ab omnibus exſpectantur, ſub prelo ſudant, nimirum *Hiſtoria Lutheraniſmi Seckendorfiana* a doctiſſimo Viro Elia Frickio, Verbi Divini apud Ulmenſes Miniſtro, Germanice translata, alioque ſed longe meliori ordine diſpoſita, locisque plurimis ex ſcriptis & monimentis fide dignis aucta, tum *Supplementum* ad Lexicon Hiſtoricum a Celeberrimo Buddeo adornatum, quod plurimas imprimis familias nobilium, in ipſo opere prætermiſſas, eruditos item & alia exhibebit. Præterea in digerendis Lexicis nonnullis vernaculis, uſui quotidiano accommodatis, quæ Lipſiæ lucem adſpicient, nulli operæ parcunt Autores, ut intra annum omnia proditura ſperemus. Sunt vero 1 Lexicon Antiquitatum Judaicarum, Græcarum, Romanarum & Chriſtianarum, cura Viri in antiquitatibus verſatiſſimi D. Jo. Alberti Fabricii; 2 Lexicon Mathematicum Mathematici celeberrimi Chriſtiani Wolfii opera pleniſſime concinnatum, in quo non tantum termini omnes in Matheſi obvii explicantur apte & ſubinde figuris exornantur, ſed hiſtoria quoque noviter in rebus Mathematicis inventorum, quod dudum optarunt Eruditi, additur, & fontes genuini indicantur; 3 Lexicon Oeconomicum, tum ex ejus generis libris plerisque, etiam apud Gallos, Anglosque ac Belgas editis, conſarcinatum, tum propria Autoris experientia comprobatum; 4 Lexicon, quo Eruditorum, quotquot colligi vel ex libris hactenus impreſſis vel literarum commercio potuerunt, vitæ per compendium exponuntur, indicatis una breviter fontibus, cum præfatione D. Jo. Burchardi Menckenii; 5 Lexicon Oratorio-Epiſtolico Poeticum, in quo non tantum terminos explicabit ac artificium orationis, epiſtolæ & poematis componendi oſtendet, verum & formulas omnis generis optimas, Mythologia quoq; non neglecta, inſeret Autor perſonatus *Menantes*, vero nomine Chriſtianus Fridericus Hunold. Denique monemus, Tomum V Supplem. jam pridem integrum proſtare.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti Anno M DCC XIII.

AN EXPOSITION OF THE FIVE BOOKS of Moſes &c.

i. e.

EXPOSITIO PENTATEUCHI, CUM NOTIS & obſervationibus practicis, Autore MATTHÆO HENRY, V. D. M. Ceſtrienſi.

Londini, apud T. Parkhurſt, & rel. 1710, fol.
Alph. 6 pl. 5.

EJUSDEM EXPOSITIO LIBRORUM Hiſtoricorum V. T.

Londini, apud eosdem, 1712, fol.
Alph. 7 pl. 19.

EJUSDEM EXPOSITIO LIBRORUM Poeticorum V. T.

Londini, apud eosdem, 1712, fol.
Alph. 7 pl. 14.

QUantum inter ſuos Rev. Autor editis hiſce, quos in V. T. libros concinnavit, Commentariis applauſum meruerit, vel ex eo colligimus, quod diſtractis breviſſimo temporis ſpatio prioris editionis exemplaribus, mox ſecundam bibliopolis adornare viſum fuerit, quam, cum prior illa ad manus noſtras haut pervenerit, nobis jam exhibere liceat. Illud a plurimis abhinc annis HENRICUM noſtrum occupaverat ſtudium, ut in novi fœderis libros obſervationes quasdam conſcriberet, illorum uſui accommodatas, quibus in S. Scripturæ juvanda lectione adminiculis opus eſt. Dum vero laudabile iſtud inſtitu-

Digitized by Google

tum perſequitur, accidit, ut *Wilhelmi Burkitti* Evangeliorum primum, mox Actorum Apoſtolicorum & Epiſtolarum, explanatio lucem publicam adſpiceret, quod opus, cujus quinta jamjam editio Londini nuper prodiit, cum ab omnibus avide exciperetur dignamque referret laudem, Noſter, ſepoſito paullum ac in aliud tempus rejecto, quem in N. T. codicem ſuſceperat, labore, tum amicorum precibus, tum propria animi propenſione adductus V. T. libros ſuccinctis notis illuſtrare felici auſpicio adgreſſus eſt. Prodiit igitur Tomus *primus* Pentateuchum continens, ceu primum laboris ſpecimen, A. 1707, quem A. 1708 *ſecundus*, qui hiſtoricos libros complectitur, inſecutus eſt, *tertius* vero, Poeticos ſiſtens libros, ad quos præter Jobum, Pſalmos & Salomonis Canticum, Proverbia quoque cum Eccleſiaſte referuntur, A. 1710 lucem adſpexit.

Methodum atque tractandi modum quod attinet, non iſtum ſibi Autor præfixit ſcopum, ut vel criticis obſervationibus nimium indulgeret, vel ſpinoſas ſubtilioresque quæſtiones evolveret, vel variorum conquireret ſententias, quamvis in eorum gratiam, qui iſtis rebus delectantur, ad alios ſcriptores quandoque remittat; in id potius ſtudium omne imprimis contulit, ut plebejorum hominum uſui maxime inſerviens lingua ſibi vernacula libros ſacros luculenter exponeret, ſenſum Scripturæ apte erueret, ſingulaque ad pietatis praxin accommodaret, lectores adeo non modo doctiores, ſed & meliores verbique divini amantiores, lectionem vero S. Literarum faciliorem, amœniorem utilioremque reddere cupidus. Qua de cauſa cuivis libro quædam præfatur, quæ vel Autorem, vel ſcopum, vel nomen, vel ejus generis alia concernunt; capiti vero cuilibet argumentum præfigit, quod & connexionis rationem edocet, & præcipuas illius partes complectitur. Hinc textum ſacrum Anglica lingua expreſſum certisque ſectionibus diſtinctum exhibet, ſubjectis quibusdam obſervationibus, quæ tum ſenſum genuinum mediocris quoque ingenii lectoribus aperiunt, tum doctrinæ confirmandæ vitæque inſtruendæ inſerviunt.

Imprimis in Pentateucho explicando Chriſtum legis ſcopum cum ſolertia ſcrutatur, typosque qui adumbrant ipſum, diligenter enucleat; in libris Hiſtoricis Chronologiam equidem & tempo-

rum

rum computationem, quibus Iſraelitarum res geſtæ includuntur, nimis anxie ſectari noluit, præſertim cum illo ipſo tempore, quo Volumini Hiſtorico colophonem impoſuit, mortem obiret anno ætatis 89 Vir harum rerum callentiſſimus ac *Hiſtoriæ univerſalis* inter Anglos celeberrimus Autor, *Tallentius*, cujus conſilio in ordinanda rerum ſerie uti Noſtro conſtitutum fuerat. Hujus igitur *Tabulas Chronologicas*, præter *Lightfooti* Chronologiam V. T. nec non Cradockii V. T. hiſtoriam, ceu in omni, ita in hac hiſtoriæ parte admodum utiles, non modo commendat, ſed & ipſe difficultates, quæ circa Chronologiam obvenire ſolent, eminentiores ita conciliare ac tollere ſtudet, ut Atheis ſacrarumque literarum oſoribus obviam ubique eat, easque a contradictionis vitio vindicet. Ceterum in Pentateucho pariter ac in Hiſtoricis libris, quibus luculenta divinæ providentiæ teſtimonia, variaque virtutum ac vitiorum exempla continentur, ea, quæ moribus formandis ſunt idonea, ſtudioſe perſequitur, qua via in libris quoque poeticis, qui doctrinæ, pietati & recto converſationis uſui multum adjumenti adferunt, diligenter incedit.

Reſtat, ut juxta inſtituti noſtri rationem ex utili profecto atque præclaro iſto opere ſpecimen quoddam breviſſimum addamus, quam in rem Geneſeos librum illiusque caput primum primamque capitis partem ſeligimus. Præmittitur ſcilicet toti libro præfatio quædam, in qua tum de Scriptura S. & de V. T. codice, tum de Pentateucho, hujusque primo libro agitur, quem quidem Autor non illo tempore, quod multis viſum fuit, a Moſe conſignatum fuiſſe autumat, quo inter Midianitas vitam egerit, ſed tum potius conſcriptum eſſe adſerit, cum in deſerto verſaretur, & ab ipſo Deo, cujus colloquio in monte uſus fuerat, de rebus in hoc libro enarrandis fuiſſet edoctus; qua ratione certitudinem hiſtoriæ hic deſcriptæ magis confirmari ait, quam ſi traditionibus ab Adamo per Patriarchas ad Moſen perveniſſe quibusdam dicantur. Præterea Græcum γενέσεως nomen primo Pentateuchi libro propterea aptiſſime convenire obſervat, quod & hiſtoriam *originum*, nimirum creationem mundi, peccati mortisque ortum, artium variarum inventionem, gentium natales, & præſertim eccleſiæ plantationem illiusque primævum ſtatum enarret, & *generationum* Hi-

Digitized by Google

ſtoriam tradat, qua Adami, Noachi, Abrahami aliorumque Genealogiæ exponuntur. Hinc ad capitis primi explicationem progreſſus illud, ut, quæ de memorabili ordine monet, quo a rerum creatione Scriptura S. initium dicendi capit, taceamus, tribus partibus includit, quarum *prima* v. 1, 2 totius operis creationis ideam generalem, *ſecunda* v. 3-30 operum Hexaemeri ſpecialem recenſionem in diarii modum, *tertia* v. 31 contemplationem ac approbationem rerum creatarum exhibeat. Jam ipſis Scripturæ verbis, quibus prior capitis pars v. 1 & 2 comprehenditur, ex Anglorum conſueta verſione allatis, ſubjicit ſtatim obſervationes, quæ v. 1 creationis opus in epitome, v. 2 vero ſub embryonis veluti imagine repræſentari innuunt. De priori dum agit, *rem creatam*, mundum ſcilicet viſibilem, cœli terræque ac hujus univerſi ſtructuram breviter expendit & creaturarum varietatem, pulchritudinem, perfectionem, virtutem, ordinem & myſteria quæ vocat, naturæ phænomena occultiora intelligens, miratur, & Chriſtianos non modo laudum, quas ſummo Creatori debeant, ſed & officii admonet, quo cœlum in oculis, terram ſub pedibus habere ipſos deceat. Mox conſiderat *creationis Autorem*, Elohim, quo nomine Creatoris omnipotentiam perſonarumque divinarum pluralitatem ſignificari ait, ipſum *creationis opus* nulla præexiſtente materia peractum, nec non *creationis tempus*, quod temporis fuit principium; ex omnibus hiſce Atheiſmi ac Atheorum ſtultitiam, univerſale Creatoris dominium, ejusque potentiam & majeſtatem laudibus noſtris digniſſimam, licet majorem, colligens. Sub embryonis imagine creationis opus dum adumbrari dicit, & *primæ materiæ* & *primi motoris* mentionem fieri obſervat. Illam fuiſſe Chaos iſtud, quod terræ nomine inſigniatur, quandoquidem terræ poſtmodum productæ, v. 10, ob rudem indigeſtamque molem ſimile quodammodo fuerit, prætereaque ob vaſtitatem & aquarum commiſtionem abyſſus vocetur. Primum vero motorem Spiritum Dei ſuper faciebus aquarum ſe moventem conſtitui addit, ſingula quoad diverſas circumſtantias ad creationem hominis ſecundam, regenerationem ſcilicet atque renovationem, aliis quoque non inuſitata ratione applicans. Sed plura hujuscemodi addere ſuperſedemus, cum vel ex his conſtare queat, qua methodo Rev. Autor uſus fuerit,

quan-

quantamque, qui Theologiæ ſtudio operantur, utilitatem ex iſtis Commentariis ſibi promittere queant. Quodſi IV Volumen, quod Propheticos libros continebit, totiusque operis quoad V. T. codicem complementum erit, ad nos pervenerit, illud quoque recenſebimus.

EXAMEN DE DEUX TRAITTEZ NOUVELLEMENT mis au jour par Mr. la Placette, &c.

h. e.

EXAMEN DUORUM LIBRORUM NUPER a Dn. PLACETTA editorum, Autore PHILIPPO NAUDÆO, in Equeſtri Accademia Berolinenſi Matheſeos Profeſſore.

Tomi II.

Amſtelodami, apud Stephanum Rogerum, 1713, 8.
Alph. 3.

Ediderat Cl. Naudæus A. 1708 librum in tuos tomos diſtinctum *de ſumma DEI perfectione*, a nobis A. 1709 p. 10 recenſitum, quo ad evertendum Manichæiſmum defenderat ſyſtema Supralapſariorum, quos vocant. Cum vero illud ſyſtema paucos in ipſa Reformatorum eccleſia habeat adhuc ſubſcriptores, factum eſt, ut dictus ipſius liber permultis diſpliceret & variis peteretur objectionibus. Quare A. 1709 edidit *ſyllabum objectionum contra Tractatum de ſuprema Dei perfectione factarum cum Reſponſionibus*: quem librum pariter recenſuimus eo ipſo Anno p. 307. Ab illo tempore Cl. Placetta, cujus doctiſſima ſcripta non pauca hiſce in Actis recenſuimus, adortus eſt Naudæum, idque duobus ſcriptis, quorum alteri hic titulus eſt: *Réponſe à une objection, qu'on applique à divers ſujets &c.* alteri hunc fecit titulum: *Eclairciſſemens ſur quelques difficultez, qui naiſſent de la conſideration de la liberté.* Ad priorem priore, ad alterum poſteriore Tomo reſpondere aggreſſus eſt Cl. Naudæus. Ac *Tomo* quidem *primo* Cap. I oſtendit, ex doctrina & decreto Dei abſoluto circa mortem hominis, circa conjugium ejus, & circa damnationem ipſius ſalvationemque, vulgo hanc duci conſequentiam tanquam neceſſariam, quod omnis

Digitized by Google

cura hominum circa tria illa ſupervacua ſit & inutilis. Hinc tres alias conſequentias deduci ſcribit. Alios quippe hinc Rationem rejicere, quod ex veritate certiſſima derivet conſequens abſurdisſimum: alios inde concludere, decreta illa abſoluta eſſe rejicienda minimeque ſtatuenda: aliis denique inde omnem curam circa tria modo memorata negotia abjiciendam ſecureque & in diem vivendum videri. Cap. II probat, a Deo præſciri & prævideri tempus ac modum mortis hominum, ex prædictionibus impletis, quarum permulta habeantur exempla in ſacris monumentis. Cap. III Deum feciſſe abſolutum decretum de morte hominum, probat (1) exemplis (quæ quidem particularia ſunt,) hominum in diluvio exſtinctorum, Sodomæorum, primogenitorum in Ægypto, aliorumque: (2) dictis Scripturæ; e. g. cum dicitur, Deum in ſua poteſtate habere mortem, item habere clavem inferni ac mortis. Ubi & ſupponit, decreta conditionata Deo eſſe indigna. Cap. IV ad conſequentiam, quæ ex abſoluto Dei circa mortem hominum decreto profluere creditur, reſpondet indirecte, nempe homines illam conſequentiam admittentes tamen edere ac bibere, incendium effugere & inundationem, &c. adeoque illos aut non ratiocinari bona fide, aut non intelligere, quam male actiones ſuæ cum ſuis principiis cohæreant. Cap. V directe probare conatur, conſequentiam illam eſſe falſam, quod ſcilicet poſito abſoluto Dei circa mortem noſtram decreto non debeamus curam conſervandæ vitæ gerere, (1) inde, quod S. Scriptura jubet uti rationibus vitæ conſervandæ: (2) quod eadem Scriptura tentationem Dei vocat, ſi quis iis mediis neglectis, in ſpem ingrediatur auxilii divini extraordinarii ac miraculoſi: (3) quod Chriſtus ipſe aliique Sancti media vitæ ſuæ conſervandæ adhibuerint. Quod ſi quis ægrotus nolit medicamenta ſumere, quia ob abſolutum Dei decretum illa non ſint profutura, vel illis opus non ſit futurum, reſpondet, hominem, quia neſciat, an Deus decreverit ipſum ope medicamentorum conſervare, ex regula prudentiæ iis uti debere. Cap. VI proponit objectionem Placettæ, dicentis, præſcientiam facere neceſſitatem *ſubſequentem*, quæ conſiſtere queat cum libertate hominis: ſed decretum facere neceſſitatem *antecedentem*, qua libertas tollatur. Reſpondet Noſter concedendo neceſſitatem antecedentem, ſed negando,

gando, per eam tolli liberum agendi arbitrium. Scilicet ſi e. g. Deus decreto abſoluto ſpatium 40 annorum alicui ad vivendum dedit, ita quidem, ut adhibeat naturalia vitæ conſervandæ media, non poteſt hinc concludi, homini licere vivere pro libidine, uti alimentis iisve abſtinere. Cap. VII Placettæ, qui ſcripſerat, quædam decreta Dei niti prævisione eorum, quæ homines libere ſint facturi, e. g. decretum de mittendo ſuo Filio: quædam nulla niti tali prævisione, e. g. decretum de creando mundo; reſpondet Noſter, Placettam hoc modo concedere decreta conditionata, quæ tamen tanquam Deo indigna ſoleant a Reformatis rejici: adeoque iſtam diſtinctionem admitti haud poſſe. Decretum conditionatum eſt e. g. volo ſimpliciter & abſolute, Paulum vivere, ſi quidem utatur recte alimentis medicamentisque. Hoc, inquit Noſter, Deo indignum eſt, quia ſupponit vel ignorantiam vel impotentiam Dei. Porro decretum, inquit, nixum prævisione eorum, quæ homines facturi ſunt libere, eſt e. g. hoc: quia prævideo, Paulum alimentis & medicamentis recte uſurum eſſe, volo abſolute, ut vivat. Tale vero decretum Noſter pariter indignum Deo pronuntiat, quippe cum ſupponendum ſit, futura non dependere a decretis Dei, & creaturam ſine Dei concurſu agere poſſe. Provocat etiam ad illud Salomonis: *Deus omnia fecit ad gloriam ſuam.* Addit, quæ homines faciant libere, illa non fieri infallibiliter, adeoque accidere poſſe, ut non fiant. Hinc ſequi putat, decretum Dei ita non fore infallibile. Addit quoque, executionis decreti cauſam & occaſionem eſſe actiones hominum liberas, ſed non decreti ipſius, ſed hoc a ſolo pendere Dei placito. Cap. VIII docet, peccatum eſſe veram cauſam damnationis reproborum, quatenus id conſideretur ut actio libera hominis legibus ſubjecti: ſed idem peccatum poſſe conſiderari ut medium, quatenus Deus decrevit permittere illud ad gloriam ſuæ juſtitiæ ſuiq; contra peccata odii. Namq; hominem non agere cenſet niſi concurrente Deo, & quando Deus vult & quod Deus vult. Ex quo ſequi arbitratur, actiones hominum non prævideri a Deo, ſed præordinatas & decretas eſſe. Quod ſi quis objiciat, concipi non poſſe, quomodo conſiſtere poſſit libertas hominis in agendo cum divina prædeterminatione, reſpondet, hoc proficiſci ab intellectus noſtri imbecillitate, ac ſufficere, quod certo co-

gnoſcamus,

Digitized by Google

ſcamus, & homines eſſe in agendo liberos, & Deum omnes actiones hominum decreviſſe. Id ipſum quoque ſubinde repetitur tribus ſequentibus capitibus ad infringendas Placettæ objectiones. Sequitur p. 140 *Examen ſecundæ Partis libri Placettiani.* Cap. I hancce Placettæ objectionem proponit: Aut electus ſum aut reprobus. Si prius, quicquid fecero, perire non poſſum: ſin poſterius, quicquid fecero, ſalvari nequeo. Cum igitur decretum Dei de mea ſalute firmum ſit & irrevocabile, omiſſa omni ſalutis æternæ cura agam, quicquid volupe fuerit. Hic probat Noſter Placettæ reſponſionem eamque illuſtrat pluribus. Nimirum cum argumentum modo allatum ab utilitate deſumtum ſit, ſcilicet nos non debere ſtudere pietati, quia ſtudium hoc non ſit utile ad conſequendam ſalutem æternam; reſpondet, ſi vel maxime hæc utilitas hominem non amplius moveat ad colendam pietatem, alias tamen eſſe cauſas, cur illa colenda ſit. Primum (inquit) vitæ ſanctitas multum habet utilitatis in hac vita, dum animum reddit tranquillum, hominemque reddit gratioſum, omnia ut ei ſuccedant proſpere. Deinde pietas in hac vita præmiis divinis ornatur, improbitas calamitatibus afficitur. Tertio quo majori gradu homo in hac vita ſanctus eſt, eo majori etiam gradu beatus erit in vita altera. Addit, cum Deus vitæ æternæ promiſſione & mortis æternæ comminatione tam ſæpe nos in S. Scriptura revocet a malitia & ad pietatem excitet, hinc ſequi, quod omnino pietati ſtudendum ſit ad conſequendam beatitudinem ac effugiendam æternam mortem, non obſtante ſupra dicta objectione. Quemadmodum, licet Deus decreto abſoluto conſtituit diem mortis noſtræ, tamen alimentis ad conſervandam vitam utendum eſt: ſic & pietate, tanquam medio perveniendi ad ſalutem, uti debemus. Cap. II urget cum Supralapſariis dictum illud *Prov. XVI, 4,* ubi Deus dicitur *omnia feciſſe ad gloriam ſuam*: ſimulque reſpondet ad ea, quæ Placetta ad hoc dictum repoſuerat. Cap. III oſtendere conatur, ad objectiones contra decreta Dei factas æque commode reſponderi poſſe ex principiis Supralapſariorum, ac ex principiis Placettæ. Hic ita objecerat: Aut Deus decrevit me aliquando convertere, aut non. Si prius, maxima mea crimina non impedient, quo minus decretum Dei deducatur in actum. Si poſterius, omnis meus labor in cul-

turam

turam pietatis collatus erit vanus. Noſter fatetur, magni ponderis hanc eſſe objectionem. Imo cum ſola Dei gratia ſit cauſa noſtræ converſionis, porro ratiocinatur: Aut Deus decrevit gratiam mihi largiri ſufficientem, aut non. Si prius, neceſſe eſt, me aliquando converti & ſalvari: ſi poſterius, in caſſum laborabo virtutis cauſa. Hæc ad argumenta reſponſurus primo notat, eſſe quædam tam atrocia crimina, ut ea Deus nunquam permittat committi ab electis, e. g. peccatum in Spiritum ſanctum, quo de ſtatuit Noſter, id non ideo eſſe irremiſſibile, quaſi Deus non valeat vincere tam obſtinatum ad peccandum animum: ſed ideo, quia Deus lege quadam ſe adſtrinxerit, nullam dare veniam tali crimini. Huc refert Indurationem, quam in eo putat conſiſtere, quod Deus terribili judicio deneget magnis peccatoribus gratiam, per quam alias potuiſſent converti. Sic p. 223 ſcribit, Chriſtum & Apoſtolos hortatos quidem eſſe Judæos ad pœnitentiam, miraculis quoque eum in finem uſos: ſed irrito eventu, quia Deus non adjunxerit adhortationibus & miraculis illis efficaciam ſui Spiritus. Deinde præſupponit, decretum electionis & reprobationis niti ſolo Dei beneplacito. Nunc ad ſuperiorem objectionem hunc reſpondet in modum: Vix ullum eſſe peccatum, quod magis mereri videatur reprobationem æternam, quam illud quod dicto modo argumentantes ſuæque argumentationi conformiter viventes committant. Hos autem graviſſimum committere peccatum tali modo ratiocinantes, probat (1) ex eo, quod hoc argumentum ſupponat, Deo ſerviendum non eſſe, niſi ſolius utilitatis cauſa: (2) quod concluſio decernat, non unum alterumve, ſed omnia peccata, ſecure committenda eſſe: (3) quod talis homo conſilium peccandi capiat non aliquo impulſus affectu, ſed ſerena mente & deſtinato conſilio: (4) quod ejuſmodi homo non ſolum in animum inducat peſſime vivere, ſed & revera id faciat: ex quo ſequatur, talem hominem ſummopere depravatum eſſe. Ex his denique concludit, Deum talem hominem ſuæ relicturum inſaniæ & æternis affecturum ſuppliciis eſſe. Ceterum utrum hoc ſit ſolvere nodum an ſcindere, diſpiciant alii. Cap. IV rejicit novum Syſtema Prædeſtinationis a Placetta ad methodum Jacobi Granados Jeſuitæ Hiſpani propoſitum. Jam p. 268 ſequitur Reſponſio ad Placettæ

Digitized by Google

additamentum, in quo examinatur dogma de præmotione phyſica. Ubi ſtatim Cap. I profitetur, ſe invitiſſimum in hunc diſſerendi campum deſcendere, cum vel ſubtiliſſimæ hujus argumenti diſcuſſiones nec utiles ſint nec neceſſariæ, & res ipſa ingenii noſtri viribus ſit altior: prætereaque non poſſit evitari, quin Deus certo ſenſu ſtatuatur autor peccati, ita tamen, ut in eo Deus ipſe a peccato ſit immunis. Ceterum abſtinendum cenſet ab illa phraſi. Jam proponit Placettæ objectionem contra *præmotionem phyſicam* ſive *concurſum prædeterminantem*: Ubi præmotio phyſica locum habet, ita ut Deus hominem deſtinarit ad peccandum, ibi non poteſt dubitari, prædeterminare hominem innocentem ad peccandum, & quidem ita, ut prædeterminans ſciat, peccatorem obnoxium fore æternæ miſeriæ, id, inquam, fluere ex crudeliſſimo odio. Reſpondet autem Noſter (1) negando conſequentiam: (2) cum Placetta ſupponat, præmotionem phyſicam non poſſe conſiſtere cum humana in agendo libertate, Noſter contrarium tuetur, faſſus tamen, id nobis eſſe incomprehenſibile: (3) idem ſequi ex ſimplici præviſione Dei, cum nempe ſtatuitur, Deum permiſiſſe lapſum, ex quo æternus plurimorum interitus ſequitur, quem tamen facile ipſi erat impedire. Hinc porro ſequi, Deum, cum permitteret lapſum dæmonum & hominum, certo id feciſſe conſilio. Nullum autem aliud excogitari poſſe, quam conſilium declarandæ ſuæ gloriæ. Ut igitur gloria divinæ miſericordiæ manifeſtaretur, quidam (inquit) peccare & in æternum interire: ad gloriam vero divinæ juſtitiæ patefaciendam alii credere in Chriſtum & ſalvari debuerunt. Hinc porro neceſſario ſequi putat firmitatem Supralapſarianismi, ut loquitur. Cap. II & III reſpondet æque, ut in primo, objectionibus Placettæ contra dogma de præmotione phyſica. Sed ad reſpondendum utitur plerumque theſibus ſupra jam allatis, ut adeo eas repeti nihil opus ſit. Cap. IV ad objectionem Placettæ, quod præmotio phyſica Deum faciat autorem peccati, reſpondet primo ita: Ubi verborum Dei ſenſus clarus eſt & liquidus, ibi objectiones quævis rejici poſſunt ſecure, licet non diſtincte queant reſolvi: deinde ait, Deum certo ſenſu omnino dici poſſe autorem peccati. Homo (inquit) non poteſt eſſe autor peccati, ut non ipſe peccet: ſed Deus peccati autor eſſe poteſt, ut tamen ipſe haudquaquam

peccato

Digitized by Google

peccato ſe contaminet. Deus enim quædam poteſt citra peccatum facere, quæ homini facere non licet. Sic (ita pergit,) Deus, dum permiſit, peccatum ingredi in orbem, quod tamen quo minus fieret, impedire poterat, eſt Autor peccati.

Hactenus recenſio Tomi primi, in quo cum φορτικὰ appareant ἀκούσματα, ſperamus, Theologorum aliquem hæc ſub examen revocaturum, obſtiturumque, ne Deum ſibi repræſentent homines ſub ſpecie abſoluti tremendique Domini, ſed benigniſſimi patris, qualis in Codice ſacro exhibetur.

Ne vero Lectori tædium faciamus, Tomi ſecundi recenſione defungemur quam breviſſime. Hic primo cum Placetta diſputat de libertate hominis in agendo. Eam Noſter Cap. I ait conſiſtere Pag. 3.
in eo, ut homo poſſit agere, & poſſit actionem omittere, ſi quidem velit utrumvis: ſive, ut poſſit ſuam ſequi electionem, ſuum arbitrium, nec cogatur vi quadam externa ad aliquid faciendum. Hanc libertatem eſſe neceſſariam, ut agenti actio poſſit imputari. Nec 30, 32.
in eo conſiſtere liberum arbitrium, ut homo bonum poſſit non appetere: ſed in eo, ut homo affectum ſive deſiderium ſuum ſuſpendere poſſit & rem ſub examen revocare. Hinc angelos bonos, ac Deum ipſum, carere libertate ſive indifferentia in agendo, eo quod neceſſario agant id, quod cognoſcant optimum eſſe. Inge- 39.
nue vero fatetur, ſe in doctrina de libertate hominis in agendo ſequi principia Lockii: ſecundum quæ quaſdam Placettæ de libero arbitrio theſes corrigit. Cap. II ex Placetta repetit objectiones afferri ſolitas contra doctrinam Proteſtantium de hominis lapſi impotentia ad bene agendum. Nimirum ſi homo non poteſt facere bonum, Deus ei non poteſt bonum præſcribere faciendum, cum ad impoſſibilia nemo obligetur, nec homo propterea, quod legem non ſervat, juſte poteſt puniri. Ad hanc objectionem quæ Placetta reſpondet, Noſtro non ſatisfaciunt. Ipſe ſic reſpondet: 1) Deum 44.
omnia nobis mandare poſſe, quæ ſancta ſint & juſta, & quæ ſi non faciamus, dici poſſimus facere noluiſſe. 2) Deum non poſſe non 49.
odiſſe & punire peccatum. Cetera mittimus brevitatis ſtudio, illud unum memorantes, quod Placettam in doctrina de peccato 57 ſqq.
originis accuſet heterodoxiæ. Cap. III oſtendit, quomodo Placetta reſponſiones Theologorum ad memoratam objectionem reie-

 cerit.

Digitized by Google

Pag. 90. cerit. Id vero eum injuria feciſſe, demonſtrare ſatagit. Scilicet
Placetta putat, objectionem illam ſolvi debere per diſtinctionem
inter impotentiam phyſicam & moralem. Hanc diſtinctionem
certo ſenſu applicari poſſe concedit Noſter, ſed & applicationem
& explicationem a Placetta factam repudiat. Cap. IV eodem de
argumento cum Placetta diſputare pergit, nec obſcure Pelagianiſ-
mi reum eum facit. Cap. V & VI examinat diſſertationem Placet-
tæ ſecundam, qua hic conciliare ſtuduit efficaciam irreſiſtibilem
divinæ gratiæ cum libertate hominis. Noſter, rejiciens Placettæ
ſententiam, ſcribit, hominem, cum in ſuæ converſionis momen-
to ſe habeat mere paſſive, in illo proinde momento nec libere
agere nec coacte, ſed plane nihil agere. Cap. VII, VIII & IX ter-
tiam Placettæ diſſertationem examinat, qua ille oſtendit, provi-
dentiam præſcientiamque Dei ejusque decreta non tollere homi-
173. nis in agendo libertatem. Noſter ita judicat, licet præſcientiam
Dei cum libertate hominis conciliare nequeamus, id tamen non
obſtare, quo minus utraque credenda ſit, quippe cum intellectus
noſter habeat ſuos terminos, nec omnia comprehendere poſſit:
ſufficere, quod certo ſciamus, & dari præſcientiam Dei & nos
agere libere. Recordamur hoc loco ſimilis judicii Sepulvedæ,
lib. III de fato & libero arbitrio p. 592 ſcribentis ita: *Etiamſi quis*
hoc argumentum de Dei præſcientia refellere neſciat, non tamen ob
id manifeſtiſſimo rerum uſui & experientiæ refragabitur. Alias ſi-
milis eſſet illis, qui, cum Zenonis argumenta acerrime contra mo-
tum diſputantis ſolvere neſcirent, motum, quem cunctis fere ſenſi-
bus percipiebant, rationibus victi nullum eſſe confitebantur. Contra
prudenter Diogenes Cynicus inambulando Zenonem refutabat. Pla-
cettæ reſolutionem iſtius quæſtionis Noſter non putat eſſe ortho-
doxam, variisque eam impugnat rationibus. Cap. X examinat
Placettæ Diſſertationem, qua probare conatus eſt adverſus Spino-
zam, homines agere libere. Hanc egregie laudat commendatque,
ideoque lectoris commodo ea, quæ maximi ſunt momenti, inde
ad verbum deſcripta exhibet. Non tamen nulla ſunt, quæ a Pla-
288. cetta minus recte dicta putat eſſet. Hinc ſequitur nova collectio
objectionum contra Autoris noſtri librum *de ſuprema Dei perfe-*
465. *ctione* factarum, ſubjectis reſponſionibus. Quas excipiunt Notæ

in

Digitized by Google

in Cl. *Oſterwaldi* librum *de cauſis corruptionum.* Hunc arguit violatæ heterodoxiæ, Socinianiſmique ſuſpectum reddit: addens tamen, ſe credere malle, heterodoxa Oſterwaldio excidiſſe imprudenti, non profecta eſſe ex animo heterodoxo. Inprimis vitio ei vertit, quod ne verbulum quidem dixerit de peccato originali: itemque, quod de bonis operibus, de hominis coram Deo juſtificatione, de ſacra Cœna non ſcribat orthodoxe. Pari modo ejus Catechiſmum excutit, in quo itidem Autorem nonnunquam Socinizantem deprehendere ſibi viſus eſt. Pag. 518.

VITA S. PII V SUMMI PONTIFICIS, Deſcripta a F. THOMA MARIA MINORELLO, Patavino, Ordinis Prædicatorum, S. Theol. Magiſt. & Bibliothec. Caſanatenſi.

Romæ, apud Franciſcum Gonzagam, 1712, 8.
Plag. $6\frac{1}{2}$ una cum vera effigie Pii V.

Conſtat inter omnes, ab hodierno Pontifice Clemente XI ſuperiori Anno XI Kal. Junii præter alios in Sanctorum numerum ſolenniter relatum eſſe Pium V, cujus ipſe, quanquam longo intervallo, ſucceſſor eſt. Cum itaque Pius ille ſacræ Dominicanorum ſocietati fuerit adſcriptus, hæc tanto ſocio læta non ſolum Romæ in Templo S. Mariæ ſuper Minervam diem ſeptimum Idus Auguſti in honorem ejus ac memoriam eodem celebravit anno, ſed ex eodem quoque ordine Autor noſter vitam iſtius Pontificis ſatis luculenter expoſuit. Nos eam Lectoris noſtri commodo in
brevem contrahemus ſummam. Originem duxit ille Papa e gente 2.
Ghiſleria, quæ Bononia Boſcum Inſubriæ oppidum ſe contulit, ubi & natus A. 1504 XVI Kal. Febr. in baptiſmo nomen accepit Michaelis. Adoleſcentulus adhuc in Vici Iriæ cœnobio nomen de-
dit Dominicanorum ſectæ. Sequenti tempore per XVI annos di- 3.
verſis in cœnobiis Theologiam docuit. Viglabenſi cœnobio 5.
bis Præfectus, Soncinenſi & Albenſi ſemel, ſuos exemplo ſuo in-
duxit ad mores religioſiſſime componendos. Quo conſilio mul- 6.
tos per annos frequenter habuit conciones, ut ſcilicet homines a vitiis avocatos ad vitæ integritatem perduceret. Atque ea re jamtum tantum ſibi conciliarat venerationis, ut paſſim alter habere-

Digitized by Google

tur S. Bernardinus, cum quod vultu corporiſque gracili habitu
Sanctum referebat, tum magis, quod ſanctitate vitæ illum æqua-
Pag. 7. bat. Poſtea Cardinales Romani, penes quos in Hæreticos inqui-
rendi poteſtas, eum Quæſitoris munus in Novocomenſi diœceſi
8. obire juſſerunt. In quam cum ex Helvetia irrepſiſſet hæreſis, Mi-
chael noſter omnia fecit,ne latius ſerperet virus, ſed quamprimum
opprimeretur. Ac plura hic narrantur exempla fortis in tuenda
religione animi & capitali odio in hæreticos incenſi. Quam ob
15. rem Papa Julius III munus Commiſſarii Sancti Officii ei demanda-
vit, quod gerens omni cura incubuit in avitæ religionis defenſio-
16. nem hæreticorumque deletionem. A. 1556 a Papa Paulo IV Epi-
17. ſcopus Nepeſinæ ac Sutrinæ Eccleſiæ conſtitutus eſt. Idem Ponti-
fex eum creavit Cardinalem, dictum Alexandrinum ab Alexandria
18. Statiellorum, quæ urbs non procul Boſco, illius natali ſolo, diſtat:
& quia ardor Noſtri in conſervanda religione πατροπαραδότῳ
Papæ notus erat, hic novum munus Supremi in tota Eccleſia In-
19. quiſitoris inſtituit, illudque Noſtro contulit. Papa Pius IV ad
Epiſcopatum Montis Regalis in Subalpinis eum traduxit: ſed bre-
vi poſt Romam accivit, ut Supremi Inquiſitoris munus continua-
ret & conſultationibus de Concilio Tridentino ad finem perdu-
20. cendo intereſſet. Hoc tempore oſtendit ſuam in dicendo, quod
ſentiret, maximam libertatem. Cum enim Pius IV Ferdinandum
Medicem & Fridericum Gonzagam, quorum alter tertium deci-
mum annum agebat, alter vigeſium primum nondum expleverat,
eſſet inter Cardinales relaturus, fortiter obſtitit Noſter, id adver-
24. ſari docens legibus nuper in Tridentina Synodo latis. Pariter cum
Maximilianus II Imp. aliique Germaniæ Principes ad Pium IV
ſcriberent, utile futurum Eccleſiæ, ſi ſacerdotibus uxores ducen-
di poteſtas fieret, oſtendit, hoc omnino fieri non poſſe, ſacris quip-
28. pe canonibus contrarium. Tandem mortuo Pio IV electus eſt
32. Pontifex maximus. In quo conſtitutus munere liberaliſſimum ſe
35. præbuit in pauperes: ſororis ſuæ nepotem inter Cardinales coo-
38. ptavit: externæ morum ſanctitati omnibus modis conſuluit, tam
ſeverus religionis cultor, ut & ethnicæ antiquitatis monimenta in
Vaticani palatio exſtantia Senatui Rom. donaret in Capitolio col-
40. locanda. Hinc & ferre noluit, Romæ mulieres turpem quæſtum

corpore

Digitized by Google

corpore facere. Eas igitur urbe ejicere conſtituit, ac, multis licet prudentiæ ſpecie obnitentibus, tamen ſua perſtitit in ſententia,& meretrices Roma faceſſere juſſit. Paucas tantum, majoris mali effugiendi cauſa, manere permiſit, loco tamen obſcuro habitare juſſas. Gnarus, ex ebrietate, ludis & commiſſationibus multa Pag. 42.
naſci mala, incolas Romæ cauponas ingredi vetuit, malens, ut ærarium, quam ut pietas damnum faceret. Curavit, ut leges in 44.
Concilio Trid. latæ in toto orbe Chriſtiano obſervarentur. Epiſcopos & animarum paſtores in ſuis eccleſiis fixam habere ſedem omnino voluit. Concilii Tridentini Catechiſmum,in quo con- 45.
ſcribendo Leonardus de Marinis, Archiepiſcopus Lancianenſis, Ægidius Foſcararius, Epiſcopus Mutinenſis, & Franciſcus Forerus, Luſitanus, Dominicanus, doctam operam collocaverant, evulgavit eundemque in varias convertendum linguas curavit. Dies feſtos quam diligentiſſime coli præcepit. Indulgentias, quarum cauſa quicquam pecuniæ exigeretur, abolevit, ne avaritiæ ſuſpicio pietatem contaminaret. Eccleſiaſticos ſeveris legibus obſtrinxit, 46.
ne quicquam, quod mali eſſet exempli, facerent. Spectacula, qui- 47.
bus homines cum tauris aliisque feris ſe committebant, interdixit. Leges quoque ſanxit, quibus uſuras compeſcuit. Edidit etiam 48.
ſanctionem, qua Medici ægrotos admonere jubentur, ut ante omnia animæ adſcito ſacerdote conſulant: id quod ſi ægri tridui ſpatio non faciant, Medicus prohibetur illos amplius inviſere. Pro tuenda religione omnia fecit ubique terrarum ac gentium. Angliæ reginam Eliſabetham anathematis fulmine perculit. Ma- 54.
gno Equitum Melitenſium Magiſtro pecuniam ſubmiſit contra Turcas. Contra eosdem Imperatorem ac Venetos juvit pecunia & militibus. Non quievit, donec Chriſtianos Principes perpelle- 61.
ret, ut fœdere facto in Turcas bellum ſuſciperent: quæ res tam feliciter ceſſit, ut A. 1571 memorabilem illam ad Echinadas victoriam maritimam reportarent. Tandem Papa noſter lithiaſi exſtinctus eſt A. 1572 Kal. Maji. Thomam Aquinatem ſingulari proſecu- 68.
tus eſt veneratione, eumque quintum eccleſiæ Doctorem ceteris 73.
quatuor ſuperaddidit, omniaque ejus opera diligenti accuratione collecta nitidiſſimis typis exſcribi juſſit. En, Lector, omnia, quæ Autor noſter de Pio IV commemoravit: niſi quod miraculorum omiſi-

Digitized by Google

omiſimus mentionem, quia noſtræ religionis homines ea inſuper habent. Hi iidem mirabuntur, quædam hic afferri ſanctitatis documenta, quæ cum Chriſtianæ religionis & prudentiæ legibus vix videantur convenire, ut cruenta religionis propagatio conſervatioque. Adjecta eſt *Oratio* unica conſtans plagula in Pii V honorem a noſtro Autore Romæ habita in templo S. Mariæ ſuper Minervam in ipſa celebritate ſupra memorata: in qua, quæ fuſius expoſuerat in Vita, breviter & carptim perſtringit, nihil præterea adjiciens. Hoc unum ex Præfatione addendum videtur, quod Autor plura de Pio V cognoſcendi cupidos ablegat ad Gabutium & Bzovium, qui fuſius Latine: Fueilletum, qui Gallice: Fuenmajorem, qui Hiſpanice: Catenam & præcipue Paulum Alexandrum Maphæum, qui Italice vitam memorati Pontificis deſcripſerunt.

DE LINGUÆ LATINÆ IN GERMANIA per XVII ſæcula amplius fatis Commentarii; Autore JACOBO BURCKHARD, Sulzbaco-Palatino.

Hanoveræ, apud Nicol. Fœrſter, 1713, 8.
Alph. 1 pl. $17\frac{1}{2}$.

CL. Autor poſtquam in præfatione ſatis longa Latinæ linguæ per omnem Europam fata inde a Ciceronis ætate usque ad hodierna tempora perſtrinxiſſet, Cap. I oſtendit, qua ratione Lat. linguæ uſus in Germaniam noſtram ſit invectus. Primam occaſionem facit bella noſtratium cum Romanis, in quibus Germanorum nonnullos notitiam accepiſſe Rom. linguæ ac facultatem Latine loquendi, ex Tacito probat ac Suetonio. Alteram præbuerunt occaſionem commercia cum Romanis in finibus Germaniæ degentibus. Tertio Germani ſibi non potuerunt non Latine loquendi facultatem parare, ſubinde in Romanorum caſtris ſtipendia merentes, idque primo poſt natum Chriſtum ſæculo & paulo ante. Ceterum hæc, quæ diximus, Autor capit de incolis Germaniæ Magnæ, quæ Romanis trans Rhenum fuit atque Danubium. De illa Germania, quam Cisrhenanam appellarunt Romani, quæque Romani imperii pars fuit, plane non dubitat, quin ea una cum

imperio

imperio etiam linguam Romanorum receperit: quippe cum (1) Romanis curæ eſſet, ſua ut lingua uterentur provinciales: (2) in ſuas illi provincias deducerent colonias: (3) etiam Scholas in provinciis aperirent. Idem judicat de Rhætia, Vindelicia ac Norico. Sed revertamur cum Cl. Autore in Germaniam Magnam. Is ultra Albim, quippe quod flumen, teſte Strabone, non tranſierint Romani, Lat. linguæ uſum extendendum non putat prioribus quatuor poſt Chriſtum natum ſæculis. Atque hac occaſione digreditur hoc capite in doctam copioſamque tractationem de bellis Romanorum cum Germanis per quatuor illa ſæcula geſtis. Cap. II docet, ſæculis V, VI, VII, VIII nullum Lat. linguæ uſum fuiſſe in Germania, præſertim qua Septentrionem ſpectat: & illos, qui religionem Chriſtianam ex Gallia in auſtralem Germaniam propagarint, parum de Latina lingua boniſque litteris excolendis cogitaſſe. Simul de Latinitate *ruſtica*, per Francorum in Galliam irruptionem ibi orta, pluribus agit. Cap. III probat, exeunte VIII & ineunte IX ſæculo auſpiciis Caroli M. lucem obortam eſſe in literarum Latinique ſermonis ſtudio. Is enim lege lata mandavit epiſcopis, ut per ſingula monaſteria Scholas inſtituerent in Germania. Sed tamen, docente Noſtro, non proceſſit feliciter conatus ille, ac vix mediocriter exculta fuit lingua Latina. Cujus negligentiæ culpam in monachos confert, qui, neglecta ingeniorum cultura, delitiis curandisque corporibus ſeſe dederint: hacque occaſione de turpiſſima clericorum id ætatis ignorantia diſſerit. Duo tamen lumina in tantis tamque diuturnis tenebris ſplenduerunt, Eginhartus & Lambertus Schaffnaburgenſis, ſatis nitido uſi dicendi genere. Regnavit autem iſta ignorantia inde a Caroli M. tempore usque ad ætatem Caroli IV per quinque amplius ſæcula. Jucundum fuerit Lectori, ignorantiæ monachorum hic ſpecimina videre, e. g. in etymologiis, ubi *presbyterum* dictum putabant, quod *præberet ſuis iter: Diabolum* a *duo* & *bolus*, eo quod ex homine devorando *duos* faceret *bolos*, unum de corpore, de anima alterum. Agit etiam Cl. Autor de miſerabili poeſeos Latinæ facie hac ætate: in qua ſtudebant monachi rhythmis, quorum complura exempla ſatis lepida affert. Nec vero negat, excipiendos hic eſſe Strabonem Fuldenſem, Villeramum, Guntherum, & Roswitham, qui carmina ſatis feliciter ac

Digitized by Google

ſupra ſui mores ſæculi deduxerint. Cap. IV præmiſſis quibusdam de Scholaſticorum ſtribligine, ad ſæculum XV defertur, quo Georg. Purbachius, Nic. Cuſanus, & Jo. Regiomontanus ſatis felicem Latinæ linguæ dederunt operam: ideoque Campani male ſentientis de Germanorum ingeniis judicium pluribus refellit. In Rudolphi Agricolæ laudibus, qui ſecutus illorum veſtigia primus dicitur Germanis monſtraſſe rectam diſcendi Latineque ſcribendi rationem, diutius occupatur. Hinc de Rud. Langio, qui primus Germaniæ Latinus Poeta hoc tempore creditur fuiſſe, de Alex. Hegio, Ludov. Dringelbergio, & Jo. Reuchlino diſſerit, ita tamen, ut de ultimo deque ejus cum monachis concertationibus copioſiſſime omnium agat. Nec illaudatos dimittit alios Latine doctiſſimos hujus ætatis viros, Adolphum Occonem, Jo. Nauclerum, Mutianum Rufum, Conr. Peutingerum, Jo. Camerarium Dalburgium, Conr. Celtem, Henr. Bebelium, Beatum Rhenanum, Jac. Wimphelingium, & Bilibaldum Pirckheimerum. Neque præterit cauſam tam felicis proventus eruditorum in Germania. Scilicet Maximilianus I Imp. ſuo exemplo pluribus Germaniæ Principibus calcaria addidit, ut & ipſi litteras ſuo patrocinio complecterentur ſuisque terris barbariem ejicerent. Cl. Autor non ſolum nominatim illos Principes collaudat, ſed & ex nobilitate Germanica viros aliquot producit litteris impenſe deditos. Cap. V de iis agit, qui procedente ſæculo XVI Latinæ linguæ ſtudio deditiſſimi fuerunt, docetque, medium hoc ſæculum fuiſſe *auream Latinæ linguæ in Germania ætatem*. Breviter perſtringens Anton. Liberum, Conr. Goclenium, Jac. Montanum, aliosque, diligentius diſſerit de Jo. Murmelio & Hermanno Buſchio, qui e ſcholis ejecerunt *Alexandri doctrinale*, de quo & aliis libris tum in ſcholis explicari ſolitis pluribus agit. Commemorat quoque novarum Grammaticarum eo tempore editores, Braſſicanum, Henrichmannum, Aventinum. Jamque ad Eraſmum venit, cui tantum debere judicat Germaniam, ut unicus fere litterarum inter Germanos inſtaurator ſit habendus. Notum eſt, cum imperitiam Lat. linguæ & barbariem monachorum ſtrenue publicis exagitaſſe ſcriptis. Noſter annotat, quam ridiculis ſe invicem ornarint honorum titulis, quam ineptas epiſtolis ſubjecerint ſubſcriptiones, & quod alter alterum in plurali nume-

ro

Digitized by Google

ro appellarit, e. g. *oro paternitatem veſtram.* Nos hoc loco obſervatu dignum putamus, *Franciſcum Petrarcham lib. XII epiſt. 6* gloriari, ſtylum illum femineum, quo *pluraliter* ſeſe compellabant Latine tum loquentes, ſe unum vel ſaltim primum per Italiam immutaſſe. Confer eadem de re ejusdem *librum variarum epiſtolarum* epiſt. 13 & 14. Porro Noſter, idque ſatis copioſe, agit de Ulrico Hutteno, de Hermanno Comite Nuenario ſive Novæ aquilæ, de Melanchthone, de Joach. Camerario, deque ſingulorum in Lat. linguam præclaris meritis. Etiam clariſſimos hujus ævi Scholarum moderatores recenſet, Jo. Rivium, Marcum Dabercuſium, Adamum Siberum, Jobum Magdeburgum, Georg. Fabricium, Valent. Trocedorfium, Mich. Neandrum, Baſil. Fabrum. Hinc claros ex Germanis Interpretes cum laude commemorat, Sigism. Gelenium, Hier. Wolfium, Guil. Xylandrum, Jo. Leunclavium: inter celebres tum Poetas, Eob. Heſſum, Euricium Cordum, Jac. Micyllum, Georg. Sabinum, Jo. Stigelium, Pet. Lotichium: nec minus Hiſtoricos, Sleidanum & Aventinum: hinc Latine doctos Principum miniſtros, Chriſtoph. Carolovicium, Hub. Languetum, Dav. Peiferum, Andr. Mylium: tandem Medicos Latine doctiſſimos, (quorum principes erant Jo. Crato & Jo. Langius,) nec non Jureconſultos (in quibus eminuit Ulricus Zaſius,) ac Theologos laudat. Ac, uti ſuperiori factum capite, ita & hic debitis effert laudibus Principum haud mediocrem in litteras favorem, mirumque in erigendis Scholis & Academiis ſtudium. Cap. VI de ſtudii Lat. linguæ in Germania decremento agit, quod illo ipſo XVI ſæculo jam ceſſare cœpit: qua de re Camerarii, Caſelii, Cruſii querelæ adducuntur. Eraſmum, qui culpam hujus negligentiæ in Lutheraniſmum contulit, Cl. Autor refellit, non tamen diffitens, plurimos Germanorum contemtum humaniorum litterarum dignum judicaſſe Theologiæ cultoribus. Ipſum tamen Lutherum ac Melanchthonem, principes Theologorum, maximi feciſſe bonas litteras, luculenter probat. Quod ſi jam ex Noſtro quæras, quænam igitur vera ſit negligentiæ illius cauſa, non unam accipies, ſed plures. Obſtitit nempe litterarum progreſſui ignavia, quæſtus ſtudium, ipſa natura rerum, quæ, ubi ad ſummum pervenerunt, deſcendere rurſus ſolent: nimia porro ad diſciplinas graviores properatio, eruditorum dis-

Digitized by Google

cordia, Mæcenatum & fautorum penuria. Ceteri, qui Lat. linguam excolere volebant videri, ipſi quoque in vitia inciderunt. Alii quippe Apulejani facti obſoletam in ſcribendo antiquitatem affectarunt: alii adagiorum nimis frequenti uſu peccarunt: alii Criticæ artis laudem captantes bonos auctores ſua temeritate contaminarunt: alii denique novæ Rami philoſophiæ ſe addixerunt. Attamen irruenti barbariei maſcule ſe oppoſuerunt Jo. Sturmius & Jo. Caſelius. Illius in linguam Lat. merita ſumma copioſe exponit, ejus quoque laudans diſcipulum ejusdem laudis æmulum, Jo. Benzium, item ejus collegam, Val. Erythræum, ejusque ſucceſſorem, Melch. Junium. De Caſelio, lectorem ablegat ad librum ſuum A. 1707 editum & a nobis A. 1708 p. 92 laudatum *de meritis Caſelii in litteras*: nonnulla tamen inde repetita huc quoque referens. Caſelianæ laudis ſocios porro facit Gregor. Bersmannum, Matth. Dreſſerum, Reinerum Reineccium, Nicod. Friſchlinum, & Nath. Chytræum. Cap. VII, quod extremum eſt, agit de Latinæ linguæ in Germania fatis per ſæculum XVII. Oſtendit, initio hujus ſæculi plerisque contemtui fuiſſe Latinæ linguæ ſtudium, animis ad *realia*, quæ vocabant, ſtudia applicatis: ceteros ſtyli ſtudioſiores ſectatos eſſe alios Melanchthonianum, alios Lipſianum dicendi genus, ſpreta imitatione veterum. Non tamen negat exſtitiſſe complures veræ ac germanæ Latinitatis cultores, in primisque ex Jeſuitarum ordine multos Latine ſcribendi peritiſſimos nominatim laudat. Licet igitur contemtus Latinæ eloquentiæ magnus hoc ſæculo fuerit, & languide admodum a Germanis culta ſit Romana lingua; tamen nec hoc ſæculo defuerunt Latinitatis puræ ſtudioſi: quorum tamen numerum admodum exiguum viſum iri exiſtimat Noſter, ſi quis eum cum eorum numero contendat, qui ſæculo XVI iisdem operati ſunt litteris. Hic memorat Voſſium, Scioppium, Giſanium, Rittershuſium, Taubmannum, Cellarium, Freinshemium, Bœclerum, Buchnerum, Morhoſium, Schurzfleiſchium. Nec præterit ſilentio doctos hujus ſæculi principes ac Mæcenates. Abſoluta tandem ſæculi XVII hiſtoria, noſtra ætate dolet ſtudium Lat. linguæ valde negligi, ac vix meliorem concipi ſpem poſſe de tempore inſtanti. Hac occaſione invectus in eos, qui Pædantiſmi convicio adſpergunt Latinitatis ſtudium, & *realibus*,

ut

Digitized by Google

ut loquuntur, ſtudiis toti dediti verborum curam alto ſupercilio abjiciunt, ad extremum Latinæ linguæ commendatione totum librum claudit. Nos quid ſentiamus, cordate Lector, paucis habe. Scilicet peccant omnino, qui ſapientiam eruditionemque conſiſtere putant in ſola linguæ elegantiarumque Latinarum cognitione. Ceterum cum illa ſit communis eruditorum lingua, ei omnino danda eſt opera, ut & libros ea ſcriptos intelligere & ipſi ea lingua libros in communem utilitatem conſcribere posſimus. Semper tamen ſapientia eloquentiæ præferenda eſt, Domina ancillæ. Quare cum facile Cl. Burckhardo concedamus, ſæculum XVII non tot tamque ſtrenuis floruiſſe cultoribus Latini ſermonis, quot ſæculum ſextum decimum, attamen ſæculo XVII & noſtro, quod jam vivimus, major fuit Philoſophorum & hominum in omni genere eruditorum proventus, adeoque recentiora tempora ſæculum XVI felicitate multum anteire, nulli dubitamus.

R. DAVID KIMCHII COMMENTARIUS IN Pſalmos, opera & ſtudio R. DAVIDIS GRUNHUT, Francofurt. cum Præfat. JOH. JACOBI SCHUDT, Con-R.

Francofurti ad Mœnum, 1712, 8.

R. Davidis Kimchii in Pſalmos commentarii omnibus interpretibus noti ſunt, & Hebraice & Latine (a Janvierio verſi) leguntur. Novam eorum editionem procuravit R. D. Grünhut, quia exemplaria diſtracta rarius inveniuntur. His Clar. Schudtius præfationem præpoſuit, qua Judæorum commentarios extollit, & illos Kimchii omnibus præfert. Imprimis commentarios ejus in Pſalmos laudat, miraturque, quod neq; Buxtorffius neque Bombergius Bibliis ſuis majoribus eum inſeruerint; tantum enim Bombergianis A. 1517 abſolutis additus eſt, in ſequentibus editionibus omiſſus. Sed exiſtimamus, eo tempore exemplaria tam rara non fuiſſe, quia toties excuſa, quod apparet ex Bartoloccii Biblioth. Part. II p. 31. Pag. 11.
Optimam horum commentariorum editionem Cl. Schudtius Isnæ in Polonia opera Pauli Fagii A. 1542 prodiiſſe perhibet, ſed nullam eorum in Polonia lucem adſpexiſſe, Fagiumq; Poloniam nunquam vidiſſe certum eſt. Neſcimus vero, quam Isnam Poloniæ Clar.

Vir cum Iſna Algoviæ confundat, in hac enim Fagium Rectoris,& deinde Paſtoris officio functum eſſe, teſtis eſt Melchior Adami in Vita ejus p. 99. Perperam itaque Clar. Vir Janvierium erroris ac-
Pag. 14. cuſat, qui Kimchii Commentarium in Germania excuſum in præf. ſcripſerat. Reliqua mittimus, ſufficit nobis novam Kimchii commentarii in Pſalmos editionem indicaſſe.

HISTORIA ANATOMIÆ NOVA ÆQUE AC antiqua, Autore ANDREA OTTOMAR. GOELICKE, *M. D. & in Friederic. Regia P. P.*

Halæ Magdeb. ex officina Rengeriana, 1713, 8.

Plag. $14\frac{1}{2}$.

QUanquam res difficultatibus pleniſſima ſit, Hiſtoriam Literariam adornare, & juſta de ſcriptoribus, eorundemque moribus & operibus ferre judicia; cum alii vel promiſcue & ſine diſcrimine omnia approbare, vel omnia temere alii rejicere ſoleant; Autor tamen Clariſſ. qui, ſicuti adulandi artem nunquam vel didicit, vel diſcere voluit, ita e contrario libertatem ſentiendi tanquam bonum inæſtimabile ſemper magni æſtimavit, prout in tractatus hujus præfatione loquitur, a propoſito ſemel cœpto deterreri ſe paſſus non eſt, vel animum timide deſpondit. Poſtquam enim obſervaret, multos egregios viros certatim hactenus in excolenda Hiſtoria Literaria variæ & omnigenæ eruditionis laboraſſe, idem in Medicina conari operæ pretium duxit. Totius igitur Medicinæ & omnium ejus partium accuratam Hiſtoriam, tam antiquam, quam recentiorem pandere, & quidem non ſolummodo Scriptorum vitas, & ſcripta, prout ſerie naturali temporis occurrunt, ſed & potiora illorum inventa, ſingulares item hypotheſes, controverſias & alias memorabiles huc pertinentes circumſtantias ordine recenſere in ſe ſuſcepit. Placuit autem eidem ab Hiſtoria Anatomiæ, tanquam fundamento totius Artis Medicæ, initium facere, quam brevi Hiſtoria Chirurgiæ, & ſuo tempore Pharmaciæ, Botanices, &c. excipiet. Quibus ita expeditis ad pandendam totius Artis Hiſtoriam ſe accinget. Ad quos labores exantlandos ut Deus T. O. M. proſperam ei valetudinem otiumque ſufficiens largiatur, omnes boni nobiſcum precantur. In hoc tractatu, quem jam ſiſtimus, Hippo-

Google

Hippocratem Coum, tanquam vetuſtiſſimum, uti totius Medicinæ, ita potiſſimum Anatomiæ, Scriptorem, præ reliquis in ſcenam producit; quamvis negandum non eſſe doceat, etiam ante ipſum extitiſſe quosdam, qui Anatomiam excoluerunt, etiamſi non libros argumenti Anatomici conſignarint. Hippocratis interim Anatomica partim cruda eſſe, ac rudia, partim falſa, aliena & confuſa, partim vero titulos libris præfixos argumento in illis tractato rariſſime imo vix ac ne vix quidem reſpondere obſervat, laudat vero ejus de ſtructura & ſubſtantia cordis muſculoſa, de cerebri glandulis & de textura renum glanduloſa ſententiam. Ab Hippocrate progreditur ad Democritum, inde ad Ariſtotelem, Ruffum Epheſium, Galenum, & ſic ad alios ad noſtra usque tempora Anatomicos, Appendicis loco ſubjungit huic Hiſtoriæ Anatomicæ Clariſſ. Gœlicke decadem obſervationum Phyſico-Anatomico-Chirurgicarum, quarum I. de Sarcomate penſili ſex librarum ex clavicula ſiniſtra ad inguina usque propendente, II. de Anatome pueri $2\frac{1}{2}$ annorum, macie penitus conſumti ob glandulam meſenterii centralem ſteutomatoſam, III. de Hepate inſolitæ magnitudinis, extremæ maciei cauſa in puella 7 annorum, Anatomiæ ſubjecta, IV. de Agno monſtroſo in vicinia nato, V. de miris convulſionibus, mulierem pauperculam ultra biennium exagitantibus, VI. de Cancro labii inferioris ex imprudenti uſu corroſivorum, aliisque funeſtis effectibus ex inflammatione partium delicatiorum, VII de puella abſceſſum abdominis paſſa ex abuſu fortiorum pellentium in menſium ſupresſione, VIII. de halitu tetro, dulci veluti ac nauſeabundo, mulieri ex naribus exhalante, certisſimo menſium inſtantium indicio, IX. de novo Inſtrumento uterino, quod alias peſſulum vocant, in prolapſu uteri cum ſucceſſu adhibendo, X. de prolapſu uteri ſpurio ex elevatione magni ponderis in puerpera agit.

PRÆLECTIONES PHYSICO-MATHEMATICæ Cantabrigiæ in Scholis publicis habitæ, quibus Philoſophia Illuſtriſſimi Nevvtoni Mathematica explicatius traditur & facilius demonſtratur, Cometographia etiam Hallejana commentariolo illuſtrata, Autore GUILIELMO WHISTON, *A. M. & Matheſeos Profeſſore Lucaſiano.*

Canta-

Cantabrigiæ, typis Academicis. Londini, impenſis Benjamini Tooke, 1710, 8.
Alph. 1.

Cum in Actis A. 1708 p. 351 & ſeqq. Cl. *Whiſtoni* Prælectiones Aſtronomicas commendaremus, p. 354 monuimus, Autorem paſſim promittere *Aſtronomiæ Phyſicæ Newtonianæ* elucidationem tyronum captui accommodatam. Stetit promiſſis Vir doctus & jam A. 1710 Prælectiones Phyſico-Mathematicas in Academia Cantabrigienſi habitas publici juris fecit, in quibus integra Philoſophia Newtoniana ad faciliorem intelligentiam proponitur. Quamvis autem nunc demum earum copia nobis facta ſit, æquum tamen eſt, ut de iis nonnulla dicamus. Quæ profundarum meditationum Autor, Vir in hoc ſtudiorum genere ſummus, *Iſaacus Newtonus* in præclaro Opere Principiorum Philoſophiæ naturalis Mathematicorum doceat, in Actis A. 1688 p. 304 & ſeqq. prolixe recenſuimus: unde conſtare poteſt, quænam ſint *Whiſtoni* dogmata. Eadem enim repetit, quæ *Newtonus* tradiderat, ſed facilioribus demonſtrationibus confirmat & eo ſingula ordine proponit, quo unum ex altero facilius infertur. Quoniam vero *Newtonus* aliorum de motu inventa & conica ſupponit, peritis nempe ſcribens Geometris; ideo Noſter minus peritorum conatus adjuturus ea aliunde repetit. Præmittit itaque palmaria de ſectionibus conicis theoremata, ex Cl. *de la Hire* Opere conico, quod præſtans in hoc ſtudiorum genere habetur, potiſſimum deſumta. Explicat regulas motuum ex conflictu corporum ortorum, quas leges motus phraſi recepta vocat, ab *Hugenio* potiſſimum inventas, itemque *Galilæi* de deſcenſu gravium tam perpendiculari, quam in planis inclinatis, de motu pendulorum, de motu projectorum dogmata ex *Hugenii* præſertim inventis ampliata exponit. His cum explicatione definitionum & axiomatum *Newtonianorum* præmiſſis, ad virium centripetarum conſiderationem cum in circulo, tum in coni ſectionibus, ellipſi potiſſimum, accedit & ad motum Planetarum applicat: ubi inter alia oſtendit, quod ☿ in Solem caderet ſpatio 15 dierum & 13 horarum; ♀ d. 39, h. 17; ♁ d. 64, h. 14; ♂ d. 121 h. 11; ♃ d. 767, h. 3; ♄ d. 1900, h. 4; Planetarum circumjovialium intimus in ♃ h. 7, ſecundus h. 15, tertius d. 1 h. 6, quartus d. 2 h. 23; Planetarum circumſaturniorum intimus in ♄ h. 8, ſecundus h. 12, tertius

h. 19.

h. 19, quartus d. 2 h. 20, quintus d. 14 h. 15; ☽ denique in terram d. 4 h. 20. Reſpondet quoque ad objectiones, quas celeberrimo *Flamſtedio* contra parallaxin fixarum oppoſuit *Gregorius* in ſuis Elementis Aſtronomiæ,& hunc haud exiguum ejus vocat errorem, quo labem non parvam operi alias pulcherrimo inuſſerit. Miratur tamen quoque in *Flamſtedio*, quod fixarum parallaxin interdum ex phænomenis illam minime probantibus deduxerit, annotantibus Aſtronomis Gallis in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum. Provocat quoque ad accuratas *Hoockii* obſervationes eandem ſtabilientes. Examinat deinde mutuas corporum in ſe invicem actiones, quæ ex particulis attractivis conſtant. Monet autem, ſe vocem attractionis hic generaliter uſurpare pro corporum conatu quocunque ad ſe invicem accedendi, a quacunque cauſa pendeat. In Matheſi enim inveſtigandas eſſe virium quantitates & rationes illas, quæ ex conditionibus quibuscunque poſitis conſequuntur. Ubi in Phyſicam deſcendatur, conferendas eſſe has rationes cum phænomenis, ut innoteſcat, quænam virium conditiones ſingulorum corporum attractivorum generibus competant: & tum demum de virium ſpeciebus, cauſis & rationibus phyſicis tutius diſputari poſſe. Hæc prorſus conſona ſunt iis, quæ nos aliquoties de viribus attractricibus contra intempeſtivum eorundem uſum inculcavimus. Quoniam vero his attractionibus ſimiles ſtatuit lucis refractiones & reflexiones, ea occaſione ad Opticam *Newtonianam* delabitur, & ut tyronibus inoffenſo pede eam pertranſire liceat, propoſitiones nonnullas demonſtrat, quas ſine demonſtratione poſuit *Newtonus*. Pedem ipſe promovet ad hydroſtaticas doctrinas, ubi una reſiſtentiam fluidorum conſiderat, & ea ex parte ad ſoni propagationem applicans calculo Geometrico deducit, undulationes aeris, quæ ſonorum vehicula ſtatuit, ea propagari velocitate, ut ſpatio 33 ſcrupulorum ſecundorum pedes Anglicos 35000 circiter conficiant & ex æquabili propagationis tenore ſecundo unico 1060 pedes circiter. Hoc vero intervallum inter obſervationes varias admodum diſcrepantes *Merſenni*, *Robervalli*, *Nevvtoni* medium eſt & paulo majus, quam a *Nevvtono* aſſignatur. Qua conſequentia autem ex eadem reſiſtentia fluidorum inferatur, explodi hinc materiam ſubtilem, cui corpora innatant, noſtrum in præſenti

Zz non

Digitized by Google

non eſt definire. Supponit certe materiam hanc cum corporibus moveri & impetum facere, & corpora cœleſtia vi inſita, non vero a fluido ambiente moveri. Inde ſimul oſtendere conatur, quod veteribus quibusdam Philoſophis placuit & a recentioribus quoque nonnullis aſſertum, radios lucis non eſſe motus per ætherem propagatos ſonorum inſtar, ſed corpuſcula realia a Sole & ſtellis emanantia. Diſputat etiam argumentis *Nevvtoni* contra vortices cœleſtes. Accedit tandem ad mundi ſyſtema explicandum & miratur ſtatim ab initio, *Davidem Gregorium*, quem optimum Aſtronomiæ *Copernicanæ* interpretem vocat, tantum olei & operis in falſis & imaginariis *Ptolemai* & *Tychonis* hypotheſibus exornandis perdidiſſe. Vocat enim hypotheſes iſtas fictitios cerebri humani fœtus, nec tolerare poteſt, ut veritatem ipſam meris umbris & naturam rerum inficetis mendaciis immiſcere ſtudeamus. Eas igitur in æternum ex Aſtronomia exulare jubet. Subſternit autem cum *Nevvtono* huic explicationi elegantia *Kepleri* (quem Philoſophiæ *Nevvtonianæ* parentem appellat) theoremata, quod planetarum primariorum tempora ſint in ratione ſesquialtera mediocrium diſtantiarum a Sole, & quod eædem radiis ad Solem ductis areas temporibus proportionales deſcribant: quæ eadem in circumjovialibus & Saturni ſatellitio vera deprehenderunt *Flamſtedius* atque *Caſſinus*. Ex parallaxi fixarum annua admodum exigua colligit, vires earum ob immenſam diſtantiam nullos effectus ſortiri ſenſibiles in regionibus ſyſtematis noſtri, & hinc corruere Aſtrologiam judiciariam, cum vires maximas ſupponat, quas minimas plane eſſe, in ipſis etiam planetis, Sole & Luna exceptis, ſuadeat ſyſtematis mundani vera cognitio. Qui idololatrarum more ſtellas Deos eſſe, vel Deos iis ineſſe immortales opinantur, eos habere, quo patrocinentur hypotheſi ſuæ: qui vero tam craſſo errori olim valedixerunt, mirum, quo fato iſtis næniis omni ſana ratione caſſis tam pertinaci animo etiamnum adhærere poſſint. Cometographiam *Nevvtonianam* ipſis verbis *Nevvtoni* adſcribit, quæ intellectu ſatis facilia, eidemque jungit *Hallejanam*, quam in Actis A. 1707 p. 218 & ſeqq. exhibuimus, ipſis itidem *Halleji* verbis, additis tamen hinc inde notulis involuta magis evolventibus.

Pleſi-

Digitized by Google

Pleßiſcher Urſprung und Denckwürdigkeiten,

h. e.

ORIGINES ET ANTIQUITATES PLESſenſes; Autore JOACHIMO MEIERO, I. V. D. & Gymnaſii Electoralis Gœttingenſis Prof. Publ.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtoph. Kœnig, 1713, 4. Alph. 2 plag. 7.

INter emortuas locum habet familia Nobilium Dominorum de Pleſſe, cujus deſcriptionem jam contexuit Celeberrimus Meierus. Uſus eſt inter alia adminiculorum genera tum *Genealogia Schwanringiorum & Nobilium de Pleſſe*, quam vernaculo idiomate Mülhuſii 1587, 4 edidit notus hiſtoricus Jo. Leznerus: tum alio & prolixore manuſcripto ejusdem, quo in ejus familiæ origines ſtudioſe ſatis inquiſivit. Laudatur in præfatione Lezneri in hiſtoriis contexendis induſtria, vindicatur fama a malevolorum quorundam cenſuris, & plenus Scriptorum ab eodem editorum Catalogus exhibetur. Illi vero jam dicti labores Lezneriani ſecundum & tertium noſtri operis librum conſtituunt, quibus Autor noſter ſupplementa addidit, primum vero totum a ſe profectum præfixit. Operoſus eſt ſub initium primi libri in deducendis Germanorum, Cap. 1. Nobilium præcipue, cognominibus, quorum ille novem fontes nobis aperit, ſingulas quoque ex aliorum gentium, Romanorum inprimis, conſuetudine comprobans. Quidam enim 1 ab integris *regionibus* accepere cognomen, alii 2 ab *urbibus* & *caſtellis*, in quibus domicilium ſibi conſtituerant, 3 *prænominibus* item primorum avorum, 4 *officiis*, 5 *fluminibus*, *rivis* & *lacubus*, 6 *armis*, 7 *facto aliquo ſingulari & memorando*, 8 *corporis & membrorum conſtitutione*; alii denique 9 *animi affectionibus* cognomina ſua debent. Noſtri 2. ergo Pleſſii a *Pleſſenſi monte* nomen ſuum deducunt, in quo arcem cognominem ſequenti tempore conſtruxerunt. *Schwanringiorum* vero cognomen iisdem Pleſſiis additum eſt ideo, quia in armis binas cygnorum alas cum aliquot annulis olim oſtenderunt. Neque 3.

Digitized by Google

ignotum eſt hoc Pleſſiorum cognomen aliis regionibus. Magnam quippe eorum ſegetem nobis exhibet Gallia, in qua occurrunt familiæ, *du Pleſſis Richelieu*, *Liencourt*, *Praslin*, *Morvan*, *Rosmadec*, *Mournay*, *Clerembaut* &c. Pleſii quoque fuerunt in Cypro & Anglia, Sileſia, Dania, Holſatia, terris Meclenburgicis &c. Sitæ vero ſunt Pleſſiorum terræ in Gœttingenſi diſtrictu ad Haſſorum & Brunſuicenſium fines. Quapropter aliquoties inter Haſſiæ Landgravios & Brunſuicenſes Duces de ſuperioritate territoriali ortæ ſunt lites, quæ vero ſemper ita ſunt ſopitæ, ut penes Haſſos earum terrarum manſerit poſſeſſio.

Cap. 4. Sequuntur inde Libri duo poſtremi, in iisque conjunctus Lezneri pariter & Meieri noſtri labor, qui in eo conſiſtit, ut origines, incrementa & ſeries totius familiæ Pleſſenſis accurate deſcribantur. Quæ omnia, cum ad Genealogias præcipue ſpectent, a nobis evolvi non poſſunt, paucis ergo originem ſaltem hujus familiæ narrabimus. Scilicet eo tempore, quo Bonifacius Germanorum, & in his Thuringorum præcipue, Apoſtolus tertium inviſebat Romam, comitem ſecum itineris & reditus habuit militem Germanum *Baldewinum de Schwanringen*, qui ex eo itinere redux fidem & animum Carolo M. Imperatori, Brunsbergam Saxonum fortalitium obſidenti, adeo probavit, ut militem eum crearet, quod inſigne admodum eo tempore fortitudinis erat præmium. Quo facto ille, ſacris quippe Chriſtianis initiatus, Dasſelenſibus ſe Comitibus adjunxit, qui in eo verſabantur, ut cives ſuos ad Chriſtianam religionem adducerent. In quo ipſo negotio fidelem ſe ipſis adjutorem præſtitit, eaque re cavit, ne ipſorum regiones ob gentilismum, Carolo M. perquam exoſum, diriperentur. Interea vero moritur Daſſelenſium Comitum Vaſallus *Bardo de Hakkelheim*, cujus bona ad ipſos ſpectantia jam dicto *Baldevvino*, ut gratiam ipſi pro auxilio exhibito referrent, donarunt. Quum vero filiis ejus cum vicinis Beverſteiniis crebræ lites intercederent, neceſſitate adducti de tuto loco circumſpiciebant, ne ſubinde ab hoſtibus impune laceſſerentur. Talem vero in *monte Pleſſenſi* offendentes, caſtello ei cognomine ibidem conſtructo, ſucceſſu quoque temporis idem cognomen aſſumſerunt.

Fuerunt

Fuerunt vero Nobiles noſtri Pleſſii Sacro Rom. Imperio a cuſtodia ignis & januarum, des H. Röm. Reichs Erb-Feuer-Herrn und Thürhüter. Prius officium in eo conſiſtebat, ut in Imperiali palatio noctes atque dies ignis curam gererent, ſeduloque providerent, ne quid inde detrimenti caperetur. Eaque ipſa de cauſa in armis ipſorum comparebant duo chalybes igniarii rubei tribus ſulphureis funiculis colligati, (2 rothe Feuer-Eiſen/mit 3 Schwefel-Faden zuſammen gebunden.) Absorptum tamen eſt hoc officii genus janitorum dignitate, quam exſtincta ipſorum familia hodie poſſident Wertheri Nobiles Thuringi. Notatu & illud dignum occurrit, quod vaſalli Pleſſiorum Nobiles de *Parnhofen* ipſis quotannis in recognitionem feudi exhibuerint par rubeorum femoralium cum duodecim ejuſdem coloris ligaminibus, ein paar rother Wandhoſen / mit 12 rothen Senckeln / id quod teſtantur litteræ receptionis A. 1136 datæ. Ultimus tandem ex hac familia fuit Ditericus VI, qui A. 1571 d. 22 Maji improlis deceſſit, quo facto Haſſiaci omnes iſtius terras ditioni ſuæ ſubjecerunt.

Pag. 145.

184.

LAMBERTI BOS ELLIPSES GRÆCÆ. Editio tertia, quam additionibus & obſervationibus ſuis, ut & neceſſariis indicibus locupletavit CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſt. Martini, 1713, 12.

Plag. 21.

QUi Græcas litteras docent, id ſibi inter alia incumbere vident, ut, quæ ad intimiorem ejus linguæ cognitionem ſpectant, auditoribus ſuis quam ſolidiſſime demonſtrent. Quum vero hac in parte magna occurrat grammaticarum regularum multitudo, jam a pluribus obſervatum eſt, non adeo ſolido eas ubique niti fundamento. Recurſum ergo eſt ad ellipſin, quæ Græcis præcipue frequens eſt, in qua re egregium quid præſtitit Vir celeberrimus Lambertus Bos, in Academia Franequerana Græcarum litterarum Profeſſor. Hic edito 1702 *Myſterio Ellipſeos Græcæ*, cujus ſecunda editio nuper a nobis Tomo V Supplem. Sect. X, p. 456 recenſita eſt, optime de Græca lingua meritus eſt, cujus etiam obſervationes magni ex merito a viris doctis fiunt. Quod ipſum in cauſa eſt, cur in his noſtris oris libellum hunc denuo edi curaverit noſter Schoettgenius.

Digitized by Google

genius, nimirum ut ſtudioſæ juventuti notior fieret, & ad faciliorem pariter & accuratiorem Græcæ linguæ ſcientiam faceret. Uſus eſt ergo editione ſecunda, cui obſervationes ſingulis paginis ſubjecit, ut oculis legentium ſtatim apparere poſſint. In iis vero ita ſe geſſit, ut tum profanos, tum ſacros, & præcipue novi fœderis, libros ex ellipſi explicaret & illuſtraret. Quidam acceſſere plane novi tituli, quædam vero obſervationibus Autoris adjiciuntur.

Ex profanis pauca libabimus. Nota eſt phraſis Arriani ἐντὸς
Pag. 29. βέλους εἶναι, *intra teli eſſe*, ubi Noſter vocem βολῆς ſubintelligit,
55. quam ex Latinis ſupplet Curtius. Vox αἴρειν de quocunque itinere accipitur, pluries tamen de marino, hinc eſt, quod ipſe Autor p. 9 vocem ἀγκύρας ſubintelligat. Editor vero obſervat, idem vocabulum de terreſtri quoque itinere adhiberi, adeoque melius eſſe ejusmodi vocem ſupplere, quæ utrique itineri poſſit accommoda-
91, 367. ri, qualis eſt δρόμος, *curſus*. Verbum πάσχειν ſæpe ſolum ponitur, &
372. notat vel *beneficium accipere*, & tunc ſubaudiendum εὖ, ἀγαθὸν, vel καλῶς: vel *mala pati*, ubi ſubintelligendum relinquitur κα-
168. κὸν vel κακῶς. Ἐν τούτοις εἶναι, notat *hac vel illa re occupatum eſſe*, ubi omittitur vox πράγμασι, quod etiam occurrit, 1 Timoth. IV, 15. Ad ſacra autem potius convertimur, quibus potiſſimum animum adjecit noſter Editor, adeo, ut quædam etiam addiderit, quæ alias in Græca lingua quidem non obſervantur, in N. autem T. occurrunt, *qui liber*, ut ipſius verbis utamur, *inter omnes*
100. *Græcos alios eſt præſtantisſimus*. Exemplum tale occurrit in voce κωλυτὸν, *prohibitum*, quam ille adjecit, ut loca Matth. XV, 5, Marc. VII, 11 explicare poſſet. Varie torſerunt ea loca interpretes, quæ tamen optime ex juſto fonte, hoc eſt, Judaicis antiquitatibus illuſtrantur. Adducitur autem locus ex tractatu Talmudico Avoda ſacra, ex quo conſtat aliquam vocem eſſe addendam, nempe אסור *prohibitum eſt*: adeoque locus cum Edzardo ſic erit vertendus: *Si quis dixerit patri vel matri ſuæ: Res ſacrata eſt ex qua a me juvari potuiſti*: (h. e. vovi te nulla re a me poſſe juvari) *ergo nec licebit mihi res Deo ſemel ſacratas aliis & profanis uſibus impendere*. Sic de particula ὅς mo-
147. netur, eam in pluribus N. T. locis deſiderari, ac proinde ab iis, qui id Hebraismi genus, unde ejusmodi conſtructio dimanavit, ignorant, fruſtra ſolœcismos in eodem ſtatui. Tentatur ſimul locus

Apoc.

Apoc. I,4-6,qui aliquot hujus ellipſeos exempla nobis offert. De Pag. 218.
voce *πλȣ̃τος* obſervatur, quod ea ſæpenumero, in ſcriptis præcipue Paulinis, ſubaudiendam relinquat vocem *χάριτος*, e. g. Epheſ. III,8.*εὐαγγελίσασθαι τὸν ἀνεξιχνίαστον πλȣ̃τον τȣ̃ χριστȣ̃*,Rom.XI,33 *ὦ βάθος πλȣ́τȣ* &c. Suppletur autem per vocem *χάριτος*. Epheſ. 1
7,II,7, & *χρηστότητος*, Roman. II,4. Multum quoque ponderis ha- 340.
bet illa obſervatio, quæ de omiſſa particula *κατὰ* occurrit, quæ vertenda per *quod attinet ad.* Ita 1 Corinth. X,16. *τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, ad panem, quem frangimus, quod attinet, nonne eſt communio corporis Chriſti?* ſic *τὰ νῦν*, pro *κατὰ τὰ νῦν ἔχοντα πράγματα*, 343.
prout ſe res jam habent. Idem ex Hebraismi imitatione, qui caſus 344.
nominum non flectunt, adhæſit nominativis. 1 Joann.II, 27, *καὶ ὑμεῖς. Ad vos vero quod ſpectat, unguentum, quod a Deo accepiſtis,*
in vobis manet. Ex eodem fonte explicatur illud *τὴν ἀρχὴν* Joann. 345.
VIII, 25 per *κατὰ τὴν ἀρχὴν, quod ad hoc attinet, quod in tota re eſt*
primarium, h. e. *plane, omnino.* Tandem quoq; plurium vocum el- 390.
lipſis occurrit in phraſi *ἀλλ᾽ ἵνα*, ſæpe apud Joannem Evangeliſtam & Apoſtolum, cujus rei exempla in ipſo libello poſſunt evolvi.

Ceterum adjecti ſunt ſub finem præter ellipſeon indicem, qui hactenus additus fuit, duo præterea indices, quorum prior in ſacræ Scripturæ, alter vero aliorum auctorum locis evolvendis operam Lectori non inutilem præſtabit.

JO. CHRISTIANI LANGII, PROF. PHILOſophi Ord. in Academia Giſſena, Nucleus Logicæ Weiſianæ.

Giſſæ Haſſorum, ſumtibus Henningi Mulleri, 1712, 8.
Alph. 2 plag. 9.

LOgicam Peripatetico-Scholaſticam hodierni Philoſophi trium potiſſimum vitiorum ream agunt. Primum enim deeſſe ei ajunt multa neceſſaria: deinde in ea tradi ſubtiliter quidem multa, ſed quæ vel exigui, vel nullius uſus: tandem plane falſa ibi doceri, ut, veritatem eſſe externum Logicæ finem, ſyllogiſmum eſſe inſtrumentum inveniendæ veritatis, & id genus complura. Cl. Langius vero Logicæ illius ſuſcepto patrocinio criminationes haſce refellere conatur in Præfatione. Edidit nimirum hoc in opere Chriſtiani

Wei-

Weiſii, Rectoris quondam Gymnaſii Zittavienſis clariſſimi, Nucleum Logicum ſive compendium Logicæ Scholaſticæ, ſed additamentis interpolationum textualium & formularum Germanicarum, maxime vero Annotationum ita auctum & illuſtratum, ut, prout titulus libri loquitur, *vera hic & ſolida Logica Peripatetico-Scholaſtica purioris fundamenta detegantur, & ratione mathematica per varias ſchematicas præfigurationes ad ocularem evidentiam deducta proponantur.* Enimvero Weiſius non quidem ſubtilis fuit Philoſophus, attamen Philoſophiam ſuo tempore regnantem concinniori ordine & magna perſpicuitate tradere ſuis diſcipulis valebat. Hoc modo Scholaſticorum nugæ tricæque manebant quidem nugæ tricæque, ſed minus tædioſæ,& quaſi ſeſamo ac papavere ſparſæ. Noſtrum ſane ſæculum immortales ſupremo veritatis fonti debet gratias, quod clarior lux nobis affulſit, & Logica, quæ olim erat infans, magnorum virorum ope hodie robur nacta eſt virile. Ac licet proinde non opus ſit ad glandes redire poſt inventas fruges, tamen Cl. Langio venia danda eſt, vel etiam laus ob ſuſceptum hunc laborem impertienda, idque duabus de cauſis. Nam & gratificandum duxit Gymnaſii cujusdam Ephoro, a quo ad campum hunc Scholaſticum decurrendum excitatum ſe eſſe ſcribit, & Weiſii, præceptoris quondam ſui, honori grato animo conſulere voluit. Quare non eſt, cur apponendis aliquot ferculis Scholaſticis Lectoris palatum experiamur. Sufficiat dixiſſe, eum Logicæ Peripatetico-Scholaſticæ doctrinas uberius expoſuiſſe, operoſe confirmaſſe & illuſtraſſe. Sic verbi cauſa Cap. II p. 150-432 de ſolo ſyllogiſmo agit, figurasque ac modos ratiocinandi variis repræſentat modis. Recordamur hic, *Autorem artis cogitandi* P. III Cap. 3-12 de iisdem egiſſe, ac pariter mathematica ratione veritatem iſtarum doctrinarum demonſtraſſe. Sed veritatem dicimus,non utilitatem, multo minus neceſſitatem. Unde laudatus Anonymus prudenter capiti tertio p. 177 hoc præfixit monitum: *Caput hoc cum ſequentibus usq; ad duodecimum ex illis eſt, quæ in diſſertatione præliminari* (p. 38) *notata ſunt continere res ſubtiles & ad ſpeculationem neceſſarias, ad praxin vero parum utiles.* Idem de hujusmodi ſpeculationibus judicium eſt magni Verulamii, *lib. I de augm. ſcient.* p. 29, 30, 31 ſcribentis, Scholaſticos *ex non magno materia*

Digitized by Google

teria ſtamine, ſed maxima ſpiritus, quaſi radii, agitatione, operoſiſſimas illas telas, quæ in libris eorum exſtant, confeciſſe, peperiſſeque aranearum inſtar telas quaſdam doctrinæ, tenuitate fili operisque admirabiles, ſed ad uſum frivolas & inanes &c. Ceterum cum Weiſius more recentiorum quorundam etiam Artem interpretandi in ſuam Logicam retulerit, Cl. Langius recte utique judicare videtur, cum p. 574 & 785 arbitratur, hanc doctrinam proprie non ſpectare ad Logicam, ſed ad Criticam ſive philoſophiam ſermonalem, uti loquitur. Etiam Cl. Clericus Arti ſuæ Criticæ Hermeneuticam inſeruit, eadem haud dubie inductus ratione. Quod autem Noſter in Præfatione, & p. 574, item p. 834 judicat, Logicam officio ſuo ſatisfacere, ſi modo nos doceat recte ratiocinari, id eſt, ſyllogiſmum facere, id aliorum judicio permittimus. Quanquam experientia nobis conſtat, ne plebejos quidem homines facile falſo ratiocinari, id eſt, ſyllogiſmum in forma malum facere, ſed plerumque in materia, ut loquamur cum Scholaſticis, peccare, ſive præmiſſis inniti: Quæ cum oriantur a præjudicatis falſis opinionibus, hæ omnino in Logica & indicandæ videntur & refellendæ.

THE SATIRES AND EPISTLES OF Horace.

i. e.

SATYRÆ ET EPISTOLÆ HORATII IN Anglicanam linguam converſæ cum notis; Editio ſecunda emendatior, cui acceſſit liber de arte Poetica, Autore S. DUNSTERO, Seren. Duci Salopienſi a Sacris Domeſt.

Londini, apud D. Browne, 1712, 8.
Alph. 1 plag. 8.

HOratii in Anglia interpretibus, Hawkino, Ridero, Oldhamo atque aliis, ſi qui ſunt, novus acceſſit Cl. Dunſterus, tanti utique ratus principem Poetarum eſſe, in quo in vernaculam, ut ab rudioribus etiam poſſit intelligi, accurate convertendo iterata hominum doctorum diligentia deſudet. Atque illi quidem non Interpretum tantum, verum & Poetarum ſimul anniſi ſunt partes gerere,

Digitized by Google

rere, abſtruſa carmina in verſuum denuo anguſtias compingentes, quaſi vel parum eſſet in difficillimo Autore uno interpretandi officio rite defungi, vel ſub ſervitute metri nata Horatii ſenſa nefas eſſet vindicari libertati ſuæ ac ſoluta oratione exprimi. Equidem certum eſt, ſententiam ipſam, perinde ac verba Poetarum nonnihil præ ſe ferre inſoliti, unde in communem illi ſermonem transferri ſine omni incommodo nequeant. Lyrica certe Horatii alienum, ſi quo comparent, habitum nimis aperte produnt, qua in re ipſa Cl. Dacerii verſio, cui ceteroqui elegantiæ ſummæ laudem nemo reddiderit dubiam, luculento eſſe teſtimonio poteſt. Sed hæc interpretandi ratio tamen nemini non multo probabitur facilius, quam illa virorum doctorum, ubi id ſine hæſitatione ſibi indulgent, ut nunc addant, nunc demant aliquid autoribus ſuis, prout metri rhythmive ratio poſtulaverit. Noſter hanc illis integram relinquit gloriam, maxime cum in ejus generis carminibus ſe ponere operam ſuam intelligeret, quæ Sermoni propiora ipſe Horatius fatetur, quæq; adeo numero exuta poetico lectorum aures minus offendunt. Tanto vero majorem adhibuit diligentiam, ubique ut ſibi quam ſimillimum redderet Poetam atque omnia ejus lineamenta ut ſollicite effingeret, quo quidem in negotio linguæ Anglicanæ Veneres & Gratias ſibi minime adverſas ſenſit. Ceterum nec Paraphraſin dedit, quæ liberius divagando ab ſententia auctoris longius, quam par eſt, recedat, nec verba nimis religioſe conſectatus eſt, id quod obſcuros, inſulſos atque exſangues reddit interpretes, atque a lectione optimorum Scriptorum ignaros linguæ, qua utuntur, deterret. Mediam ille viam ingreſſus autoris cogitata ſemper habuit ob oculos & uniuscujusque adeo Satyræ Epiſtolæve genium nova opera inveſtigavit, ut ejus in vertendo rationem habere poſſet. Quanquam ea diligentia non impedivit, quo minus licere ſibi exiſtimarit, quæ obſcœna & ſubturpia Horatius admiſcuit, ut prætermitteret, pudori plus dandum ratus, quam elegantiæ carminum, quæ utique hoc pacto nonnihil imminuitur. Equidem poterat hic doctiſſimi Dacerii conſilium ſequi Cl. Dunſterus & locis, quibus honeſtas offenditur, integumentum ambiguæ interpretationis arceſſere, qua ratione & integritas poematibus ſua conſtaret & ab impudentia Horatii, hominis Evangelii luce non colluſtrati,

ſtrati, nihil magnopere eſſet metuendum. Sed ſeverioris diſciplinæ ſtudioſior exiſtimat, ſententias illas impuras, quacunque exprimantur ratione, vitium trahere ſecum tantoque facilius illabi animis teneris, quanto cautius expreſſæ proponerentur. Ceterum textus, quem altera ex adverſo ſemper pagina exhibet, vulgaribus equidem editionibus conſonat in prioribus, mutatus tamen in melius eſt poſtea ex editione, quam clariſſimum illud litterarum ornamentum Bentlejus procuravit, ex qua & indicem lectionum cum vulgatis adhuc editionibus collatarum confecit Cl. Dunſterus & libro ſuo præmiſit. Subjectæ comparent hinc inde notulæ quædam, quæ ex Hiſtoria, Antiquitatibus & Geographia obſcurius dicta ſubinde uberius explanant.

HISTOIRE DE L' ANCIEN ET DU NOveau Teſtament. Premiere partie.

i. e.

HISTORIA VETERIS ET NOVI TESTAmenti; Autore EDMUNDO MACLOT, *Doct. Theol. Abbate Ord. Præmonſtr. Pars I.*

Nancii, apud Paulum Barbier, 1705, 8.

Alph. 2.

IN præfatione graviter conqueretur *Edmundus Maclot*, ordinis Præmonſtratenſis ſacerdos & Abbas, S. Codicis lectionem a maxima Chriſtianorum parte non tantum negligi, ſed publica etiam auctoritate prohiberi: aitque, videri ſibi dira Imperatorum, idolorum cultui deditorum, edicta, quibus legi divinam Scripturam vetuerunt, hodierno tempore in Eccleſia Romana renovata. Nec parum indignatur, libros profanos, quibus hominum mentes moresque corrumpuntur, cupide evolvi, illos autem ſperni negligique, in quibus divinior doctrina, ad ſalutem conſequendam neceſſaria, contineatur. Ad repellendum hunc ſtuporem, homineſque ad diligentiorem Scripturæ S. lectionem excitandos, ſuo præire voluit exemplo, & pervolutatis die noctuque divinarum literarum monimentis hoc ſacræ hiſtoriæ compendium conſcri-

 pſit,

pſit, quo optimorum Interpretum veſtigiis inſiſtens, maxime autem veterum Doctorum ſcholiis uſus, permulta Scripturæ loca illuſtravit. Primæ huic parti, jam pridem editæ, qua Vet. Inſtrumenti hiſtoriam enarravit, præmiſit *quinque* Tabulas Chronologicas, quibus res a mundi exordio usque ad natum Chriſtum geſtas, & in totidem ætates digeſtas, Hebraicam computandi rationem ſe-

Pag. 6. quutus, incluſit. Primam igitur rerum ætatem, quam cum diluvio finivit, aggreſſus, mundum non æternum eſſe probat, & errores Paganorum, Manichæorum & Spinozæ refellit, atque obſervat,

8. Platonem, Scripturæ S. lectione adjutum, hos ſcopulos evitaſſe. Lunam corpus opacum & lumine caſſum eſſe negat. Affirmari enim a Spiritu S. cujus deciſio omnium Aſtrologorum ſuffragiis præferenda ſit, Solem & Lunam corpora eſſe luminoſa, nec aliter a ſe invicem differre, niſi ut majus & minus. Idem de reliquis ſtellis errantibus pronunciandum eſſe cenſet. Sed vim vocis Hebrææ minus recte intellexiſſe videtur Rev. Autor. Moſes enim non de interna eorum ſiderum conſtitutione, & natura loquitur, ſed de uſu, dicitque מאורנת *lampades*, toti humano generi uſum præbentes.

38. Arborem, Protoplaſtis vetitam, ficum fuiſſe conjicit, cujus foliis poſtea, cognita corporis nuditate, texerint pudenda. Utrum Geneſ. III, 15 legendum ſit *ipſum*, aut *ipſa conteret caput tuum*, non au-

40. det definire. Certum tamen eſſe putat, verba illa ad Chriſtum, ex Eva & Maria naſcendum, referenda eſſe. Evæ titulo, quo omnium

41. viventium mater appellatur, Præadamitarum errorem refelli, & inſaniam Stoicorum, qui hominesfungorum ad inſtar e terræ ſinu

42. progenitos eſſe delirarint, compeſci poſſe opinatur. Deum cum in mactandis excoriandisque animalibus, tum in veſtimentis ex eorum pellibus conficendis, Angelorum miniſterio uſum eſſe: Ada-

43. mum & Evam in Paradiſo virginitatem ſervaſſe, atque ſi perſtitiſſent in ſtatu integritatis, ſine ardoris illecebroſo ſtimulo ſalva integritate feminei genitalis, genituros fuiſſe ſuſpicatur. Hoc *Auguſtini*, illud *Hieronymi* confirmat auctoritate. Caini munus animo

45. invido datum, Deo diſplicuiſſe: placuiſſe autem Abelis ſacrificium, animo charitatis pleno oblatum. Sed Apoſtolus teſtatur Hebr. XI, 4, Habelem πίστει fide, Meſſiæ merito innixa, ſine qua nemo placere Deo poteſt v. 6, præſtantiorem victimam obtuliſſe, quam Cai-

num.

Digitized by Google

num. Quod Deus ſigno quodam viſibili declaravit, igne nimirum ἐρανοπετεῖ, quo Moſis tempore, & poſtea etiam ſtante Templo, ſacrificia perſæpe fuerunt conſumpta. Qua occaſione B. *Lutherum* accuſat, & reprehendit, qui ejusmodi ἐμπυρισμὸν, Judæorum perinde ac Chriſtianorum traditione munitum, riſerit petulanter exploſeritque. Idem impudentiſſimum *Cornelii a Lapide* mendacium fuit, a *Jo. Henrico Heideggero* in Hiſtoria S. Patriarcharum Part. I p. 184 profligatum. Nam Megalander noſter in Commentario ad Geneſ. IV, 3 idem diſerte affirmavit: *Etſi Moſes illud ſignum, quo Deus oſtendit ſibi Abel munera grata eſſe, non oſtendit; tamen veriſimile eſt, fuiſſe ignem cælo demiſſum, quo oblatio hauſta, & conſumpta in oculis omnium.* Signum Caino fratricidæ datum de conſcientiæ tormentis, e vultu cognoſcendis, & tremore corporis exponit. Ex artium inventione infert, mundum non eſſe æternum. Secundam ætatem a fine diluvii orditur, & in promiſſione Meſſiæ, facta Abrahamo, figit. Poſt diluvium demum Deum indulſiſſe cenſet eſum carnis, ad impediendam animalium adorationem. Summam enim inſaniam eſſe, ſecundum *Theodoretum*, adorare, quod comeditur. Nimrodum, venatione & interfectione belluarum, quæ terras infeſtabant, audaciorem factum, homines ſubjugaſſe ſuſpicatur. Tertiam mundi ætatem ab Abrahamo usque ad Davidis unctionem duxit. Melchiſedecum, quem pro Rege Cananæo, vero Dei cultui addicto, habet, Abrahamo victori panem & vinum obtuliſſe dicit, in ſacrificium pacificum, quod figura fuerit ſacrificii miſſæ, non in militum cibum & potum. *Azazel* nomen hirci emiſſarii eſſe putat compoſitum ex עז *hircus* & אזל *abiit*. At vero ſi textum Levit. XVI, 8 recte inſpicimus, deprehendimus facile, Azazel non eſſe nomen hirci: *Et dabit Aaron ſuper duobus hircis ſortes, ſortem unam* ליהוה *Jehova*, & alteram ſortem לעזאזל *Azazeli.* Nam *Lamed* Jehovæ & Azazeli præfixum eundem arguit caſum. Sin autem contendas, לעזאזל de hirco emiſſario accipi debere, neceſſe eſt, ut ſimul admittas priorem hircum, qui mactandus erat, יהוה fuiſſe dictum, quod impium eſſet & blasphemum. *Vid. D. Sal. Deylingii Obſerv. Sacr. P. I p. 50.* Vaticinium Balaami de ſtella e Jacob oritura Num. XXIV, 17, quod Judæi de Davide interpretantur, ad Meſſiam pertinere docet, quia in textu memo-

Pag. 45. 46. 48. 51, 52. 72. 86. 101. 125. 275.

ratur, illam ſtellam vel ſceptrum contriturum omnes filios Sethi, hoc eſt, omnes homines. De Setho enim Noam eſſe natum, & ex Noa prodiiſſe omnes homines, qui poſt diluvium exſtiterunt, & non Davidi, ſed Chriſto, ejusque Evangelio, colla ſubmiſerunt.

Pag. 280, 281. Moſi integrum Pentateuchum vindicat. De duobus libris, quibus

341, 342. Samuelis nomen præfixum eſt, ſentit, XXIV duntaxat capita prioris libri Samueli, tanquam autori, ſi excipias 1 Sam. V, 5, VI, 18, IX, 9, adſcribi poſſe. Reliqua forte a diſcipulis ejus Gad & Nathan addita eſſe. Quarta mundi ætate res ſub Regibus usque ad captivitatem Babylonicam geſtæ continentur. Quinta & ultima cum adventu Chriſti finit hiſtoriam Vet. Teſtamenti, ſeu primam Operis partem, quam excipit altera nuper admodum excuſa, de qua nunc dicemus.

HISTOIRE DU NOUVEAU TESTAMENT, OU du Sixieme age du monde.

i. e.

HISTORIA NOVI TESTAMENTI SEU SEXtæ mundi ætatis; Autore EDMUNDO MACLOT, *D. Theol. & Abb. Ord. Præmonſtr.*

Pariſiis, apud Nicolaum Pepie, 1712, 8.

Alph. 2 plag. 3.

Hiſtoriam Vet. Teſt. quinque mundi ætatibus comprehenſam, quam modo recenſuimus, excipit Hiſtoria Novi Inſtrumenti, quod veterum vaticiniorum figurarumque complementum eſt, comprehendens ſextam mundi ætatem, quam novo hoc volumine doctiſſimus Autor eleganter deſcripſit. In Præfatione vindicat Apoſtolorum fidem & autoritatem contra Judæos, notatque, Novi Teſtamenti nomen proprie & accurate loquendo non niſi *quatuor* Evangeliorum voluminibus convenire. In his enim genuinas tabulas ultimæ voluntatis Jeſu Chriſti & Acta avthentica legati, quod de bonis cœleſtibus deſtinavit initiatis & credentibus, contineri. Hic etiam deſcriptam inveniri teſtatoris mortem, quæ requiſitum Teſtamenti eſſentiale, ejusque quaſi ſigillum eſt, Hebr, IX, 16. Inde colligit, veterem gratiæ œconomiam, proprie loquendo non Teſta-

Digitized by Google

Teſtamentum, quia Deus eſt immortalis, ſed fœdus duntaxat, & pactum eſſe, quale inter viventes iniri ſolet. Non intercedit tamen, quin Apoſtolorum ſcripta Novum Teſtamentum appellentur, quia ſupponunt & repetunt ultimam Servatoris voluntatem atque mortem, in Evangeliis, tanquam ſede propria, deſcriptam. Matthæum Hebræo eloquio & patrio ſermone, in gratiam Judæorum, Palæſtinam incolentium, Evangelium ſuum ſcripſiſſe, cum *Hieronymo* & *Auguſtino* affirmat, putatque, *Hieronymum* ejusdem Evangelii exemplar a Nazaræis Berœenſibus in Syria nactum, illud deſcripſiſſe. At vero, Evangelium illud, quod Stridonenſis Doctor a Berœenſibus Nazaræis accepit, & in Græcum ac Latinum ſermonem tranſtulit, non fuit idem illud Evangelium totidem verbis a Matthæo ſcriptum, ſed fuit Evangelium *κατὰ Ἑβραίυς, ſecundum Hebraos*, a Matthæi Evangelio omnino diverſum, quod *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. Teſt. Num. 42 & 65 accurate oſtendit. Ipſe enim *Hieronymus* præter *Epiphanium*, quos Autor noſter hic ſequitur, duo iſta Evangelia confudit. Divum *Lucam* Evangelium ſuum in Achaiæ Bœotiæque partibus publicaſſe, cum *Hieronymo* Autor noſter credit. Sed nos credere mallemus Syro interpreti, qui teſtatur, Lucam Evangelium ſuum ſcripſiſſe Alexandriæ, & ſecundum autorem *Conſtitutionum Apoſtol.* in Eccleſia Alexandrina, a Marco fundata, ad emendanda, quæ minus recte ſe habebant in Evangelio Ægyptiorum, ſupplendosque illius defectus, uti *Jo. Erneſtus Grabius* in Spicilegio Patrum ſeculi I, *Jo. Millio* applaudente, ſuſpicatus eſt. Lucam certe, Roma abeuntem, Lybiam petiiſſe, & apud Thebanos Evangelium prædicaſſe, *Oecumenius* memoriæ prodidit in Commentario ad Lucam. Fieri igitur potuit, ut *Hieronymus*, audiens forte, Lucam apud Thebanos prædicaſſe, non Thebas Ægyptias, ſed Thebas Bœoticas intelligeret, ſcriberetque, *in Achaia Bœotiaque partibus* hoc Evangelium conditum eſſe.

Præmiſſa Tabula Chronologica, in qua condenda receptas Romanæ Eccleſiæ ſententias ob oculos habuit, conſtanterque ſecutus eſt, ipſam Hiſtoriam, ſecundum temporum ſeriem deſcriptam, & in duas partes diviſam ſiſtit. Prima ab incarnatione Filii Dei ducta, in ejus evectione in cœlos finitur, & annos XXXIV complectitur. Altera, LXVIII annorum ſpatium complexa, usque ad Joannis mor-

Pag. 1,2. mortem excurrit,& res ab Apoſtolis geſtas enarrat. Sub initium de
6. incarnationis myſterio, profanis hominibus & gentilibus incognito, ejusque neceſſitate, & divinitate Chriſti agit. Diem XXV
40,41. Decembr. Chriſti natalem eſſe, probat teſtimonio & traditione Eccleſiæ Romanæ, quæ ex monimentis publicis & tabulis cenſuum hunc nativitatis diem facilius cognoſcere potuerit, quam Eccleſia Græca, ad quam illius diei cognitio & celebratio Chryſoſtomi demum ætate pervenit. Magos, Chriſtum adoraturos, neque e Chal-
44. dæa, neque e Perſia veniſſe putat, ſed ex Arabia felici, verſus orientem Judææ hybernam ſita, quæ Geneſ. XXV, 6 ארץ קדם *tractus*
67. *orientalis* vocetur. Joannis baptiſmum, & Chriſti, magis inter ſe differre ait quam aquam & ignem: illum fuiſſe ablutionem corpo-
70. ris, hunc autem purgationem animæ. Jejunium Quadrageſimale ipſos Apoſtolos inſtituiſſe putat, in memoriam jejunii Chriſti
83. Matth. IV. Quatuor duntaxat paſchata a Servatore poſt inaugura-
107. tionem celebrata eſſe, e Joanne notat. Dæmones Chriſtum non cognoviſſe niſi per conjecturas. Aquam piſcinæ *Betheſda* Joh. V
122. circa nativitatem Chriſti miram illam ſanandi virtutem accepiſſe conjicit in figuram, evanuiſſe autem cum morte Servatoris, fonte perenni ac ſalutari ex ejus vulneribus orto, ſecundum Zach. XIII, 1.
253. Ex verbis Luc. XII, 20 *animam tuam repetent a te* tria colligit, 1 animam homini in hac vita datam eſſe non in perpetuum, ſed ut depoſitum, aliquando ab eo repetendum, 2 animam poſt mortem
395. corporis ſubſiſtere, & 3 immortalem eſſe. Joannem, qui Cap. XIX, 14, *hora quaſi ſexta* Chriſtum cruci adfixum fuiſſe narrat, cum Marco Cap. XIV, v. 25, qui id *hora tertia* contigiſſe refert, ita conciliat, ut exiſtimandum ſit, Marcum ſub *hora tertia* totum illud temporis ſpatium inter tertiam horam & ſextam comprehenſum
404. intellexiſſe, nimirum *horam quaſi ſextam* Joannis. Chriſto ſitienti, & cruci adfixo acetum datum fuiſſe credit ex more ad reficiendos cruciarios. Veri autem multo ſit ſimilius, acetum illud, quod vini loco habebatur, a militibus allatum fuiſſe, non ut Chriſto & latronibus potum darent de illo, ſed ut ipſi illud biberent, & potu hoc militari ſitim explerent. Miles igitur ludibundus Servatori, de ſiti querenti, acetum porrexit, ut cruciato illuderet, tanquam vano
514. Regi, cui vini loco bibenda foret poſca. Petri adventum in urbem

Romam

Digitized by Google

Romam ad quintum annum Claudii refert, aitque priorem Epiſto- Pag. 515.
lam inde ſcripſiſſe,& Romam figurate appellaſſe Babylonem. The-
rapeutas,a *Philone* in Libro de *Vita Contemplativa* commemoratos, 523.
Chriſtianos fuiſſe tradit, ſed ex Judæis oriundos, & ceremoniis Ju-
daicis magna ex parte adhuc adhærentes. Ad Act. XIII, 2 notat, λει- 524.
τουργεῖν equidem generatim nil aliud ſignificare, quam *publice mini-
ſtrare* & λειτουργίαν *miniſterium publicum*: ſed de cultu divino uſur-
patum junctumque τῷ Κυρίῳ denotare illud ſacrificium miſſæ. Ja-
cobum Cap. II v. 21 cum Paulo Rom. IV, 2, qui Abrahamum ex ope- 683.
ribus juſtificatum fuiſſe negat, conciliaturus, dicit, Paulum loqui
de operibus legis, Jacobum autem de operibus fidei charitate ani-
matæ. Plura non damus ſpecimina. Pleraque enim vulgaria ſunt,
obſoleta, & Romanis placitis accommodata.

HISTORIA DICTI JOANNEI DE SANCTIS-ſima Trinitate 1. Joan. V,7; Autore D. FRIDERICO ERNESTO KETTNERO.

Francof. & Lipſiæ, impenſis Theod. Phil. Calviſii, 1713, 4.
Alph. 1 plag. 8.

Litem inter Theologos Criticosque recentiori ævo de dicto 1 Joann. V, 7 agitatam, præſenti libro componere annititur Autor Max. Rev. Notum quippe eſt, verſum illum ſeptimum (interdum etiam octavum) in verſionibus aliquot, & in MSS. codicibus plurimis deſiderari. Quare diſquirendum fuit, utrum iſta verba Joanneæ epiſtolæ ſint inſerta ab aliena manu, an a Joanne ſcripta vel librariorum incuria vel aliorum malitia ſint expuncta. Ac ſane res illa ut facilius decidi queat, hujus epiſtolæ ſcopus non perfunctorie conſiderandus eſt. Propoſitum autem fuit ſanctiſſimo Apoſtolo in tota hac epiſtola,& maxime Cap. V,docere,Jeſum eſſe verum Meſſiam:quæ doctrina eo tempore acerrime impugnabatur. Theſin hanc ipſam diſerte proponit Joannes v. 5, eamque probat v. 6 ex eo,quod in baptiſmo Chriſti Pater cœleſtis ei clara voce teſtimonium perhibuerit, idque v. 9 repetit: deinde ex paſſione Chriſti, qui ſanguinis ſui effuſione, ſacrificium quippe pro nobis factus, confirmarit, ſe eſſe Meſſiam: unde Apocal. I, 5 vocatur *martyr*. Addit Joannes,

Digitized by Google

Spiritum S. in fidelibus hanc veritatem obſignare. Conf. 1 Joann. II, 27. Pergit v. 9, cum hominum fide dignorum teſtimoniis credatur, multo magis Deo fidem habendam eſſe, diſerte de Jeſu teſtato, quod ſit Chriſtus ſive Meſſias. Hanc verborum connexionem intuenti videri poſſit verſus 7 & 8 commodiſſime omitti, immo ne commode quidem admitti poſſe: cujus rei rationes alias, quarum non poſtremam ſuppeditat ſilentium Patrum Anti-Arianorum, prætermittimus. Sed alia in ſententia eſt Cl. Kettnerus, qui jam A. 1696 Vindicias hujus dicti edidit, a nobis A. 1697 p. 191 recenſitas, iisque A. 1702 ſupplementa quædam adjecit. Ex illo vero tempore Millianam nactus N. T. editionem, perluſtratis quoque bibliothecis aliquot illuſtribus, plura ad hoc argumentum uberius elucidandum facientia obſervat. Quare operæ pretium ſe facturum credidit, ſi novam formam ſcripto ſuo indueret, idque denuo publici juris faceret. Poſtquam igitur *Cap. I* generatim diſſeruit de præſtantia primæ Joannis epiſtolæ, deque tempore, quo ſcripta videatur, *Cap. II* allatis argumentis contendit, in avtographo Joannis omnino hoc dictum exſtitiſſe. Nam 1 inquit, hoc dictum continet veritatem, alibi quoque in S. Codice traditam: 2 concordat cum reliquis ſcriptis Joannis, itemque 3 cum ipſius loci antecedentibus & conſequentibus: 4 Tertullianus atque Cyprianus hoc dictum diſertis citarunt verbis: (fateri tamen nobis neceſſe eſt, Tertulliani locum minus perſpicuum eſſe ad id probandum: Cyprianum autem niti videri illo ipſo Tertulliani, quem magiſtrum ſuum vocitabat, loco minus recte intellecto) 5 hoc dictum inſita virtute de divina ſua origine clariſſime teſtatur: 6 ſæculis quatuor prioribus nulla de quæſtione acrius diſputatum fuit, quam de ea, *an tres ſint unum*: 7 ethnici ſæculo II & III hoc Joannis dictum, tanquam principiis arithmeticæ adverſum, irriſerunt: 8) DEUS confeſſores hujus dicti ſæculo V miraculo beavit, ut ſine linguis Trinitatem loquerentur. *Cap. III* diſquirit, quis hoc dictum ex S. Scriptura ſuſtulerit. Id vero difficile definitu eſſe fatetur, cum multa veterum monimenta perierint: ac proinde tantum conjecturas doctorum virorum affert, quorum alii putarunt manum huic loco intuliſſe (ut cum Tertulliano lib. de præſcript. Cap. 38 loquamur,) Ebionæos, alii Valentinianos & Gnoſticos, alii Marcionitas & Manichæos, alii

Digitized by Google

alii Alogos, alii Artemonitas, alii Origeniſtas, alii Samoſatenianos, alii translatores infideles, alii librarios, alii Arianos, alii denique ipſos orthodoxos, hoc dictum ab Arianis inſertum eſſe ſuſpicatos. *Cap. IV* agit de variis cauſis & periodis omiſſi hujus dicti. Ubi tamen monet, ſe non afferre rationes infallibiles, ſed conjecturas ſolum veriſimiles. Ac ſeptem quidem periodos hujus dicti facit, 1) periodum dicti ſæculo II impugnati & expuncti: 2) periodum dicti a Sabellianis ſæc. II & III uſurpati: 3) periodum dicti a librariis orthodoxis propter Sabellianorum errorem omiſſi: 4) periodum dicti ex duobus verſibus in unum contracti tempore Auguſtini: 5) periodum dicti inſerti ſæculo V & VI: 6) periodum dicti denuo omiſſi ſæculo XVI: 7) periodum dicti reſtituti ſæculo XVI & XVII. Quæ ſingulatim explicat *Cap. V* & ſequentibus usque ad *XIV*. Imprimis *Caput XI* notandum, quo rationes eorum, quibus hoc dictum *νοθείας* ſuſpectum eſt, & proponit & refellit. Curioſe quoque *Cap. XIII & XIV* inquirit cauſas, cur hoc dictum ipſe Lutherus, & poſt mortem ejus Lutherani omiſerint. *Cap. XV* agit de cauſis, cur hoc dictum ſæculo XVI receptum fuerit in vernaculam verſionem: ubi & *Num. 28* recenſet ſcripta recentiorum de hoc dicto. *Cap. XVI* docet, hoc dictum ſub finem ſæculi XVI verſionibus Scripturæ S. Germanicis rurſus inſertum eſſe. *Cap. XVII* agitur de codicibus Græcis & Latinis, in quibus hoc dictum vel adeſt vel abeſt. Pariter *Cap. XVIII*, quod poſtremum eſt, editiones N. T. Græcas Latinasque recenſet, ante & poſt repurgatam religionem impreſſas, in quibus dictum hoc reperiatur. Addit etiam Germanicas Bibliorum Pag. 220. editiones, in quibus hocce dictum exſtet; ſubjuncto Indice diver- 224. ſarum hujus dicti explicationum.

DISSERTATIO HISTORICO-CANONICA de Epiſcopo Viſitatore; Autore FRANCISCO NICOLAI, Epiſcopo Caput-Aquenſi.

Romæ, excudebat Franciſcus Gonzaga, 1710, 4.

Plag. 13.

CUm in epiſtolis Gregorii M. crebra fiat mentio *Epiſcopi viſitatoris*, Reverendus Autor ex iis omnia loca congeſſit in *Caput I*, ſimul urbes, in adductis locis memoratas, ex media Geogra-

Pag. 3. phia illuſtrans, earumque ſedes & hodierna nomina indicans. Monet tamen, *viſitatores Epiſcopos* diſcernendos eſſe a *viſitatoribus*, in Concilio Sardicenſi & Chalcedonenſi memoratis, qui Græce dicebantur περιοδευταί. Hi quippe non erant Epiſcopi, ſed ad regendas parochias in vicis & pagis conſtituti: de quibus & Juſtellum egiſſe recordamur in Notis ad Codicem canonum eccleſiæ univerſæ p. 217 ſq. Ceterum cum eccleſiæ alicujus Epiſcopo ſuo orbatæ
7. ſqq. cura alias *Epiſcopo viſitatori*, alias *Epiſcopo cardinali* demandari ſolita ſit, Autor docte explicat poſteriorem titulum, docetque *cardinalem Epiſcopum* fuiſſe, cui præter ſuum Epiſcopatum alius quoque, morte epiſcopi vacans, ita fuerit ſubjectus, ut factus ſit duarum epiſcopus eccleſiarum: cum contra *Epiſcopi viſitatoris* munus tamdiu duntaxat durarit, donec novus eligeretur Epiſcopus. *Cap. II* oſtendit, morem olim viguiſſe in toto fere Occidente, ut Metropolitæ viſitatorem Epiſcopum (qui & eccleſiæ viduatæ *Commendator*, item *Conſolator*, *Interceſſor*, *Interventor*, dici ſuevit,) viduatis epiſcopalibus ſedibus deligerent, qui tempore vacationis ordinario jure exſequeretur demandata munia. Id probat primo de Italia, quæ duos habuerit Metropolitas, Epiſcopum Romanum & Mediolanenſem: deinde & de Gallia, ubi tamen illud munus interdum Chorepiſcopis demandatum fuiſſe obſervat: tum de Anglia, in qua Epiſcopum Roffenſem dictum fuiſſe Eccleſiæ Cantuarienſis *Viſitatorem natum*, id eſt, perpetuum, docet: denique de Germania, Hiſpania & Africa. *Cap. III* probat, electionem Epiſcopi novi factam eſſe cum aſſiſtentia viſitatoris epiſcopi eoque præſide. Qua occaſione ritus eligendi & conſtituendi epiſcopum, media ætate uſitatos, luculento ordine exponit, & ex antiquis formulis, a Sirmondo in fine Tomi II Conciliorum Galliæ editis, illuſtrat. Ipſa vero munera Epiſcopi viſitatoris deſcribit *Cap. IV*, quæ quinque fuiſſe oſtendit. Nimirum (1) funeri defuncti epiſcopi debebat aſſiſtere, (2) inventarium facere patrimonii ſive bonorum viduatæ eccleſiæ, (3) ad illorum cuſtodiam eligere œconomos ſive cuſtodes, (4) regimen aſſumere & viduatam eccleſiam viſitare, (5) denique electioni aſſiſtere eamque maturare. Quæ ſingula ex monimentis fide dignis demonſtrat uberius. Ceterum quo tempore mos iſte conſtituendi epiſcopum viſitatorem deſierit, certo definiri poſſe negat, credens,

hunc

hunc morem ſenſim exoleviſſe, ac tandem plane ceſſaſſe tunc, cum nominationibus regiis datus fuerit locus, idque paulo poſt tempora Gregorii VII, Pontificis. Eodem hoc capite Autor tollit difficultates quasdam, quas in hoc argumento objiciunt loca nonnulla ex priſcis monimentis adducta. *Poſtremo Capite*, quod quintum eſt, agit de poteſtate Rom. Pontificis in urbicarias provincias Italiæ, ad ipſum tanquam ſpecialem earum Metropolitam ſpectantes. Statuit enim cum Baronio, Eccleſiæ regimen olim conformatum eſſe regimini politico. Cum igitur Conſtantinus M. Italiam in duas partes diviſerit, quarum unius, Urbicariæ dictæ, Præſes ſedebat Romæ, alterius, quæ diœceſis Italica vocata, Præſes Mediolani; hinc & duos Metropolitas in Italiæ Eccleſiis ortos eſſe, Romanum & Mediolanenſem. Hic oſtendit diſcrimen inter diœceſin *ſuburbicariam*, quæ extendebetur ad centeſimum ab urbe lapidem per circuitum ejusdem undequaque productum, & *urbicariam*, quæ longe latius patebat. Scilicet Italiam Conſtantinus M. partitus eſt in XVII provincias, quarum decem adminiſtravit Vicarius Romanus, reliquas ſeptem Vicarius Mediolanenſis. Decem igitur illæ provinciæ, dictæ Urbicariæ, ex ſententia Autoris noſtri in eccleſiaſticis parebant Romano Epiſcopo, contra quam ſentit Salmaſius, a Sirmondo, Allatio & Schelſtratenio refutatus. Decem autem illæ provinciæ hæ ſunt: *1* Campania, *2* Tuſcia cum Umbria, *3* Piceni pars, *4* Sicilia, *5* Apulia cum Calabria, *6* Brutium cum Lucania, *7* Samnium, *8* Corſica, *9* Valeria, *10* Sardinia. Imo Noſter non veretur affirmare, jam inde a Petri Apoſtoli ejusdemque primi Romæ Epiſcopi tempore jurisdictionem eccleſiaſticam in Italia ſic fuiſſe diviſam inter Romanum & Mediolanenſem Metropolitam. Qua in re & perpetuæ traditionis fide, & quibusdam Euſebii locis nititur, Hoc facto probare aggreditur, illam jurisdictionis eccleſiaſticæ amplitudinem Rom. Pontificem ſemper habuiſſe poſt Conſtantini M. tempora. Coronidis loco exhibet Catalogum ſedium metropoliticarum & epiſcopalium in occidente.

Pag. 81.

89 ſqq.

ELOGIUM ZACHARIÆ GRAPII, Theologi.

SUmmis quondam eminuit virtutibus meritiſſimus in Academia Roſtochienſi Theologus, Zacharias Grapius, S. S. Theologiæ Doctor

Digitized by Google

Doctor & Profeſſor Publicus itemque Archi-Diaconus Jacobæus, qui ante paucos menſes maximo Eccleſiæ luctu deceſſit. Primam adſpexit lucem Roſtochii, A. 1671 d. 6 Octobr. Patre cognomine, Zacharia Grapio, Doctore & Profeſſore Theologo, primum ad D. Petri Paſtore, dein diſtrictus Meclenburgenſis Superintendente, Viro cum de Academia iſta, tum de Eccleſia præclariſſime merito: Matre Margaretha Rhawia, vidua nunc grandæva, & in inſperato hoc luctu vix animam trahente, quæ antea D. Johanni Friderico Kônigio, Theologo meritis & fama inclyto, nupta fuerat. Avus ei Paternus contigit Zacharias Grapius, Conſul Teterovienſis: Proavus Johannes Grapius, Paſtor Jonſtorpienſis: Avus maternus Balthaſar Rhaw, primum Profeſſor Theologus Gryphiswaldenſis, deinceps Superintendens Stralſundenſis: Proavus maternus ex una linea Auguſtinus Rhaw, Ictus & Profeſſor Gryphicus, Sereniſſimi Pomeraniæ ducis, Philippi Julii, Cancellarius: ex altera Bartholdus Krakewitzius, Eques Pomeranus & Theologus celeberrimus, Profeſſor quondam Gryphiswaldenſis primarius, Conſiſtorii Præſes, & totius Pomeraniæ & Rugiæ Superintendens generalis. Tantis majoribus ortus, a prima ſtatim infantia ad ſtudia Theologica eſt deſtinatus, &, quanquam octavo ætatis anno optimo Parente orbaretur, quæ cura matris fuerat, nequaquam eadem deglexit. Adoleſcens in diſciplinam traditus eſt Jacobi Giſſelmanni, Jacobi Burgmanni, Johannis Jordani, Johannis Kempfferi, Johannis Wendeckeri & Simonis Henningi; poſtmodum vero A. 1689, Rectore Johanne Feſtingio, civium Academicorum numero adſcriptus, atque in Exegeticis & Theologicis a Schomero, in Hebraicis, & exercitiis diſputatoriis ab Habichhorſtio, in Matheſi a Poltzio, & in Philoſophicis ab Henningio curatius eſt formatus. Sed alias inſuper ſalutare Academias, conſultum duxit: hinc ad Gryphicam A. 1690 ſe contulit, ibidemq; in ædes affinis ſui, D. Petri Maſcovii, Icti & Conſiſtorii Directoris, eſt receptus. Sedulum hic ſe ſtitit auditorem, tum in variis eruditionis partibus claris Philoſophis, Saalbachio, Colbergio, Maſcovio Filio, (cujus familiari converſationi multum ſe debere, faſſus eſt, quoque præſide, *de ſubſiſtentia ſpeciali* publice diſputavit) Weſtphalo, utriq; Gebhardo, & Philologo, & Mathematico, ac Pozernio; tum Theologis eruditionis, fama conſpicuis Rangoni, Henningio, & Daſſovio; ſub quorum manuductione ita per biennium

profe-

profecit, ut commendatione Schomeri, Maſcovii, & Kleinii in numerum alumnorum Schabbelianorum reciperetur. Roſtochium A. 1692 redux factus, Schomeri examini ſeſe ſubjecit, ſingulisque ſeptimanis ſtudiorum ipſi ſuorum rationem reddidit, & præterea ab Henningii, Lindemanni, Molleri, Fechtii, & Quiſtorpii ore in Philoſophicis, Theologicis & antiquariis lectionibus pependit. His inſtructus eruditionis ſuæ documentis, ſummis in Philoſophia honoribus in Academia Gryphica, Decano Saalbachio, eſt condecoratus, atque ſubactum in ſtudiis Theologicis ingenium, habita ſub D. Fechtii præſidio diſputatione *de æterna Meſſiæ generatione ex Pſal. II, 7*, oſtendit. Saxonicas ſalutaturus Academias, Lubecæ D. Auguſto Pfeiffero, B. Parentis olim Wittebergæ contubernali, cujus & admirabilem bibliothecam Rabbinicam præcipue luſtravit, innotuit. Berolini D. Spenerum, Wittebergæ D. Deutſchmannum, D. Lœſcherum, D. Hannekenium, D. Neumannum, Kirchmaierum, Daſſovium, Donatum, Rœhrenſeum, & Feuſtkingium, conjunctiſſimum quondam in maternis ædibus contubernalem, qui tunc hoſpitio eundem excepit, ſalutavit. In alma noſtra Lipſienſi ſummi Polyhiſtoris & Theologi, Thomæ Ittigii, convictu uſus, in Philologia Rechenbergium, in moralibus Menckenium, in Rabbinicis & Talmudicis Fridericum Albertum Chriſtiani, in Arabicis Groddekium, in exegeticis Carpzovium, in homileticis Seligmannum, in ceteris Mœbium, Alberti, Olearium, Cyprianum, Heshuſium, & Schmidium, feliciſſimos duces eſt ſectatus. Ex Bibl. quoque Ittigiana, Paulina, quæ Pfautzii, & Senatoria, quæ Grævii humanitate ipſi recluſa, librorum optimorum rariſſimorumque, doctrinæ item reconditioris apparatum hauſit non vulgarem. Imo publice docendo collegia Hebraica, Rabbinica, Metaphyſica, moralia, artemq; diſputandi, quin & ipſam Theologiam, theticam, atq; moralem, cupidæ juventuti tradidit, atque e cathedra ſuperiori præſes *de Talmude Hieroſolymitano*, *de Talmude cremando*, aliisq; thematibus publice diſputavit. Diſceſſum ex oris Saxonicis parans, in inclyta Academia Jenenſi Bechmannum, Velthemium, Lynckerum, Bayerum, Poſnerum, Schubartum, Hebenſtreitium, & Mullerum compellavit, a VVedelio quoque, Medico celeberrimo, in Bibliothecam Academicam, deductus. Poſtquam dulce patriæ ſolum repetierat, juventutem Academicam in collegiis Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Accentuationis, Philoſophicis & Homileticis erudiit, & pro capeſſendo primo in Theologia gradu *recentiores de verſione Lutheri Germanica controverſias*, inaugurali ſub D. Fechtii præſidio habita diſputatione, ſolenniter propoſuit, atque ab eo tempore controverſias nobiliores, non a noſtris tantum, ſed & ab exoticis, Gallis,

Italis,

Italis, Hiſpanis, Anglis, Belgis, motas, juxta concinnum compendii Kœnigian ordinem examinavit. Hinc omnium oculos ita in ſe convertit, ut primum Profeſſio Phyſices & Metaphyſices, poſtea Archi-Diaconatus Jacobæus, & denique Profeſſio Theologica communi plauſu ipſi demandaretur. Neque vero indignum ſe graviſſimis iſtis muneribus demonſtravit, ſed tum *ſpecimen Metaphyſicæ Biblicæ, ſelectiores ex Theologia naturali, de Deo ejusque attributis controverſias*, pluresq; diſputationes Philoſophicas concinnavit; tum ex omni Theologiæ parte eruditiſſima ſcripta promulgavit. Ita ſcilicet in Theologia didactica *ſpecimen compendii Theologiæ poſitivæ univerſæ ex obligatione noſtra erga Deum deductæ*, in lucem edidit. Moralis namque Theologiæ notitiam, Schomerianæ methodo inſiſtens, cum Thetica Theologia perpetuo conjunxit, teſtatus, mutilam hanc & mancam eſſe, niſi in illa univerſa ſimul ex noſtra erga Deum obligatione deducerentur, &, quo pacto, quæ in illa docentur, ad ſalutarem dirigantur praxin, dilucide demonſtraretur. Exegeticæ Theologiæ ſtudium curæ cordique ipſi fuiſſe, partim variæ hoc in argumento propoſitæ diſputationes, partim *continuatio exegeſeos Prophetæ Zachariæ*, a Bohlio ad caput tantum octavum deductæ, abunde loquuntur. Solidam, in Theologia Polemica notitiam *faſciculus exoticarum controverſiarum*, & *Theologia recens controverſa*, quatuor partibus abſoluta, in quibus vel monſtroſæ, vel ſpeciem quandam habentes ſectariorum in Anglia potiſſimum & Belgio doctrinæ excutiuntur, ſatis comprobant. Quinimo ad Turcica quoq; & Muhammedana progreſſus, Achmet Ben-Abdala epiſtolam ad Sereniſſimos Auriacum & Portugalliæ Principes, illiusque epiſtolam Theologicam *de libero arbitrio*, ad Dominum de Aquila ſcriptam, utramq; ſibi a Celeberrimo Ido & Collega noſtro, D. Godofredo Chriſtiano Gœtzio, communicatam, lectiſſimis in illas ſubjunctis notis & obſervationibus, in lucem publicam produxit. Quanta in ſacris homiliis gaviſus ſit facundia, non modo *Orator Eccleſiaſticus* ab ipſo evulgatus, verum etiam tres homiliæ, tria homiliarum genera, ſyntheticum naturale, ſchematicum analyticum, & ſchematicum ſyntheticum repræſentantes, edocere poſſunt. Neq; Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ hoſpitem ipſum fuiſſe, ex *Roſtochio Evangelico*, ab ipſo concinnato, eluceſcit, in quo patriæ urbis & Eccleſiæ hiſtoriam a Reformationis tempore ad hunc usque diem exacte curateq; deſcribit, Eccleſiæ religionisque fata, & eorum, qui in eadem ſingulis temporibus docuerunt, vitam, resq; geſtas, quaſi in pictura & imagine quadam, ob oculos ponit. Bigamus cetero quin fuit, & primum conjugium A. 1700 cum Catharina Sophia, celeberrimi D. Quiſtorpii filia contraxit, ex qua filius, Johannes Samuel, paternarum virtutum hæres, natus eſt. Ad ſecunda vota tranſiit A. 1707 cum Cornelia Magdalena, magni Daniæ Theologi, Bartholdi Botſacci, filia, quæ filiolas, Annam Dorotheam, Margaretham Chriſtianam, Catharinam Sophiam, & Hedwigam Magdalenam enixa eſt, & nunc ob præmaturum mariti obitum ſuſpiriis fletibusq; conſumitur. Denatus nimirum eſt celebratiſſimus Theologus A. 1713 d. 11 Febr. cum ipſi paulo ante & ampliſſima in Conſiſtoriali judicio Aſſeſſura, & Superintendentis titulo Eccleſiarum in diſtrictu Megalopolitano inſpectio, Ducalisque Theologiæ in Academia Profeſſio fuiſſet deſtinata.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno M DCC XIII.

TRACTATUS THEOLOGICO-CANONICUS de Matrimonio, prima ſui Parte continens Naturam & Eſſentiam Contractus maritalis cum Quæſtionibus in hac materia magis controverſis; Parte ſecunda Matrimonii impedimenta, & de his Quæſtiones accuratius diſcuſſas; Autore Patre JOANNE KUGLER, S. J. Theologo, Univerſitatis Leopoldinæ Wratislavienſis Cancellario, typis datus una cum opuſculo de Sponſalibus utrique parti præfixo.

Herbipoli, ſumtibus Ge. Lehmanni, Bibl. Nor. & Vienn. 1713, fol. Alph. 6 plag. 2.

ETſi poſt copioſam *Thomæ Sanchezii*, Cordubenſis, de Matrimonio tractationem omnia illius materiæ latifundia ita exhauſta eſſe plerique perſuaſum habeant, ut vix ſpicilegii gloriam poſteris relictam putent; ea opinio tamen minime morari potuit Autoris per complures annos, ut de ſe teſtatur, in Theologiæ & Decretalium libris explanandis ſtipendia meriti induſtriam, quin novum de Sponſalibus & Matrimoniis opus animo conciperet, inque eo ab aliis omiſſa ſuppleret, ac perperam dicta corrigeret. Nec infeliciter laborem ei ceſſiſſe dicendum eſſet, ſi a duobus, quod Sectæ tamen, quam profitetur, imputari debet, præjudiciis ſibi caviſſet, Matrimonium eſſe ſacramentum, & ſummum in Matrimoniorum controverſiis arbitrium ad Romanum Præſulem pertinere; quæ cum apud Pontificios peræque omnes in Eccleſiaſtici juris diſciplina utramque paginam faciant, fruſtra ab iis Syſtema numeris omnibus perfectum, quodque genuinis Scripturæ, rationis, ſtatusque publici fundamentis ſuper-

Digitized by Google

ſtructum ſit, expectaveris. Hæc tamen, quæ diximus, eo non pertinent, ut laudem Operi omnem detractam velimus, utpote in quo minime vulgaris in aliorum ſententiis conquirendis trutinandisque ſolertia & ſagacitas ſemet produnt: quamvis, dum ſcholaſticorum tradita intemperantius ubique amplectitur Autor, ſubſidiis, quæ a modernis Interpretibus ex morum doctrina & Eccleſiaſtica antiquitate accerſiri ſolent, deſtitutus, non omnino ad palatum noſtrorum eſſe videatur. Præmittitur *de Sponſalibus* liber perbrevis, tribus partibus conſtans, quarum prima de Sponſalium ſignificatione, definitione & proprietatibus, ſecunda de effectibus, tertia de diſſolutione per Quæſtiones tractat.

Sequitur prolixior de *Matrimonio* tractatio, cujus methodum vel ipſa libri inſcriptio indicat. Ad dictorum autem fidem ſtabiliendam ea ſuffectura arbitramur, quæ Autor P. I c. I §. 3 de Matrimoniis infidelium & hæreticorum; & P. 2 qu. 23, an Pontifex diſſolvere poſſit matrimonium ratum? in medium attulit. Neque enim inſtituti noſtri ratio permittit, ut iſta fuſius perſequamur. Id unum adhuc commemorandum erat, eſſe hunc primum fœtum, quem incluta Leopoldina Academia e gremio ſuo dimittit, atque adeo ſub nomine *Primitiarum Leopoldinarum* invictiſſimo Imperatori hodie regnanti CAROLO VI offerendum duxit.

REPERTORIUM JURIS CANONICI, IPSA Corporis Juris medulla; h. e. Perſonarum, Rerum, Caſuum, Controverſiarum, Litium, Cauſarum, Propoſitionibus, Reſolutionibus, Deciſionibus refertum: Opus poſthumum R. P. WENCESLAI STEIGER, e Societate Jeſu, in alma Cæſarea, Regiaque ac Epiſcopali Univerſitate Olomucenſi quondam Sacrorum Canonum Profeſſoris Publici & Ordinarii.

Norimbergæ, ſumtibus Georgii Lehmanni, 1713, fol.
Alph. 3.

Videas hic univerſum Jus Canonicum in forulos ſuos ſive locos, ut vocant, communes diſtributum: quod ita executus eſt Autor, ut nec induſtriam, nec judicium in eo deſideres. Nam & ſingula

Digitized by Google

ſingula ſub ſpecialibus maxime & convenientibus titulis collecta, & verba ubique Decreti & Decretalium ſervata, ut opellam perquam utilem iis futuram auguremur, qui in quavis materia Pontificii juris ſancita uno velut obtutu inſpicere ſatagunt.

ALEXANDRI ARNOLDI PAGENSTECHERI JCt. & Anteceſſ. Sylloge Diſſertationum.

Bremæ, apud Philip. Gottfr. Saurman, 1713, 12. Alph. 1 plag. 9.

TRiennium eſt, & quod excedit, cum Excell. Pagenſtecherus, jam Jur. Prof. Primarius in Academia Groningenſi, Manuale ad Inſtitutiones Juris ſuosque ad has editos aphoriſmos Groningæ publici juris faceret. Adjiciebat huic operi diſſertationem de Jure Naturæ & Juris Juſtinianei autoritate, it. Fridericum I, cum Paraphraſi regularum Juris Canonici. Sicuti autem continuo aliquid promit ex ingenio humaniorum literarum & ſelectarum ex omni jure materiarum ſtudioſiſſimo, ita in præſente libro effecit, ut non ſolum modo dictæ diſſertationes ſed etiam ſequenti tempore habitæ una ederentur. Agit autem in hac Sylloge Diſſertationum primo loco de Jure Naturæ, ubi non ineleganter de Juris Pag. 2. Naturæ principio, finibus, ejusque utilitate ac neceſſitate diſſerit, imprimis oſtendens, ſe non concoquere poſſe libellum (cujus autorem ſe ignorare profitetur) qui Lucis & Legis ſive Luminis & Juris titulo ſtudium Juris Naturæ non tantum omni utilitate deſtitutum, ſed & omnino noxium & quaſi cane pejus & angue vitandum, depingere anniſus ſit. Felix itaque deprædicat hoc ſeculum, quo non, ut olim, per ambages improbosque labores Juris Naturæ adita poſſint aperiri, ſed recto tramite eodemque compendiario liceat pertendere. Qua occaſione etiam refert varias opiniones, quas Doctores circa hoc principium foverint. Ibidemque monet, peſſime 23. ac inſubide nonnullos Doctores ridere eos, qui duo aut tria naturalis iuris cognoſcendi principia inculcant; cum ipſe Chriſtus duobus aut tribus præceptis, quicquid Lege ac Prophetis continetur, complexus ſit. Neceſſitatem vero, quæ unicum principium, uti a pleriſque vulgo requiritur, deſideret, demonſtrari haud poſſe. Potius oſtendit, Jus Naturæ tria ſuo ambitu complecti. Si enim ho-

Digitized by Google

mo dependentiam & connexionem cauſarum & rationem motus
ſibi ob oculos ponat, ſine magno labore colliget, illam primam
cauſam, hunc primum motorem deſiderare, & ſic conſequenter
Deum eſſe tale ens, quod coli debeat. Si contempletur animam
ſuam, corpus ſuum, facultates agendi, quibus aut illa, aut hoc pol-
let, idem in proximo agnoſcens, cultum Dei, conſervationem ſui
& proximi ſibi injunctam deprehendet. Utque curioſitati eorum,
qui unicum præciſe principium admittunt, ſatisfaciat, ex jam alla-
Pag. 30. tis una voce includit principium: Ama, ſcilicet ama Deum, ama
proximum, ama temetipſum. Secundo loco verba facit de aucto-
20. ritate Juris Civilis, quo Jus Juſtinianeum per eminentiam intelli-
git. Reſpondet hic potiſſimum argumentis eorum, qui illud aut
nullius, aut exigui uſus hodie eſſe arbitrantur, dum provocat ad il-
lius receptionem in Germania, Belgio ac finitimis provinciis, Jure
patrio deficiente. Provocat ad Fridericum Barbaroſſam, qui le-
gem ſuam, quam nunc Avthenticam Habita appellamus, Codici
Juſtinianeo inſeri juſſit. Provocat ad Maximilianum I ejusque
ſanctionem in ordinatione Cameræ Imperialis & Judicii Aulici, nec
non ſanctionem Criminalem Carolinam, quæ non una vice ad Jus
Civile remittit. Cumque hodie iniquitatis multi illud arguant,
eos conſiderare jubet, fontem hujus eſſe Jus Divinum, Naturale ac
Gentium. Ut itaque Jure Naturæ ſemper firmo ac immutabili
manente, nec de hujus ſtabilitate, poſt leges cujusvis Reipubl. par-
ticulares, ambigendum ſit. Notatu digna ſunt verba Lutheri ex
Tomo I Jenenſi ad Pſalmum 101, fol. 156, ubi ita judicat: Das
Kayſerl. Recht/nach welchem das Römiſche Reich noch heutiges
Tages regieret/ und biß an den Jungſten Tag verbleiben wird/
iſt ja nichts anders/ dann heydniſche Weißheit/ welches die Rö-
mer/ehe denn Rom von Chriſten oder von GOtt ſelber nichts ge-
höret hat/ geſetzet und geordnet haben. Und ich achte wohl/wenn
itzt alle Jüriſten in einen Kuchen gebacken/ und alle Weiſen in ei-
nen Tranck gebrauet würden/ die ſollen nicht allein die Sachen
und Händel ungefaßt laſſen/ ſondern auch nicht ſo wohl davon
reden und dencken kömen ꝛc. Fridericus I Barbaroſſa vindicatur
154. in Diſputatione III & Avthenticæ ipſius modo allegatæ defenſio
contra Grœnewegium ſuſcipitur. Hic curioſa ac ſingularia ejusdem

nec

nec non aliarum Legum Friderici fuſius explicat. Notat etiam errorem Schüzii Comp. Lauterb. pag. 656, circa famoſiſſimam Legem Friderici de furti pœna. Quarta Diſſertatione præſtantia ac autoritas Juris Canonici aſſeritur. Odium quod apud nonnullos propter Pontificis autoritatem incurrere poſſet, amoturus, monet, ſe non pro Jure Canon. dominante, ſed in civitatem olim benigne recepto, verba facere, hoc enim Jus Canon. æque ac Jus Civile non valere autoritate ſua, ſed quam ex recepto Legislatorum noſtrorum adeptum ſit. Simul expendit, utrumque non levibus maculis ſcatere. Quemadmodum enim in Jure Canonico dicatur, quaternarium numerum bene congruere prohibitioni conjugii corporalis, quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis, it. usque ad ſextum generationis gradum conſtitutam eſſe conſanguinitatem, quod, ſicuti ſex ætatibus mundi generatio & hominis ſtatus finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur; ſic Jus Civile impietatis arguendum videtur, quod ſolvit vinculum matrimonii ob varias, etiam leviores Jurique divino contrarias cauſas. Veluti ſi uxor nolente viro cum viris extraneis convivetur, artibus magicis operam dari permittit, ſi modo remedium inde quæratur ſalutare, agreſtibus quoque locis eas innocenter adhiberi, ne maturis vindemiis metuantur imbres, aut ventis grandinisque lapidatione quatiantur, quaſi hic valeat illud: flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta movebo. Quinta de Pallio ſequitur, in qua ex Petronio L. 1 §. 3 ff. d. ſicar. explicat, ac adſtruit, ejus formam quadratam fuiſſe, cum contra toga rotunda & undique clauſa eſſet. Quoad uſum autem, licet olim amiculum iſtud meretricum pallium fuerit, quo & fœminæ in adulterio deprehenſæ indutæ ſunt, cum tamen ipſa natura pallii nihil probroſi contineat, a honeſtiſſimis perſonis adhiberi potuiſſe cenſet; cum & Iſidorus teſtetur, in Hiſpania id ſignum eſſe honeſtatis, ac Ulpianus doceat, pallium ad mulierum, ad quas virgines refert, veſtimenta ſpectare. A commoditate porro, quam in negotiis expediendis præſtat, præ toga commendari, & cives minoribus ſumptibus onerare, cum ex lino & lana materia facile parabili componatur. Reges, Principes alioſque Rerumpublicarum rectores tum maxime, cum dignitatis ſuæ radiis coruſcare avent, a pal- Pag. 214.

 lio

lio honoris ſui indicia aut augmenta arceſſere; ipſos etiam Rectores ac Anteceſſores Grœningenſes eſſe palliatos, ac pallii autoritate ea
Pag. 357. jubere, quæ uſus Academiæ poſtulet. Sexta & ſeptima de ſeptem Græciæ Sapientibus tractat, ubi conatur Autor demonſtrare, non tantum, mediocrem prudentiam in horum ſcriptis & dictis latere, ſed & ordinem, quem in illis enumerandis ſervarunt Scriptores ac Poetæ, magis metro tribuendum, quam unius præ altero in ſapientiæ ſtudio excellentiæ. Multosque adeo oſtendit cœco impetu antiquitatem magis venerari ac adorare, quam dictorum factorumque dignitas ac pondus poſtulet. Sed de VII Sapientibus dicemus proxime uberius, ubi e noviſſima eorum Hiſtoria, a Cl. Lar-
484. ræo Gallice deſcripta, juſta dabimus excerpta. Octava Parœmias Belgicas exponit ac luculenter oſtendit, quatenus cum moralitate conveniant, vel ab ea diſcedant, imitatus quodammodo Virum doctiſſimum Jo. Nic. Hertium, cujus de Parœmiis Juris Germanici
524. Libri III Tomo I Opuſcul. exſtant. Nona, quam Julium Paulum
625. inſcripſit, Leges quasdam Pandectarum erudite exponit. Decima, quæ & ultima, agit de dominio maritali, in qua defendit, Jure Naturali nullum marito in uxorem imperium competere, nec ſtatum conjugalem eſſe monarchicum ſed ariſtocraticum. Et licet fœmina ad varia onera ſubeunda marito obligetur, attamen eadem neceſſitas aliis quoque contractibus Noſtro videtur communis. Neque id valere, quod vir ingenio & robore, fœmina præſtet elegantia. Nam nec deeſſe exempla fœminarum eruditarum. Accurſii filiam publice docuiſſe Jurisprudentiam, Hroswitham monialem Saxonicam panegyricum de geſtis Ottonis M. & ſex comœdias, in æmulationem Terentii, compoſuiſſe; Schurmanniam, Daceriam, Scuderiam aliasque ſatis eſſe notas. Subjectionem, qua fœminæ voluntariæ ſe maritis ſubjecerint, vel non ſatis probatam putat, aut certe in judicio contradictorio nondum eſſe obtentam, multasque in ore adhuc habere illud Tiberii: *Si non dominaris, filiola, injuriam te accipere exiſtima.* Cumque plurimi argumentum quærant e Jure Divino, imprimis ad Eph. V, 22 provocantes, Noſter ex verbo ὑποτάσσεσθαι nondum dominium probari poſſe, vel ex ipſo verſu antecedente 21 probare ſuſtinet. Denique ad exempla quoque provocat, cum & apud Ægyptios & Achæos viris mulieres impera-

Digitized by Google

imperarint, quem morem Amſtelædami quoque ſolennem eſſe, ex Templii, Legati Anglici, Memoriis ad annum 1678, ubi unum alterumque exemplum producit, conſtare poſſe exiſtimat.

Q. HORATIUS FLACCUS EX RECENSIONE & cum notis atque emendationibus RICHARDI BENTLEJI. Editio altera.

Amſtelædami, apud Rod. & Gerh. Wetſtenios, H.FF. 1713, 4. Alph. 5 pl. 8.

QVum in Actis noſtris Anno ſuperiore p. 481 ſeqv. Bentlejanarum in Horatium animadverſionum juſtam mentionem fecerimus, jam, ubi de altera earum editione loquendum eſt, eo breviores eſſe poſſumus. Poſtquam ergo patriarum virtutum hæredes Bibliopolæ ad recudendas eas animum appulerunt, in eo operam ſuam collocarunt, ut commodiore habitu librum eruditis ſiſterent. Notas ergo, quæ in editione Cantabrigienſi ſub finem carminum erant rejectæ, textui ſubjecerunt, ne Lectores, ſi perpetuo volvendus & revolvendus liber eſſet, tædium aliquod caperent. Quod vero in hac editione præcipuum eſt, indicem omnibus numeris abſolutum addiderunt, cujus in ſe curam ſuſcepit Iſaacus Verburgius. Etenim index ille primum confectus eſt a Thoma Tretero Poſnanienſi, auxilium ferente Stanislao Drozinio, quorum uterque in ædibus Stanislai Hoſii Cardinalis Romæ circa A. 1573 verſabatur. Quum vero is uni ſaltem editioni eſſet accommodatus, alium in ſe laborem ſuſcepit Daniel Avemannus, Brunopolitanus, & cuique voculæ numeros librorum, opuſculorum & verſuum tædioſo admodum labore addidit. Hunc ergo indicem Avemanni cura perpolitum huic editioni ſubjecit Verburgius, ita tamen, ut, quæ in ipſo textu a Bentlejo mutata ſunt, ſimul inſereret, ne aliam in indice quam in textu lectionem deprehenderes. Ex notis vero Bentlejanis multa præterea adjecit, quibus eidem non parum utique ſplendoris acceſſit. Ceterum quantum ad chartæ pariter & typorum elegantiam, non eſt, ut quicquam in hac ipſa editione neglectum eſſe conqueramur.

Digitized by Google

THEOPHRASTI CHARACTERES ETHICI, Græce & Latine, cum notis Iſ. Caſauboni, & prælectionibus Jac. Duporti. Recenſuit & notas addidit PETRUS NEEDHAM, S. T. B. Colleg. Div. Job. Cantabr. Socius.

Cantabrigiæ, impenſis Corn. Crownfield, 1712, 8 maj.
Alph. 1 plag. 16.

Qui nuper admodum Hieroclem nobis dedit, Cl. Needhamus, idem jam in Græcis autoribus edendis pergit, Theophraſti Ereſii characteres ethicos cedro ſane dignisſimos Orbi erudito exhibens. Subſidia, quibus inſtructus, ad recenſionem hujus operis ſe accinxit, hæc fuere. E Galliarum Regis bibliotheca quatuor codices, & quintum Epiſcopi Metenſis, rogatu Clar. Montfauconii contulit collationesque Lutetia transmiſit Gulielmus Clerc. Reliquos Codd. ſuppeditavit Anglia, Bibliothecæ ſcil. Barocciana, & Bodlejana & Collegii SS. Trinitatis Cantabigriæ. Impreſſas editiones adhibuit Oporinianam, Baſil. 1541, Camotianam, Venet. 1552, Henr. Stephani, Lutet. 1557, Claud. Auberii, Baſil. 1582, & Sylburgii, Francof. 1584. Ex his natæ ſunt obſervationes criticæ textui ſubjectæ, quibus ipſe Theophraſti contextus emendatur & variorum exemplarium mutationes ſollicite admodum adnotantur. Dabimus ejus rei aliquot exempla. Sic c 2, quando characterem τοῦ κό-
Pag. 10. λακος depingit Autor, eum ita patronum alloquentem inducit: Ἀποβλέπουσιν εἰς σε οἱ ἄνθρωποι; Noſter pro εἰς autoritate omnium MSS. legit πρὸς, quod ipſum cum Attica dictione maxime con-
12. venit, ut ex Xenophonte & Platone oſtenditur. Eodem capite ὁ κόλαξ Regi ſuo cavillanti applaudit, grandem riſum excitat, eiusque coercendi cauſa veſtis particulam in os ingerit, ὡς δὴ οὐ δυνάμενος καταχεῖν τὸν γέλωτα: ita hactenus legerunt editiones. Sed Noſter autoritate Codicis antiquiſſimi μὴ legit pro δὴ, quod iterum fit ex Atticiſmi conſuetudine, quo duæ negationes eleganter conjungi ſolent, quod Ariſtotelis, Demoſthenis & Platonis au-
49. toritate comprobatur. In μικρολόγου, ſive ejus, qui ſordide parcus eſt, charactere & hoc occurrit, quod ille τῆς γυναικὸς ἀποβαλούσης τρίχαλκον, omnem ſuppellectilem loco ſuo moveat & ſcrutetur. Hic quidem Cl. Needhamus, quum vox τριχάλκου nusquam apud

Græcos

τεος legatur, ex ingenio reſtituit τρίχαπτον, quod Suidas interpretatur *κτενίδιον, pectunculum minuſculum*: quia æque μικρολογία ſit, ejusmodi minuta inquirere, quam triobulum. Idem μικρόλογος ſub finem ejus capitis repræſentatur τὸ μέσον τῆς ἡμέρας ὑπολουόμενος, *medio die ſe lavans*, quod quidem qua ratione cum ſordida parſimonia conveniat, non videmus. Subſtituit ergo Noſter, occaſionem ſuppeditantibus MSS. ubi ὑποδούμενος legit, vocem ὑπολυόμενος, quod notat eum, *qui calceos ſibi ſolvit vel exuit*, quod certe in μικρόλογον multo melius quadrat. Ὁ ἄκαιρος c. 12 deſcribitur, οἷος ἀχολουμένῳ προσελθὼν ἀνακοινοῦσθαι, *qui aliquem occupatum accedens velit re communicata cum illo deliberare*. Reſtituit vero Editor noſter Autori vocem ἀνακρίνεσθαι, quod eſt *ſciſcitari, percontari*, quod ſenſum ejus melius exprimit. Neque hoc negligendum putamus, Cl. noſtrum Editorem ſuis etiam aliquando Auberii, H. Stephani, Sylburgii, Palmerii & aliorum notas inſeruiſſe.

Pag. 52.

58.

Sequitur Iſaaci Caſauboni in hos characteres commentarius, eruditis notiſſimus, de quo in præſenti dicere nil attinet, niſi hoc, quod in Editione Theophraſti Brunſuici A. 1659 recuſa multa ab Editore, qui Caſaubonum in omnibus capere non potuit, mutata inveniantur. Quod quum paullo ſerius Autori noſtro innotuerit, (nam integrum Caſauboni commentarium ex editione laudata imprimi jam curaverat) cum ipſius Caſauboni editione illum contulit, & quæ in ea interpolata animadvertit, in ſingulari pagina Caſauboni commentarium præcedente adnotavit.

Supereſt, ut de Jac. Duporti Prælectionibus pariter diſpiciamus. Fuit is in Academia Cantabrigienſi ſuperiore ſeculo Profeſſor Regius, eæque prælectiones hactenus aſſervatæ ſunt in bibliotheca Jo. Mori Epiſcopi Elienſis, nullo tamen adſcripto autoris nomine. Inde factum, ut Th. Stanlejus earum autor haberetur, quod & in vitam ejus Hiſtoriæ Philoſophicæ præfixam irrepſit. Oſtendit autem Noſter, Bentlejo etiam ſuffragante, ex diverſis harum prælectionum locis, eum in Collegio SS. Trinitatis Cantabrigiæ litteris operam navaſſe, & in eadem Academia Græcas litteras publice docuiſſe. Præterea Galeus, Duporti noſtri collega, teſtatur in præfatione opuſculorum Mythologicorum, *ſe Jac. Duporti in Theophraſtum*

phraſtum Prælectiones vidiſſe. Ipſæ vero prælectiones illæ non
proletariam Græcæ linguæ ſcientiam præferunt, quamvis earum autor in multis afferendis autorum citationibus non ſit operoſus. Id
enim præcipue intendit, ut primo quidem Græcarum vocum nativas ſignificationes erueret, & ſenſum deinde autoris erudita applicatione illuſtraret. Ergo, quod in iis prælectionibus præcipuum
eſt, quaſdam ſaltem de Græcis verbis obſervationes in medium proferemus, ut de Autoris noſtri doctrina nobis conſtare poſſit. Primo
ſtatim capite occurrit character τῦ εἴρωνος, quam vocem Caſau-
p. 181. bonus reddiderat *cavillatorem.* Noſter vero oſtendit, non convenire *cavillatoris* ideam cum eo charactere, quem τῷ εἴρωνι tribuit
Theophraſtus. Ea ergo ratione motus vertit εἰρωνείαν *diſſimulationem*, quod noſtra quoque ſententia propius accedit ad mentem &
deſcriptionem Theophraſti. Ἔιρων vero proprie eſt, qui dicit aliquid, ſed tantum dicit, aliud vero ſecum cogitat. Habetque formam participialem in obliquis caſibus pauliſper immutatam, a verbo antiquo εἴρω dico, cujus futurum ſaltem in uſu eſt, ἐρῶ, Jonice
reſolutum tranſit in præſens ἐρέω, unde nobis ſuperſunt præterita εἴ-
205. ρηκα & εἴρημαι. Κόλαξ vox derivatur ἀπὸ τῦ κόλυ, *cibo*, unde
βυκόλος, *qui boves paſcit*, item εὔκολος & δύσκολος, quorum
prius *facilem in prabendo victu*, poſterius vero *moroſum* denotat.
Κόλαξ ergo eſt, *qui cibi & potus cauſa noſtram amicitiam ſectatur*,
235. & alio nomine *Paraſitus* dicitur. Ubi de verbo κεφαλαιῦν agit,
quod *in ſummam redigere* notat, explicat quoque verba Marci
XII, 4 de ſervo ab agricolis contumelioſe habito: Κἀκεῖνον λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν. Plurimi interpretum ultimam vocem
explicant *caput amputarunt*, ſed Noſter, adſentiente Lud. de Dieu,
ſic vertit: *Et lapidantes eum breviter (compendioſe) cum eo egerunt,*
germ. Sie wurffen ihn mit Steinen/ und machten alſo kurtze Ar-
295 ſq. beit mit ihm. De voce ἀπονοίας prolixus eſt, eamque accurate
diſtinguit a cognatis vitiis, qualia ſunt τόλμα, θηριότης, ἀπόγνωσις. Ἀπόνοια vero ipſi eſt, quando quis ἀπὸ νῦ vel ἐκ τῦ νῦ πίπτει,
h. e. *excuſſo rationis freno ſponte in praceps fertur, & ſana mente ex-*
310. *cidit.* Ἐχῖνος a Theophraſto noſtro c. 6 pro capſula uſurpatur,
in qua litium & cauſſarum inſtrumenta reponebantur, quod autoritate Harpocrationis, Schol. Ariſtophanis & Demoſthenis probat,

Digitized by Google

t. pag. 397.



ex quibus & hoc addit, echinos hoſce plerumque fuiſſe vel figlinos vel æneos. Poterant & alia in medium produci, quæ circa formulas uſurarum, feſta item Athenienſium monentur, ſed hic ſubſiſtimus, hæc ſufficere putantes, ut ex iis, tanquam ex ungue leonem cognoſcamus.

JULII VITALIS EPITAPHIUM CUM NOTIS HENR. DODWELLI & Commentario GUIL. MUSGRAVE. Accedit DODWELLI Epiſtola ad Cl. GOEZIUM de Puteolana & Bajana inſcriptionibus.

Iſcæ Dunmoniorum, typis Farleyanis, & Londini, 1711, 8.
Alph. 1 plag. 4½.

PAucis abhinc annis, nempe A. 1708 erutum in Britannia ad Bathoniam Epitaphium *Julii Vitalis* mirifice eruditorum in ſe convertit ingenia & commentario non uno, teſte præſentis libri Præfatione, ubi præ ceteris Tho. Hearnii ad illud *Animadverſa* commendantur, illuſtratum eſt. Nos jam duos recenſebimus commentarios uno comprehenſos volumine: ac ex priore quidem primo dabimus Dodwellianam lectionem illius epitaphii, quæ hæc eſt: JULIUS. VITALIS. FABRICENSIS. LEGIONIS. XX. VALERIÆ. VICTRICIS. STIPENDIORUM. IX. ANNORUM. XXIX. NATIONE. BELGA. EX. COLLEGIO. FABRICÆ. ELATUS. HIC. SITUS. EST. Reliquæ Dodwelli notæ tantum non omnes ſpectant ad explicandam vocem *Fabricenſis*. Scilicet Romani habebant publicas armorum officinas ſive fabricas, in quibus qui operabantur, fabricenſes dicti ſunt. Ac ſub primis quidem Imperatoribus ſuos ſingulæ legiones habebant Fabricenſes, qui duorum generum erant, aliis arma ex ferro, aliis machinas bellicas ex ligno conficientibus. Sed jus illud legionibus ademtum eſt poſt Diocletiani tempora, ſubjectique fuerunt Fabricenſes tandem Præfectis prætorianis. Hanc Fabricenſium hiſtoriam diligenter perſequens Dodwellus, tandem conficit, inſcriptionem illam Ptolemæo quidem juniorem eſſe, ſed antiquiorem tamen Alexandro Severo, Imp. immo eam ante annum Chriſti 211 factam videri. Hinc docet, Julium Vitalem patria fuiſſe Belgam, non tamen Gallicum, ſed Bri-

TAB. VI. Fig. 1.

§. 9.

§. 10. tannicum: ac denique ex hiſce verbis: *ex collegio Fabricenſi elatus eſt*, colligit, eum & benevolentia ſingulari collegarum conſecutum eſſe monimentum, & magna collegarum frequentia elatum eſſe,
p.31. fortaſſe etiam Collegii ſumtibus. Hactenus Dodwelli notæ, quibus ſubjuncta legitur ejusdem ad Virum Conſultiſſ. Godofredum Chriſtianum Gœzium, Collegum noſtrum honoratiſſimum, Epiſtola A. 1700 ſcripta, qua duas inſcriptiones, alteram Puteolis nuper
39. inventam, alteram Bajis, breviſſime explicat: ac ſub finem refert, in Bibliotheca Bodlejana exſtare Damaſcii, Philoſophi Platonici, opus MS. *περὶ ἀρχῶν*, quod craſſum impleat volumen formæ maximæ, quam *in folio* vocant. Qui autor cum admodum utilis poſſit eſſe ad intelligentiam Platonicæ Philoſophiæ, præſertim recentioris, itemque hæreſium inde in Eccleſia Chriſtiana ortarum, optat, ut opus illud peritum aliquem inveniat interpretem ac publicam pro-
48. feratur in lucem. Progredimur ad Cl. Musgravii Commentarium, cujus lectio epitaphii a Dodwelliana, ſupra allata, in eo differt, quod pro *Valeria* legit *Valeriana*, & *Fabricenſium* pro *Fabrica*. Ipſum Jul. Vitalem libertini generis fuiſſe, §. 1 ſuſpicatur, aliosque ex antiquis monimentis adducit cognomines. §. 2 de Fabricis armorum earumque antiquitatibus agit, cumque vocabulum *Fabricenſis* ante ſæculum quartum non fuerit uſu receptum, hinc ipſo illo ſæculo obiiſſe Vitalem conjicit. §. 3 demonſtrato, plures fuiſſe legiones viceſimas, de ea ſollicite agit, cujus in hac inſcriptione fit mentio, ejusque legionis fata & facta pluribus enarrat. §. 4 Dionis atque Taciti autoritate probat, notas V. V. hoc loco ſignificare *Valeriana Victricis*. Copioſiſſime vero diſſerit §. 8 de Belgarum in Britanniam tranſitu, deque eorum ibi ſedibus ac fatis.
61.1 §. 9 rurſus multus eſt in exponendis antiquitatibus Fabricarum armorum. §. 11 obiter de cryptographia agit, ſimulque laudat ingenioſisſimum ejus interpretem, Jo. Wallifium, Profeſſorem Oxonienſem, a quo commemorat haac interpretandi artem cum nemine fuiſſe communicatam, excepto nepote ipſius ex filia, qui regio ſtipendio fruens eam hodie laudabiliter exerceat & in ſecretis habeat. Sub finem hujus §. reprehendit morem mortuos in urbibus vel tem-
166. plis ſepeliendi, idque olim cum apud ethnicos, tum Chriſtianos, vetitum fuiſſe, ex Kirchmanno manifeſtum facit. Tandem ſequitur

Digitized by Google

turAppendix de hujus inſcriptionis orthographia. Equidem in ſuperioribus jam ſæpius egerat de veterum Romanorum ſcriptura: Pag. 178. hoc loco tamen nonnulla adjicere viſum fuit Cl. Autori. Inter 179. alia docet, litteram V pronuntiationem habere τȣ̃ W. Sic *vinum*, *vidua* Anglis eſt *Wine*, *Widow*, noſtratibus Wein / Witbe. Oſtendit etiam, contra Cellarium, ex antiquiſſimis monumentis, literam V etiam his notis, U & U, ſcribi ſolitam eſſe.

IGNATII EPISTOLÆ SEPTEM genuinæ.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1708, 8.

Plag. 9.

LUculentiſſimam ſeptem Ignatianarum epiſtolarum editionem, a Tho. Smitho Oxonii A. 1709 factam, adjectis ſuis ac Pearſoni annotationibus, recenſuimus A. 1710 p. 196. Nunc aliam ſiſtimus editionem, paulo prius emiſſam, ſed quæ nuper demum ad nos pervenit, fortaſſe ob raritatem exemplarium, quorum centum duntaxat typis exſcripta eſſe compertum habemus. Hæc editio præcedentibus in eo præſtat, quod primo exhibet Græcum epiſtolæ ad Romanos textum, ex codice Colbertino editum a Ruinarto, deinde accuratiſſimum exemplar ſiſtit codicis Medicei, (ex quo primus If. Voſſius has epiſtolas Græce, ſed minus accurate, ediderat,) ab Antonio Maria Salvino, Græcæ linguæ in Florentino Gymnaſio Profeſſore, rogatu illuſtris Viri, Henrici Newtoni, Reginæ Britannicæ ad Eturiæ Principem Ablegati, ſua manu diligentiſſime deſcriptum. Præterea Cl. C. Aldrichius, harum editor epiſtolarum, in margine appoſuit conjecturas criticas a Salvino & Voſſio factas, quorum & nomina ſemper præfixit, exceptis iis locis, ubi emendatio eſt manifeſtiſſima. Ad hæc adjunxit veterem Latinam verſionem ab Uſſerio primum publicatam, quam tamen iis locis, ubi aberrare viſa eſt, diligenter corrigit. Denique Latinæ verſionis margini allevit citationes Cotelerii: ipſis locis citatis in fine libri appoſitis. Præmiſit vero Polycarpi ad Philippenſes epiſtolam, quod is Septem Ignatii epiſtolas, quas plerique pro genuinis habent, collegiſſe, iisque illam epiſtolam præmiſiſſe perhibetur. Ceterum cum in laudato Mediceo codice tres inſuper pſeudepigraphæ Ignatii epiſtolæ Græcæ & Latinæ contineantur, Mariæ Caſtabalitidis ad

Digitized by Google

Ignatium, Ignatii ad illam reſponſoria, & tandem Ignatii ad Tarſenſes epiſtola, quæ quidem ſub finem mutila eſt, nec eas Cl. Editor prætermiſit, ſed hic etiam publicandas duxit. Sufficere hæc poſſunt de præſenti editione epiſtolarum Ignatii. Nobis tamen liceat ad primam epiſtolam, quæ ad Smyrnæos præſcripta eſt, tria annotare illam illuſtrantia. Scilicet *Num. I* pro *θεομακαρίτου* Cl. Salvinus reponit *θεομακαρίστου*, quam emendationem jam vidit Pearſonus, eamque nos & approbamus & firmamus ex epiſtola Ignatii ad Polycarpum, ubi *num. VII* eum appellat *θεομακαριστότατον*. *Num. III* veterem verſionem: *Ego enim & poſt reſurrectionem in carne ipſum* (Chriſtum) *vidi, & credo exſiſtentem*; rejicit Cl. Aldrichius, negans, Ignatium hic loqui de ſuo viſu, ſed de fide ſua aliorum teſtimoniis confirmata. Qua in re illi Valeſium præiviſſe obſervamus, qui in verſione ſua Euſebii Hiſtor. Eccleſ. lib. III cap. 36 exſtantia ibi Græca Ignatii verba: Ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα καὶ πιστεύω ὄντα, doctiſſime hunc in modum reddidit: *Ego vero poſt reſurrectionem Dominum ipſum in carne apparuiſſe ſcio & credo.* Hieronymus vero eadem Euſebii verba in ſuo Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum cap. XVI peſſime verterat his verbis: *Ego vero & poſt reſurrectionem in carne eum vidi, & credo, quia ſit.* Cujus viri autoritas in errorem induxit non ſolum antiquum illum Ignatii interpretem, & alios, qui ex hoc loco de ætate Ignatii judicium ferendum putarunt, verum etiam recentiſſimum doctiſſimumque Hieronymiani Catalogi editorem, Cl. Cyprianum, qui in notis ſuis p. 244 contendit, omnino iſtis verbis dictum velle Ignatium, ſuis ſemet ipſum oculis vidiſſe Chriſtum, refutatque B. Ittigium noſtrum ſecus ſentientem. Verum omnino vera eſt Ittigii ſententia, & citata Valeſii verſione confirmatur. Cl. Cyprianus vero juxta cum aliis a recta verborum conſtructione abiiſſe videtur. Scilicet non ita cohærent verba Ignatii: Ἐγὼ ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, ſed ſic: Ἐγὼ ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα ὄντα, hoc eſt, *ego ſcio, eum in carne eſſe* vel *fuiſſe.* Pari modo Voſſius ſenior erravit, in quodam Philoſtrati loco τὸ οἶδα reddens per *vidi*, notatus idcirco a Cl. Fabricio Biblioth. Græc. lib. IV cap. 24 §. 12 n. 1 p. 54. Sic Julianus Imp. Orat. IV p. 146 ſcribit: οἶδα μὲν οὖν καὶ Πλάτωνα τὸν μέγαν. Ex quibus verbis nemo confecerit, Julianum ſignificare,

ficare, ſuis ſemet oculis vidiſſe Platonem philoſophum. Denique in ea, quam tractamus nunc, Ignatii epiſtola *Num. V* τὰ ἡμέτερα τῶν κατ' ἄνδρα παθήματα vetus interpres inepto vel potius nullo ſenſu reddidit: *noſtra eorum, qui ſecundum virum paſſiones.* Mirum eſt, Cl. Aldrichium non correxiſſe pravam hanc verſionem. Corrigi autem poteſt ex his ipſis epiſtolis. Nam & in hac ipſa epiſtola *num. 12* & in ſubſequenti ad Polycarpum *num. 1* eadem formula κατ' ἄνδρα recurrit, ac priore quidem loco reddita eſt *ſingillatim*, poſteriore *ſingulis*. Quare allata verba ſic reddi debent: *noſtra ſingulorum paſſiones*, id eſt, quas ſinguli pertulimus.

GOTEFRIDI RICHTERI, BERNBACENſis, Specimen Obſervationum Criticarum in varios Autores, Græcos & Latinos. Præfationem præmiſit JO. FRANCISCUS BUDDEUS, SS. Theol. D. & P.P.

Jenæ, apud Chriſtianum Pohlium, 1713, 8.

Plag. $9\frac{1}{2}$.

PRimitias elegantisſimi humaniorumque litterarum ſtudio deditiſſimi ingenii hic offert Juvenis doctiſſimus, quem de meliori nota bonis omnibus commendat Summe Rev. Buddeus in Præfatione, qua & de maxima artis Criticæ utilitate diſſerit, & ſe autorem fuiſſe Richtero fatetur, ut emiſſo hoc libello doctis Viris innoteſcere ſtuderet. Nec ſane contemnendum eſt hoc Specimen, in quo quippe præter emendationes Criticas multæ exhibentur obſervationes philologicæ, quibus obſcuriora Autorum loca illuſtrantur & explicantur. Sæpius etiam Autor emendationes jam ab aliis factas approbat ac magis firmat: nec raro loca ſatis ſana ab intempeſtivis aliorum invaſionibus defendit, vulgatamque tuetur lectionem. Ceterum ex hujus generis libris non facile eſt proferre multa ſpecimina, idque breviter. Ideo lectores erunt paucis contenti, ex his judicaturi de cæteris. Primo Sulpicium Severum ſub cenſuram vocat, in ejusque Lib. I hiſt. ſacræ cap. 46 pro: *Poſito Ochozia in Judæa rege*, primus feliciter reſtituit: *Poſt Ochoziam Judææ regem:* atque hanc lectionem luculenter probat. Oblata hac occaſione liceat & nobis quatuor proferre emendationes ejusdem auctoris. Scilicet in editione Cl. Clerici p. 534 pro: *Lectis*

epiſtolis

epiſtolis tuis, multo modo permotum affectum lacrymis tenere non potui; legendum videtur: *Lectis epiſtolis tuis fraterno permotus affectu lacrymas tenere non potui.* Ibidem paulo poſt reſcribimus: *pio deſiderio tui.* Scribit enim ad ſororem, quam amare *pium* vocant Latini ſcriptores. Editum eſt ita: *pro deſiderio tui.* P. 539 pro *tangentur apoſtoli*, legimus: *jungentur apoſtoli.* Denique p. 541 reponimus hæc: *ut iſtis non inopinatum eſſet.* Sed redeamus ad Autorem noſtrum, qui, interjecta Cl. Bentleji ad ſe ſcripta epiſtola, Tibulli elegias emaculandas ſuſcipit p. 44 ſqq. Inter hujus emendationes facile palmam meretur illa, qua hæc reponi verba jubet: *Somnumque petebat ſecuras aries, dux gregis, inter oves.* Vulgo edita ſunt hæc: *ſecurus varias dux gregis inter oves.* P. 61 Phædri fabulas perluſtrat oculo Critico. In hujus lib I fab. 16 ita refingit verſum primum: *Fraudator homo aliqua rogans ſponſore improbo.* P. 70 duas e Floro tollit mendas: p. 71 ſqq. plures Silii Italici locos vel illuſtrat vel emendat. P. 76 nonnulla emendat in Philoſophumenis, quæ Origenis nomine inſcripta autorem habere Didymum Alexandrinum, aſſentitur Cl. Heumanno, qui hanc ſententiam primum propoſuerat in his Actis A. 1710 p. 165 ſqq. Reliquas paginas Æliani Variis Hiſtoriis, Callimachi Fragmentis, ac Menandri & Philemonis Reliquiis emendandis tribuit.

BREVIS INTRODVCTIO IN NOTITIAM Legum Nauticarum, & Scriptorum Juris Reique maritimæ.

Lubecæ, apud Petrum Bœckmannum, 1713, 8.
Plag. 10.

INcipit Autor noſter Anonymus, qui ſub litteris A. L. D. latere voluit, c. 1 *de Scriptoribus, qui libros ad jura ac negotia maritima ſpectantes enarrarunt.* Ubi poſt eos, qui in genere Scriptorum Juridicorum notitiam exhibuerunt, nemo comparet, præter Thurmannum, JCtum Hamburgenſem, qui in Novis Litterariis Germaniæ A. 1703 *Bibliothecam Mercatoriam, Maritimam & Nauticam* promiſit, ſed morte præventus præſtare non potuit, unde præter *Bibliothecam Cambialem* nihil ejus hactenus prodiit. Antiquiſſimæ vero ex nauticis legibus ſunt *Rhodiæ*, de quibus c. 2. Earum collectio

lectio a Voluſio Mæciano confecta jam Antoninorum temporibus adfuit, nec tamen illa eſt, quæ ſub calcem Tomi II Juris Græco-Romani exhibetur. Hanc quippe *νόθειας* poſtularunt multi Viri docti, ubi tamen Autor noſter media via incedendum eſſe putat, & Harmenopulum earundem Autorem eſſe ſtatuit. Ediderunt eas Schardius, Leunclavius, Vinnius, Fabrottus, illuſtrarunt vero Gothofredus, Corn. van Bynckershoek, Jac. Andr. Cruſius, Jo. Diet. Fabricius, Jo. Ramos del Malzano, Franc. Balduinus, alii præterea hinc inde in ſcriptis ſuis. Sequitur c. 3 *Jus maritimum Romanorum ac Græcorum Imperatorum*, cujus fragmenta in utroque Codice & Pandectis occurrunt, congeſta & notis illuſtrata a Petro Peckio, in quem notas conſcripſit Arn. Vinnius. In Baſilicis liber LIII huc pertinebat, ſed quia ille interiit, defectum ejus ex epitomatoribus Theodoro Hermopolita & Conſtantino Harmenopulo reſarcire poſſumus. Antiquum præterea juris maritimi monumentum eſt *Liber de Conſulatu maris*, c. 4, qui tamen non uno tempore eſt conſcriptus. Magna quippe ejus pars jam A. 1075 Romæ publicata fuit, altera temporibus S. Ludovici compoſita, poſt inſtitutum vero a Jacobo Valentiæ Rege Conſulatum, hoc titulo totus liber eſt inſignitus. Erant autem Conſules maritimi re vera maritimarum rerum Judices. Conſcriptæ quidem iſtæ leges ſunt antiqua lingua Hiſpanica, & Barcinone A. 1502 & 1592 editæ, verſæ vero ſunt in linguas, Italicam, Venet. 1549, 1566, 1584, 1599, 1612, Gallicam a Franc. Mayſſono, Maſſil. 1577, & Belgicam a Weſterwerno Lugd. Bat. 1704. Latine eas vertit Daniel Fiſcherus, Conſul Roſtochienſis, cujus laborem etiamnum hæredes ſervant; & noſter Autor, ſed tantum, ut videtur, in privatos uſus. *Jus Wisbyenſe* c. 5 nomen habet ab urbe Gothlandiæ, quæ inſula eſt Maris Balthici, Wisby. Floruit illa urbs vel maxime mercaturæ gloria, ac proinde communi nautarum & mercatorum conſenſu ibidem jus iſtud eſt conſtitutum. Neque tamen uno eodemque tempore id factum eſſe credibile eſt, ſed potius pro temporum & circumſtantiarum varietate varie quoque eſt interpolatum. Uſi autem ſunt eo omnes, qui in mari Balthico mercaturam exercuerunt, indeque nata ſunt jura, tum Hanſeaticum, tum Lubecenſe. Scriptum eſt dialecto Saxoniæ inferioris, ab Hadorphio Holmiæ 1689

Digitized by Google

editum: in Miſnica exhibet Marquardus in opere de Jure Mercatorum. Adſunt quoque verſiones, Belgica *in de Boek der Zeerechten*, Amſtel. 1698, Gallica apud Clairacum in libro, *Les us & coûtumes de la mer*, & Anglica, in libro, *a general Treatiſe of the Dominion of the Sea:* Suecica Hadorphii, & Latina Autoris, ſed nec edita, nec edenda. *Jus Oleronenſe* c. 6 ab Olerone, Gallici maris haud Rupella procul inſula, in Gallia & adjacentibus terris nomen obtinuit. Conſcriptum eſt ſeculo XII, aliis Eleonoram Guiennæ Duciſſam, quæ poſtea Henrico II Angliæ Regi nupſit, aliis vero filium ejus Richardum pro illius Autore habentibus. Editæ autem ſunt iſtæ conſtitutiones in iisdem libris, Gallico & Anglico, quorum jam modo mentionem fecimus. *Weſtcappellenſes leges*, de quibus c. 7, nomen ab urbe Zeelandiæ olim non ignobili, jam vero vico admodum exiguo, habentes, a paucis admodum memorantur. Exſtant autem in Boxhornii Chronico Zeelandiæ, ex quarum inſpectione Autor oſtendit, eſſe ipſas leges Wisbyenſes in Belgicum ſaltem ſermonem traductas. Inter nautica jura recentiorum temporum primum locum obtinet *Hanſeaticum* c. 8, quod ex variis Receſſibus ſocietatis & privilegiis Regum & Principum olim conſiſtebat. Poſtea A. 1614 vernacula lingua *Jus Nauticum Hanſeaticum* prodiit, quod commentario illuſtravit Reinholdus Kuricke, in alias vero linguas Gallus, Anglus, & Belga jam laudati traduxerunt. *Lubeca*, ut longo ab hinc tempore juſtitiæ laude fuit clariſſima, ſic & hac in parte recte officio ſuo functa eſt. *Jus* enim *Lubecenſe* c. 9 antiquiſſimum, A. 1586 typis expreſſum, integro libro ſexto nauticas conſtitutiones dedit, quæ tamen nullum hactenus habuerunt interpretem. Caput denique 10 variarum legum notitiam tradit, earum nempe, quas *Carolus V*, *Philippus II*, *Galli*, *Hiſpani*, *Angli*, *Dani*, *Sueci*, *Pruſſi*, *Veneti*, *Belgæ* & *Hamburgenſes* conſtituerunt, quas tamen omnes attingere nimis prolixum foret. Sequuntur c. 11 ſcriptores, qui *de navium ſtructura*, *arte navigandi* & ſimilibus egerunt, ubi omiſſis iis, qui de rebus maritimis theologice & phyſice ſcripſerunt, ii ſaltem Autores memorantur, qui de Architectura navali, Lexica Nautica, de navigandi arte, & ſcientia Hydrographica, quo præcipue pertinet mapparum hydrographicarum ſcientia, aliquid in publicum prodiderunt. Qui *litterarum humaniorum*

Digitized by Google

maniorum ac hiſtoriarum luce res nauticas illuſtrarunt, c. 12 occurrunt, & huc pertinent ex antiquis Apollonius Rhodius, Valerius Flaccus, Vegetius, ex recentioribus Bayfius, Giraldus, Calcagninus, Doletus, Schefferus, Senftlebius, & alii. Latino carmine res nauticas exhibent Giannetaſius & C. Eraſmus Michaelius Lætus. Navalem hiſtoriam contexuerunt Cl. Bartholomæus Moriſotus & Th. Rivius, quibus addi poſſunt Periplorum & Hodœporicorum ſcriptores. Sequuntur c. 13 ii, qui *doctrina civili nautica illuſtrarunt*, aut *conſiliis* commercia maritima & militiam maritimam magis promovere ſtuduerunt, c. 14, qui *ſyſtemata & compendia juris maritimi* ediderunt, ut Stypmannus, Loccenius, Molloy, c. 15, qui *ſpeciales juris materias tractarunt*, ut de jure navigandi, & dominio maris ſeu ejus vel libertate vel ſervitute, de perſonis nauticis, de mari, portubus, fluviis, inſulis, alluvionibus, aggeribus; item de ſubmiſſione velorum, de jure piſcandi, vectigalia maritima imperandi, merces ſiſtendi easque ponderandi, bona naufragorum colligendi & de angariis; de navibus earumque jure, de fœnore nautico, de locanda & conducenda nave, de excurſionibus maritimis, de aſſecurationibus &c. & tandem c. 16 ii, *qui ſcriptis ſuis multa juris nautici capita inſeruerunt*, aut illa Reſponſis, Conſiliis, Quæſtionibus illuſtrarunt. Quorum omnium ſi aliquem recenſum facere vellemus, integer nobis libellus eſſet deſcribendus. Sufficit nos aliquam ejus notitiam Lectoribus propinaſſe.

DE LA CONNOIÇANCE ET L' AMOUR de Dieu.

h. e.

DE COGNITIONE ET AMORE DEI, UNA cum arte afflictionibus hujus vitæ recte utendi; Autore R. P. D. F. LAMY, Benedictino.

Pariſiis, apud Johannem Mariettum, 1712, 12 maj.
Plag. 14.

AUtor non incelebris, Myſticorum deliciis captus, amoris, quo Deum nos proſequimur, profunda, quæque alibi parcius videri poterant evoluta, ſcrutatur, admixtis ſæpiſſime iis, quibus ſuis

inprimis partibus ſacrorumque profeſſioni inſervit, vel delicatum nimis in Myſticos affectum prodit. Amorem ſimul vocare viam ad vitam æternam, non veretur, Præf. §. 3, qui eundem, quem dixi, amorem cum cognitione pro modo facillimo omniumque maxime ſecuro venditat, perveniendi ad perfectionem & felicitatem l. c. Multum intereſſe Deum amantium ait, veram de Deo concipere ideam, quam tum demum adeſſe putat, ſi Juſtitiam ſubſiſtentem, æternam & immutabilem nobis ſiſteremus. Præf. §. 18 & p. 56. ſeqq. In negotio univerſo ſapere ex ſe minime, quin, quæ alii potius experti, referre voluit, quo nomine Auguſtinum perpetuo fere excerpit. Præf. §. 20.

Tractationem operis ingreſſus de Cognitione primum, tum vero quoq; de Dei amore agit, ut Rhetorem ſæpiſſime agat, verbisque cumulatiſſime ludat, Auguſtino, quod dixi, ferme ubique intentus, quem etiam *hominibus* ſuis *raris*, quod Myſticorum ibi elogium eſt, accenſuit, Kempiſioque, Taulero, Thereſiæ & Catharinæ Genevenſi junxit p. 8. Verum, quem commendat amorem, per febrim alicubi amoris continuam, eamque aggraveſcentem deſcribit, morbumque peregrinum vocat, quandoquidem in nunquam viſa, nunquam audita tanto feramur affectu p. 24. Sic vere amantes etiam in ecſtaſi quaſi aliquando ponit, ſcientiaque & inſtructione vacuos quandoque memorat p. 26, quibus amor deſiderium moriendi inſpiret, quorſum corpus illud mortis Rom. VII, 24 refert, a quo ſcilicet morituri liberari vellent. p. 33, 35. Amoris ſui objectum ſolum conſtituit infinitum p. 41, 44, quem inſuper ab imaginatione diſtinguit & liberat p. 47, & Dei ideam, confugiens inprimis ad illius attributa, Veritatem, Sapientiam & Juſtitiam, denuo urget, p. 61, 68. Solida expoſitione indiget aſſertum: ſine amore nos nihil habere vere veri & perfecti, nil virtutis & pietatis, nil bonorum operum, quæ cœlum mererentur; quaſi ulla opera, ſi vel amore turgeant, huc usque aſſurgerent. *Solum* DEI amorem poſſe deſtruere autumat peccatum & vitioſas propenſiones, hinc ipſum peccatum per averſionem a Deo, & converſionem ad creaturam (quaſi ad quamvis creaturam converſus, ſtatim etiam averteretur a Deo) deſcribit p. 85. Eſſentiale & formale peccati bene diceretur p. 88 prava voluntas in corde, modo mala etiam involuntaria

Digitized by Google

luntaria pro peccatis haberentur. Sola charitas, allegato Bernhardo, lex dicitur eſſe Dei convertens animas, & fiducia adeo etiam in Deum per amorem deſcribitur p. 92, 118. Spiritus ſervitutis, Apoſtolo memoratus, legis antiquæ, & amori oppoſitus fuiſſe fertur, quare & inflexibilitas & indocilitas ſub lege veteri (ut loquitur) viventibus haud obſcure tribuitur p. 129 ſeqq. Pœnitentia per zelum ſatisfaciendi DEO pro offenſis deſcribitur p. 133, omnis in amore & religio & cultus ponitur p. 154. Imo ſpiritus pro nobis interpellans etiam pro amore habetur, a Spiritu S. excitato p. 163. Fides hic exulat ubivis. Tres myſticorum viæ commendantur p. 175. Per amorem ad perfectionem nos pervenire, ungi, vivere, amota fide, poſſim perhibetur p. 181, 215, 217, ut adeo vel ſic edoceamur, cauto hic & circumſpecto conſilio opus eſſe, ſicubi lectioni Librorum ejusmodi myſticorum accingamur.

THE HISTORY OF IMAGES, AND OF IMAges-Worſhip, ſhewing the Original and Progres of Idolatry.

i. e.

HISTORIA IMAGINUM, EARUMQUE CULtus, monſtrans Originem & Progreſſum Idololatriæ inter Paganos, Judæos, & Chriſtianos. Addita eſt Refutatio Concilii Nicæni ſecundi, aliorumque Idololatriæ Advocatorum; Autore Rev. D. JACOBO OWENO.

Londini, apud J. Parckurſt & J. Laurentium, 1709, 12 maj.
Alph. 1.

INter omnes, quæ Lutheranis cum diſſentientium cœtibus intercedunt, controverſias haud minimam eſſe, quæ de imaginibus illarumque agit cultu, rerum Eccleſiaſticarum gnaris haud incognitum eſſe poteſt. Multis enim abhinc annis tanta animorum agitata fuit vehementia, ut ipſis etiam templis imaginibus ornatis bellum quaſi illatum fuerit. Teſtatur id hiſtoria Iconoclaſtarum, a Maimburgio Gallice expoſita, motuumque tempore Reformationis a Caroloſtadio excitatorum. Cumque, ut fieri ſolet, partes ad concordiam redire non potuerint, aliis exceſſu, aliis defectu

peccantibus, noſtri Theologi operam dederunt, ut media incedentes via, juſtum imaginum retinerent uſum. Edidit hunc in finem B. D. Danhauerus A. 1665 Iconothetem Chriſtianum Adiaphorum, Libertatis vindicem, medium inter Idoloplaſten, Idolicolam Tridentinum, & Iconoclaſten Mahometico-Puritanum. Quo in libello nervoſe, ut ſolet, probat, Lutheranos mediam hac in controverſia tenuiſſe viam, ſecutos Concilium Francofurtanum Caroli M. tempore habitum, quod Synodi ſecundæ Nicænæ reprobavit Canones. Lutheri ſententia de imaginibus legi poteſt Tom. I Isleb. p. 89, Tom. IIX Witteb. p. 168. 457. Tridentinam legem ſolide Chemnitius in Exam. Concil. Trid. Part. IV p. 57 confutat. Inter Reformatos eminent Spanhemius, Dallæus, & qui inſtar omnium eſſe poteſt, Forberius a Corſe, in Inſtructionibus Hiſtorico-Theol. lib. VII Cap. 6. Sed ad *Owenum* veniamus noſtrum, quem, cum plurimum temporis Antiquitatum ſacrarum impendiſſet ſtudio, tantam adeptum eſſe ferunt ſcientiam, ut ſumma cum promptitudine, nec minori judicio, cujusque ſeculi & doctrinam, & praxin explicare potuerit. Conſtituiſſe quoque ante obitum, præcipua Chriſtianæ doctrinæ Capita methodo hiſtorica illuſtrare, (credebat enim Vir doctiſſimus, hanc exponendi viam utiliſſimam eſſe, qua tanquam in tabula veritas, illique oppoſiti errores ſimul proponi poſſent) elaboraſſe quoque ſpecimen, quod *Hiſtoriæ Ordinationem* vocarat, ſed mutato conſilio in ejus locum ſubſtituiſſe *Hiſtoriam* hanc *Imaginum*, quam vivus, teſte *Carolo Oweno* (qui & vitam ejus nuper excudi curavit) abſolverat, poſt mortem demum editam. Cauſam ſcribendæ hujus Hiſtoriæ ipſe teſtatur fuiſſe Reformatarum Eccleſiarum luctuoſiſſimam ubique faciem, quæ Anglos movere debeat, ut ad Deum converſi, Idololatriam Papiſticam ſerio abominentur. Totus liber in quatuordecim diſpeſcitur Capita. *Primo* indicat, ſe non ſine indignatione obſervaſſe, libros ſacros in Anglia variis picturis & imaginibus, Salvatoris, Apoſtolorum, aliorumque exornari, imo publicarum precum libros (*the Common-Prayer Books*) ab anno 1660 impreſſos imagines tales in fronte gerere. Occurrit heic excuſationi nonnullorum, imagines ſcilicet ejusmodi ad excitandos pios orantium motus eſſe appoſitas, oſtendens, minime illas ad hunc uſum ſufficere, & pietatem non aliter, quam juxta

Scripturam

Scripturam S. eſſe colendam, qua neglecta imaginationem noſtram vagari ait & peſſime decipi. Hinc Judæos, obſervante Philone, adeo imagines abhorruiſſe, ut vitam potius omittere, quam Idolorum formas tolerare voluerint. Provocat inde ad legem divinam, Exod. XX, 4, Deuter. IV, 15, 16. Præcipuum vero ejus argumentum, quo ad impugnandum imaginum cultum utitur, in hoc conſiſtit, quod Deus nusquam poni illas mandarit, ſed potius in Lege prohibuerit: Chriſtus vero in N. T. duo ſaltem inſtituerit Sacramenta, quibus pii, ad excitandam fidem ejusque exercitia, uti debeant. Præterea periculoſum eſſe uſum imaginum, quod poſt lapſum natura humana ad Idololatriam nimis ſit proclivis. *Secundo Capite* fatetur quidem, in libris quibusdam inſculptas imagines videri, ſed & hunc morem, ait, eſſe prohibitum, quod ex trigeſimo quinto Confeſſionis Anglicæ conſtet Articulo, ubi probat, Autores Homiliarum magna cum cura interdixiſſe uſum imaginum. *Tertio Cap.* oſtendit, Idololatriam Ethnicorum ab imaginibus ortum traxiſſe, quod Paulus Rom. I, 18 ſeq. taxarit. Plinium quidem Lib. XXXIV, c. 4 Hiſt. Nat. nil certi de ortu illarum tradere, mentionem tamen facere imaginis, quæ Romæ Cererem repræſentarit. Tertullianum autem ſtatuere, Imagines & Idololatriam ante diluvium fuiſſe, quod aliquot S. Scripturæ locis probat, adjuncto teſtimonio ex Alcorani & Zoar. XXXI. Non prætereundum quoque putat, ſaniores Gentilium adorationem imaginum ignoraſſe, ubi haud vulgaria ex Ethnicorum Chriſtianorumque profert Scriptoribus. Quo loco & Cl. Joh. Albertus Fabricius conferri poterit in Bibliogr. Antiq. Cap. IIX p. 256. Quam ſerio populum ſuum a ſocietate ethnicorum ſemper ſeparatum eſſe Deus voluerit, quod multæ eo nomine datæ teſtantur leges, & quam enormiter Judæi imaginum cultu ſe polluendo peccarint, manifeſtum fit e *Cap. IV*, ubi originem & progreſſum Idololatriæ iſtius expendit, initio ſumto a vocatione Abrahami, & progrediendo ad erectionem vituli aurei; ſtatuitque Autor, conjunctum fuiſſe hunc cultum cum cultu ſtellarum. Examinatis ita & refutatis erroribus Gentilium & Judæorum, ad cultum imaginum penes Chriſtianos progreditur *Cap. V*, tantoque eos gravius peccaſſe docet, quanto majori Evangelii luce fuerint colluſtrati. Sed videtur doctiſſimus Owenus ἀμετρίᾳ ἀνθολκῆς

abreptus

abreptus omnem plane imaginum uſum, etiam hiſtoricum,in templis damnare, quo ante ipſum alios e Reformatorum cœtu prolapſos eſſe, novimus; Bezam maxime, cujus nota vox eſt in Colloquio Mombelgart. f. 418: *Fateor, me ex animo crucifixi deteſtari imaginem*; cui Richardus Montacutius in Origin. Eccleſ. Tom. I ita reſpondit: *Impie in Colloquio Mombelgart. Beza locutus eſt. Contra profiteor, idque ex ſententia Antiquitatis & Eccleſia Anglic. me ex animo imaginem crucifixi amplecti & uſurpare.* Quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus, ut conſtet, non eandem in Eccleſia Anglicana de Imaginibus ſemper fuiſſe doctrinam. Sed ad Noſtrum revertamur. Putat is, Chriſtum extra unionem cum divina natura conſiderari non poſſe, adeoque neque fingi neque pingi debere; quodſi quis objiciat, per ſe tamen ſecundum humanam naturam pingi, reſpondet, ſic Neſtorianiſmo locum dari. Chriſtum oculo fidei, non corporali eſſe reſpiciendum: per imagines adorantibus falſas de Deo imprimi ideas. Gnoſticos illis locum conceſſiſſe, indeque ad Carpocratianos veniſſe; probari non poſſe, Pilatum Chriſti ſtaturam & formam pictoris effingi manu curaſſe. Circa annum quadringenteſimum ſuperſtitioſos homines incepiſſe adorare imagines, quibus ab Auguſtino fuerit contradictum. Quinto ſeculo introductas quidem eſſe in templo imagines, nondum tamen adoratas. In Concilio Eliberiano circa initium quarti ſeculi, cultum eſſe prohibitum, quod e Canone 36 conſtet. Epiphanium, Chryſoſtomum, Amphilochiumque fortiter reſtitiſſe, ne in templis tolerentur imagines, donec Concilium II Nic. & cultum & uſum conceſſerit & mandarit. Circa annum ſexcenteſimum variis in locis adorationem imaginum viguiſſe quidem, ſed Serenum Maſſilienſium Epiſcopum indignitate rei motum illas fregiſſe, & e templis ejeciſſe, quod illo tempore etiam fuerit approbatum: quamvis mox prætextu miraculorum & viſionum inſtitutum hoc impeditum & ſuppreſſum fuerit, quod Egwini Epiſcopi Worceſtrienſis probat exemplo, qui jurejurando affirmavit, monitum ſe eſſe in ſomno, ut imaginem Mariæ in templo collocaret. Cumque nec viſiones nec miracula ad ſtabiliendum ſuffecerint hunc cultum, conatos eſſe imaginum patronos ad Conciliorum autoritatem, tanquam ſacram ancoram confugere. Quo vero ſucceſſu illud factum ſit,

Digitized by Google

ſit, *Cap. VI* exponitur, initio ſumto a Concilio Generali Septimo, quo cultus iſte approbatus, mox vero in Concilio Nicæno ſecundo defenſus & mandatus fuerit. Quæ de Concilio Judaico, in Hungaria haud procul ab urbe Buda A.1650 die Octobr.22 habito, recenſet, artes Pontificiorum manifeſtant. Convenerant Judæi deliberaturi, quid tandem ipſis poſt tam longam a Nativitate Chriſti captivitatem faciendum? cumque alii Meſſiam veniſſe dicerent, alii id negarent, poſt longinquam altercationem admiſſi ſunt, quos Pontifex Rom. ad Synodum delegaverat, inter quos erant duo Jeſuitæ, totidem Franciſcani & Auguſtiniani, qui Judæos docerent, quam doctrinam Chriſtus diſcipulis præſcripſerit ſuis. Sed hi neglecta Evangelii doctrina ſollicitarunt Judæos, ut gremio Eccleſiæ Romanæ ſe committerent, quæ ſola regulas & præcepta Chriſti poſſideret, cujusque Vicarius ſit Papa, cumque ulterius Transſubſtantionem, invocationem B. Virginis & ſanctæ crucis urgerent, congregatio in tumultum vertit, clamantibus Judæis: Non Chriſtus, non virgo Deus, non imagines, blaſphemia, blaſphemia! Petiiſſe quidem Judæos, ut e Proteſtantibus Viri docti ad Synodum venirent, ſed res ita erat compoſita, ut præter Pontificios nemo admitteretur. Oſtendit deinde, A. 726 Leonem Iſaurum, Imp. Conſt. publico edicto juſſiſſe imagines e templis eliminari, & A. 730 convocato Concilio interceſſionem Sanctorum cum cultu imaginum & reliquiarum fuiſſe prohibitam, ſed Imperatori ab aliis fuiſſe contradictum. Quæ A. 763 ſecuta ſint, exponens, ridet Baronium, irruptionem Turcarum hoc tempore factam abrogato imaginum cultui adſcribentem. Diſceptatum deinceps fuiſſe ait in utramque partem de imaginum cultu, habitis aliquot Conciliis, A. 769 ſub Stephano ſecundo, A.780 ſub Leone IV Imperatore, donec tandem famoſum illud Nicænum II ſub Conſtantino ejusque matre Irene fuerit inſtitutum, quo Patres lege cultum imaginum ſanxerunt. Et duo quidem in hoc Concilio idololatrico notat, primo, quod titulo concilii generalis ſeptimi ſuperbire voluerit, deinde, quod Concilium Conſtantinum ſextum, in quo 338 Epiſcopi imaginum cultum rejecerant, condemnarit, cum tamen Sextum hoc Concilium majori jure Generale ſit appellandum quam Nicænum II. Non negari poſſe, Nicæno huic 350 interfuiſſe Epiſco-

poſ, ſed cum Epiſcopi Eccleſiæ Meridionalis calculum ſuum illi non adjecerint, & inter ipſos Pontificios de autoritate ejusdem nondum conveniat, non magni illud eſſe æſtimandum. Quæ de actis Concilii hujus, ſex Tomis incluſis, habet, dimidiam libri partem & ultra conſtituunt, ſed cum ordine omnia excerpi non poſſint, ſtrictim præcipua ſaltem ſeſſionum (numerantur vero octo) momenta notabimus. Præfixa eſt Actis Epiſtola Gregorii ad Leonem Iſaurum, in qua acerbiſſime Imperatorem hunc tractat, ipſique omne in Eccleſiam jus abjudicat, quod ſoli Pontifici competat. Literæ hæ ut tumidum Paparum produnt animum, ita multum differunt a ſtylo aliorum Gregoriorum, Gregorii videlicet Thaumaturgi, Gregorii Nyſſeni, Gregorii Theologi, reliquorumque Eccleſiæ Patrum. Eo enim proceſſerat Gregorii hujus impotens animus, ut comminaretur, ſe Imperatorem Satanæ poteſtati velle tradere. *Septimo & octavo Cap.* pluribus exequitur, quæ de origine Concilii II, ut & de diſſenſu Imperatoris & Epiſcoporum ſupra commemorare inceperat, prolatis teſtimoniis, quibus idololatriam tueri voluerint, quibus Autor opponit refutationem. Seſſione quinta literæ Simeonis Stylitæ ad Imperat. Juſtinum proferuntur, quibus ipſum ad puniendos Samaritanos, qui imaginem quandam Chriſti & B. Virginis deſtruxerant, hortatur, aſſeverans, ſi puniantur, qui imaginem Imperatoris male tractaſſent, ſeveriori longe pœna coercendos eſſe, qui Chriſti, ejusque Matris imaginem dehoneſtaſſent. Pergit Owenus & reliquorum argumentorum Iconolatrarum imbecillitatem oſtendit, rejiciens miracula, quæ jactare ſolent, ut ficta, ridicula, imo impia, nec fidem illis eſſe tribuendam probat, cum relationibus monachorum nitantur; notum enim eſſe, quanta fraus illis ſubeſſe ſoleat, quod exemplo Mariæ, monialis Ulyſſipponenſis probari poſſit. Improbat hic iterum Concilii Nic. II decretum, quo imaginem Filii Dei formari, inque templis poni approbant. Quod, uti ſupra notavimus, Noſter æquo animo ferre non poteſt, ſtatuens, Chriſtum θεάνθρωπον, neque in ſtatu (ut vocatur) exinanitionis, qui ceſſarit, neque exaltationis, qui ab imbecillitate noſtra comprehendi nequeat, pingi poſſe, & quamvis civilem imaginum uſum non tollat, ſacrum tamen nullo modo concedit, cum, ut ipſe ſentit, Chriſto non alius ſemet repræ-

ſentandi

Digitized by Google

ſentandi modus placuerit, quam qui in Sacra Cœna credi debeat. Sed & hic Autor rigidiorum Reformatorum partes ſequi videtur, dum in S. Cœna & Baptiſmo nil præter ſigna memorativa (ut Theologi vocant) agnoſcit. Seſſiones duas ultimas *decimo* exponit *Capite*, & *undecimo*, oppoſitis Conſtitutionibus Concilii Conſtantinop. quas ſueta pertractat methodo, obſervans & Græcorum & Romanorum perverſam Concilia, a quibus diſſentiunt, ſupprimendi vel corrumpendi rationem, quod exemplo Concilii Gentiliani, & operis Carolini conſtet. Genium denique Irenes ad ſuperſtitionem & alia vitia pronum, quod ipſi non diffiteantur Pontificii, vilem Concilii Nic. autoritatem manifeſtare poſſe putat, unde nec ab Anglic. Eccleſia unquam, nec a Carolo M. in Concilio Francofurt. fuerit probatum. Ultimis *Capp. XII, XIII & XIV*, quis in Oriente tunc fuerit ſtatus, ordine exponitur. Horrendum terræ motum aliasque divinam vindictam præſagientes pœnas obſervatas tunc fuiſſe. Nicephorum Imperat. ſeſe oppoſuiſſe huic cultui, ſed a Monachis impudentiſſime fuiſſe vexatum. Secutum hunc eſſe Michaelem Curopalatem, qui imperium Leoni Armenio tradidit, quo tempore cum pro ejiciendis, tum erigendis imaginibus fuerit pugnatum. Græcos ait modeſtiores fuiſſe Latinis, optandum tamen eſſe, ut Græci hoc tempore e templis ſuis eliminarent imagines; notatque imprimis Ruſſos, qui paſſim in ædibus collocent imaginem Nicolai ſui, quam nudato intueantur capite, terque ſigno crucis repetito, corpus verſus imaginem inclinent, orantes: *Domine miſerere mei*; quo facto demum dominum ædium ſalutent. Ceterum Autor in libro hoc, & cultum imaginum impugnare, & ſimul Pontificum Rom. inſolentiam verſus Imperatores piosque Eccleſiæ Doctores manifeſtare ſatagit. Quo nomine, quæ inter Gregorium IV & Ludovicum Pium, ejusque filium acta ſunt, recenſet, oſtendens, cum poteſtate Pontificum cultum imaginum pariter creviſſe, tantamque fuiſſe Pontificum tyrannidem, ut Epiſcopi quidam in Italia Synodalem Epiſtolam ad Photium & Eccleſias Orientales miſerint, qua de ſexcentis Pontificum conqueſti fuerint flagitiis, adjectis totidem obteſtationibus, quibus palam profitebantur, ſcriptam eſſe Epiſtolam non aliam ob cauſam, quam ut ad avertendam iram Dei, ſerio & mature de remediis tantorum malorum cogitare

gitare velint. Cumque in Oriente Idolatria ita creverit, non mirandum eſſe ait, quod & Eccleſias Occidentales labes iſta infeſtarit, quamvis nunquam defuerint, qui totis viribus obſtiterint. In Anglia Scotum, Rhabanum Maurum, in Hiſpania Elipandum Archiepiſc. Toletanum, in Germania Walafridum, in Gallia vero Jonam Epiſcopum Aurelianenſem, & Abogardum Epiſcopum Lugdunenſem, pugnaſſe contra cultum imaginum, accenſendos hiſce eſſe Waldenſes, & Albigenſes. In veteri Waldenſium Catechiſmo adorationem imaginum rejici. Provocat tandem ad antiquiſſimum paucisque notum librum, cujus exemplar manuſcriptum penes Waldenſes exſtet, quique A. 1120 ante Waldum de Anti-Chriſto ſcriptus cultum imaginum rejiciat. Libro hoc, quod notas Anti-Chriſti explicet, Pontificios adeo concitatos fuiſſe, ut Waldenſes, quique illos ſequuntur, internecino perſequi odio non deſiſtant. Dolet demum, iterumque queritur de infelicitate temporum, quod non ſine animarum damno imaginum uſus in Angliam irrepat, cumque voto, ne ſpolia hæcce Ægyptiaca in aureum tandem conflentur vitulum, librum finit.

AN ACCOUNT OF THE SOCIETY FOR PROPAGATING the Gospel in Foreign Parts.

i. e.

RELATIO HISTORICA SOCIETATIS DE Propagando Evangelio in locis Trans-marinis, munitæ Privilegio Regis WILHELMI III, una cum ſucceſſu ſperandoque progreſſu ſub Regia Majeſtate ANNÆ, feliciter regentis.

Londini, apud Joſephum Downing, 1706, 4.
Plag. 13.

CUm de Danorum in India Orientali ad Paganos, & Anglorum ad Pontificios in Hibernia convertendos ſtudio nupero menſe Majo dictum fuerit, non erit abs re, ut hujus quoque libri, quamvis jam ante aliquot annos editi, & Gallice quoque verſi, mentionem faciamus, quo pariter de celeberrima Societate Anglica ſub Wilhelmo III inſtituta Lectoribus conſtet. Plures enim in Anglia, præſertim

præſertim Londini, ad corrigendos mores, promovendamque pietatem, conſtitutas jam pridem fuiſſe Societates, e Johannis Wuwardi A.1698 Lond.edito libello,quem maxime ReverendusD.Jablonski Germanice vertit,pater. Nimirum,ut de hac dicamus,cum animadverterent Viri pii ac cordati, Pontificiorum Americanos convertendi rationem parum convenire Evangelii præceptis, miſeroſque homines non ad Chriſtum converti, ſed ad idololatricos cultus perduci,hinc poſtquam haud exigua pars Americæ Septemtrionalis ab Anglis detecta fuiſſet, ſerio cogitarunt,quo pacto Evangelium in illis partibus prædicari poſſit. Deſcribit vero Autor Relationis,non modo originem ardui hujus negotii,ſed & impedimenta, quæ initio ſe obtulerunt,quibus tamen non obſtantibus, ſocietas in dies creverit, & adhuc hodie perſiſtat. Fundamentum A. 1649 jactum eſſe commemorat. Tunc enim prima prodiit Conſtitutio, qua Societas tali libertate fuit donata, ut prout ipſi viſum fuerit, proſpiceret, quid incremento deinceps eſſe poſſet. Unde per Angliæ & Walliæ provincias, urbes & vicos miſſi ſunt,qui liberalium hominum ſanctas colligerent ſymbolas. Quin ipſe Rex Carolus II anno 1661 ſingulari cura in ſuſtentationem Societatis incubuit, nec tantum de Coloniarum in Nova Anglia felicitate externa ſollicitus, ut miſeri homines ad agnitionem quoque veritatis Evangelicæ perducerentur, luculenta mandata dedit. Regio hoc inſtituto plures incitati, magno ſtudio Societatem promovere conati ſunt,inter quos haud poſtremæ partes debentur *D. Jenkinſio*,qui A. 1685, cum numerum miniſtrorum ad miſſionem deſtinatorum non ſufficere obſervaret, teſtamento curavit, ut duo Juvenes ingenui ſumtibus ſuis Oxonii ad munus hoc inſtruerentur. Præcipuam tamen laudem meretur inſignis ille Eques,*Robertus Boyle*,quem Carolus II Gubernatorem hujus Societatis conſtituerat. Hic ultra ſummam ducentarum librarum Anglicarum uſui huic legatarum non tantum centum addidit libras, ſed & annuum ſalarium doctis piiſque Viris ſolvi teſtamento curavit, qui octo ſermonibus ſive,ut vocantur, concionibus veritatem religionis Chriſtianæ contra infideles quotannis defenderent. Statum inde Eccleſiæ in Nova Anglia a Non Conformiſtis turbatum fuiſſe, ſcribit Noſter, ſed mox anno 1679 lætiorem apparuiſſe, novis promulgatis Privilegiis, quibus ſta-

Digitized by Google

tutum fuit, ut Societas ex Archi-Epiſcopis, Cantuarenſi & Eboracenſi, ut & Epiſcopo Londinenſi, aliisque Politicis & Eccleſiaſticis Viris (nonaginta omnino erant) compoſita, unum quaſi conſtitueret corpus, quod in perpetuum *Societatis de propagando Evangelio* nomine gauderet, & peculiari ſigno uteretur, quin poteſtatem quoque haberet, quovis anno eligendi Præſidem, unum vel duos Vicepræſides, unum vel plures Theſaurarios, Secretarium, aliosque Miniſtros, qui jurejurando fidem ſuam Societati præſtarent. Quæ ſaluberrimæ conſtitutiones ut ſub feliciſſimo Wilhelmi III regno fuere confirmatæ, ita multis paulatim novis beneficiis Societas fuit aucta. Viderant autem Gubernatores Societatis, parum utilitatis inde proventurum, niſi dignos ad tam ſanctum munus mitterent verbi Divini miniſtros. Hinc non omnes promiſcue admittuntur, ſed ratio habetur primum ætatis, deinde accuratiſſime examinatur vitæ ratio, num cælebs ſit candidatus, quale habeat temperamentum, qua ſit prudentia, qua doctrina, quo zelo pro religione Chriſtiana, quam diligentiam poſt ordinationem adhibeat, quomodo affectus ſit erga Regimen, utque diſciplinam Eccleſiæ Anglicanæ obſervet. Et Collegium, quod in Virginia Rex Wilhelmus & Regina Maria erigi curarunt, ad optatum quidem finem non fuit perductum, interea tamen multi ex Anglia miſſi fuere, qui inceptum opus perficere non deſtiterunt. Tantus quippe Societatis erat zelus, ut etiam Germanis Miniſtris in Albania dona fuerint miſſa, quibus adjuti ardentius opus penes Indos peragere poſſent. Nec ſucceſſu caruit hæc cura, quandoquidem multi Gubernatores & incolæ incitati fuere ad exſtruenda templa, & conſtituenda ſacra ſtipendia. Immo e Quakeris aliisque perverſe de Religione ſentientibus quidam moti, Eccleſiæ Anglicanæ ſemet aſſociarunt. Cum porro metuendum eſſet, ne quinque Nationes Indorum, haud procul a finibus novi Eboraci (New-york) habitantes, Gallorum Miſſionariorum aſtutia a partibus Anglorum averterentur, viſum fuit Commiſſariis, ut duo adhuc Miniſtris reliquis adderentur, qui illos in convertendis Indis adjuvarent. Hic præ aliis laudatur Mori induſtria & pietas, qua factum, ut hactenus proni ad ſuſcipiendum Evangelium fuerint Indi. Quantum ad impedimenta, notat Autor, Indos initio alienores a

ſacris

Digitized by Google

ſacris noſtris fuiſſe, quippe affirmantes: *Non poſſe ſe credere Anglos ipſis velle locum in cœlo dare, qui inviderent locum in terra.* Quod Jeſuitæ Gallici obſervantes, omnibus viribus laborarunt, ut Indorum animos ab Anglis averterent. Enimvero Angli animum non abjecerunt, nec divino auxilio deſtituti ſunt, quippe ipſa etiam mancipia in triremibus præcepta doctrinæ Chriſtianæ admiſerunt. Et Noſter quidem, quo in ſtatu ſigillatim res in Carolina & Penſylvania ad annum usque 1704 fuerint, accurate exponit, additque Epiſcoporum quorundam & aliorum celebrium Virorum, ut Jo. Oſterwaldi, Turretini, M. Jo Jacobi Schereri, literas, quibus inſtitutum hoc magnopere commendatur. Ceterum ſigillum Societatis, in hoc ipſo opere conſpicuum, repræſentamus in Tab. VI Fig. 2. TAB. VI Fig. 2.

A VOYAGE TO THE SOUTH-SEA, AND round the World, by Captain Edward Cooke &c.

h. e.

ITINERIS AD MARE PACIFICUM, ET CIRca Orbem univerſum, annis 1708, 1709, 1710 & 1711 ſuſcepti, Deſcriptio; Autore EDUARDO COOKE.

Volumina II.

Londini, apud Wilh. Innys & rel. 1712, 8 maj.

Alph. 2 plag. 6.

Auget libri hujus pretium, quod & Autor ipſe, circumnavigato Orbe, pleraque, quæ deſcripſit, oculis uſurpavit, & adhibuit Scriptores optimos, quorum ſæpe & errores notat, adjectis inſuper Jeſuitarum, qui terras iſtas propagandæ fidei cauſa peragrarunt, chartis Geographicis. Præterea uſus fuit imprimis MSto Hiſpanico, cui tit. *Nauclerus littorum*, in quo terræ Mari Pacifico adjacentes ita deſcribuntur, ut littorum, portuum, ventorum, tum regionis ipſius, ejusque finium, ſoli, fluviorum, montium, plantarum, arborum, animaliumque ratio habeatur, deinde hiſtoria antiquior, & nonnulla de moribus populorum tradantur, ac denique, quo tempore regiones illas adierint, & qua ratione ſuæ poteſtati ſub-

ſubjecerint Hiſpani,utqueAngli ac Belgæ varias paſſim deprædationes in littoribus iſtis exerceant, ſubnectatur. Nos, quæ non ubivis forſan obvia viſa ſunt, paucis delibabimus.

Vol. I. Volumine I in deſcribendo itinere ad Mare Pacificum & accurata terrarum iſti adjacentium delineatione induſtrium ſe oſtendit. Gloriam Orbis primum circumnavigati, quam ſuo
Pag. 38. Drakio vindicant Angli, Noſter Jo. Sebaſtiano Cano, Ferdinandi Magellani comiti,tribuendam cenſet. Sharpium Anglo-
39. rum Navarchum inventorem ſtatuit viæ, qua evitato freto Magellanico, & eo, quod a detectore le Maire nomen retinet, ex Oceano
78. Atlantico Pacificum Mare hodie intrant. Gemmarum Turcicarum pretium noſtris temporibus ea de cauſa imminutum ſibi perſuadet, quod e monte Copiapo (nomen ſedem Turcicarum gemmarum notat) in terra Chili ſito immenſus fere iſtarum numerus
178. ad Europæos fuerit translatus. Minimi deinde avium generis, magnitudine apes haud ſuperantium, attamen variegatis coloribus diſtinctarum, mentionem injicit, quæ ab Indis Quenti, vel Colibri, (conf. Amerique Angloiſe p. m. 62) ab Hiſpanis Tominejos, ab Anglis autem Hummingbirds, ob ſtridorem,quem volantes edunt,
199. vocitantur. Smaragdos, gemmarum genus, ab antiquis Peruvia-
207. nis divino honore cultum,de quibus paucis hactenus,unde proveniant,conſtabat,prope Peruvianos montes Mantæ abHiſpanis primum inventos eſſe refert, quorum nimia copia in Europam advecta, valor brevi imminutus ſit; hodie tamen fodinas eorum ab Hiſpanis
242. penitus ignorari fatetur. In terris Amazonum fluvio vicinis arborem balſamum, nulli Europæorum odore & virtute inferiorem, ſudantem reperiri docet, Copayba ab accolis cognominatum.

Vol. II. Vol. II brevibus iter, quo a Californiæ littoribus Indiam Orientalem & Africam præternavigans in Angliam redux fuerit factus,memoriæ tradidit. Hic, ut, quæ ſingularia memorari poſ-
10. ſent, omittamus, initio merces, quas Occidentalis India Europæ, vel hæc viciſſim illi ſubminiſtrat, brevi tabella exponit. Inſerit de-
109. inde opus, artis nauticæ peritis maxime commendandum, Deſcriptionem nimirum Littorum, Portuum, Ventorum &c. Maris Pacifici a Portu Aquæ Pulchræ usque ad Fretum Magellanicum, ex MSto Hiſpanico, quod *Littorum Nauclerus* inſcribitur, atque duorum

duorum ſeculorum & quod excedit, uſu & experientia comprobatum fuit, Anglica civitate donatam, quam capta navi, quæ ex Aquæ Pulchræ Portu ſolverat, fatum benignius Noſtro obtulit. Tabula tandem Longitudinum & Latitudinum omnium Portuum, Inſularum atque fluviorum inde a California usque ad Fretum Magellanicum, ex eodem MSCto depromta, ad finem operis adjecta eſt. p. 319.

EXPLORATIO FUNDAMENTI, QUO DN. RENAU navis bellicæ præfectus, & in re maritima Inſpector generalis, ſuam de Opera Navali theoriam ſtruxit. Ex Epiſtola F. D. C. Abb. Vall.

ABhinc aliquot annos Dn. Renau, præfectus Navis in nauticarum rerum ſcientia maxime verſatus, quo munus ſuum impleret dignius, propoſuit ſibi ſuo ſtudio curandum, ut quod in exercitatione navali jam dudum uſus invexerat, non ars ſola comprobaret, ſed ipſa ſcientia firmaret ac perficeret. Quapropter Opuſculum, cui titulus eſt *Theorie de la Manœuvre des Vaiſſeaux*, notabile utiliſſimi operis ſpecimen, publici juris fecit. Statim atque editum eſt, multa eruditorum turba non notum ſibi ſedulo obſervavit, probatumque plauſu excepit.

Elapſo tempore, tandem eximius Geometra Hughenius, quem ab adoleſcentia de Matheſi præclare meritum, jam ingraveſcente ætate de cultu, nitore & gloria Matheſeos decebat eſſe ſollicitum, ſcrinia ſua, plurimis recentiorum Scriptorum libris plena, diligenter perluſtranda eſſe cenſuit: ne quid forſan in Mathematicorum neotericorum inventis incaute erratum aciem oculorum ſuorum in propria inventa examinanda defixorum fugiſſet. Itaque conquirenti ſibi forte obviam Renavii theoriam diſtricto examini ſubjicere decrevit. Libellum evolvit, perlegit; propoſitionem theoriæ præcipuam, quam attentiſſime ſe perpendiſſe ratus eſt, totam falſam exiſtimavit. Propterea veritus, ne quid detrimenti res navalis hinc aliquando caperet, partes autumavit eſſe ſuas, ut graviſſimum errorem, jam tacite quaſi approbatum magno veri damno, ſine mora detegeret atque confutaret. Publicato igitur ſcripto theoriam illam oppugnavit; poſitum ejus fundamentum evellere, novum jacere aggreſſus eſt.

Quæ ſuborta diſputatione Renavio objecit Hughenius, quæ Hughenio reſpondit Renavius, nerunt viri Mathematici, quibus rationes ex utraque parte allatas & typis mandatas expendere libuit. Veritas commune bonum eſt, in quod cuique jus ſuum natura ſtat. Bernullio, qui dum viveret, Profeſſor erat Baſileæ celeberrimus, eandem theoriam argumentis quoque ſuis impugnare placuit. Liceat etiam nobis palam dicere, quid de ea ſentiamus.

TAB. VI. F.g. 3. En porro præcipuus cardo, circa quem tota quæſtio verſatur. Parallelogrammi rectanguli *ABDE* (Fig. 3) duo latera *AB*, *AE* repræſentant directiones, ſecundum quas cum velocitatibus proportionalibus duæ potentiæ motrices ad mobile, cujus nec magnitudo, nec figura, ſed ſolum gravitatis centrum in *A* poſitum conſiderare hic oportet, admotæ illud eodem momento impellunt, altera verſus *B*, altera verſus *E*. Mobile ſic propulſum, nec latus *AB*, nec latus *AE* Rectanguli, ſed diagonalem lineam *AD* percurret eodem temporis intervallo, quo utrumque latus ſeparate cum velocitate proportionali conficeret. Unde ſequitur, in ſpatio materiæ fluidæ amovendæ pleno, quum reſiſtentiæ ſint inter ſe in duplicata velocitatum ratione, requiri, ut vis quadrato diagonalis *AD*, hoc eſt, ex natura Rectanguli, quadratis laterum *AB*, *AE* ſimul ſumptis æquipollens, a potentiis motricibus mobili incutiatur; proindeque ut æquali tempore non minus virium (nempe $= AB^2 + AE^2$) ſed minus velocitatis (nimirum $= AD < AB + AE$) ad ſolum motum per diagonalem conjunctim imprimendum quam ad duos motus ſeparatim imprimendos impendatur.

Omnes autem Geometræ vim ad movendum, certo tempore, ſecundum rectam *AE* vel *AB*, intra medium reſiſtens, exprimendam eſſe per quadratum AE^2 vel AB^2, uno conſenſu Dno Renau concedunt. Sed poſt Hughenium & Bernullium non pauci negant, per horum quadratorum ſummam explicari debere vim neceſſariam ad æquidiuturnum motum diagonicum ab *A* ad *B*, qui ex lateralibus motibus ab *A* ad *B* & ab *A* ad *E* compoſitus in Rectangulo a duabus ſimul potentiis intra medium plenum producitur.

Porro diſſenſio ſuper hac quæſtione phyſico-mathematica mihi videtur ex eo potiſſimum oriri, quod non ſatis attendatur, quonam modo potentiæ motrices cum certis velocitatibus intra medium

dium demovendi fluidi plenum vires ſuas ſimul eidem mobili applicatæ exercent. Patet, quum materia, ex qua omne corpus conſtat, impenetrabilis ſubſtantia ſit, nullum mobile per ſpatium plenum, dato tempore, transferri poſſe quin ſibi viam aperiat, hoc eſt, loco demoveat cum eadem celeritate tot materiæ replentis quantitates mole ac volumine ſibi æquales quot continuo ſecum ordine in ſpatio tranſeundo continentur. Corpus enim ſibi ipſi locus eſt; locum ſibi abſolute æqualem quem occupet exigit. Hinc duo neceſſe eſt concludere: Primum, ut diximus, conceſſum; nempe quod velocitas, qua in pleno mobile fertur, multiplicatur per decurſum ſpatium ipſam exprimens, ſeu quod motus intra reſiſtens medium vim quadrato velocitatis æqualem requirit: Secundum vero, hic præſertim notandum; quod moles, cui vis vel ineſt vel applicatur, non aliter ac tanquam unitas ob æquales moles de ſpatio dimovendas conſideranda eſt.

Hispoſitis, nota Cauſam ſic dici quantum ad Effectum confert; ideoque ſolum effectum in ſua cauſa ſpectandum eſſe, qui ipſius efficientiam adæquet. Non alia igitur ratione in medio ſecundum velocitatum quadrata reſiſtente, dato temporis intervallo, duæ potentiæ eidem mobili ſic ſimul applicatæ, ut dum illud una per unum Rectanguli latus movere nititur, ipſum altera per alterum latus pellere conetur; comparari inter ſe debent niſi quatenus æquivalent duabus materiæ quantitatibus ſigillatim mole ac volumine huic corpori movendo æqualibus, motusque quantitates habentibus quarum unamquamq; unitas in quadratum velocitatis ducta exprimit. Hoc quippe ſolum ad effectum quæſitum pertinet; talis motus per plenum nihil aliud in cauſa motrice ſupponit; quidquid amplius potentiis moventibus ineſſe poteſt, veluti varia pororum conformatio, ſucceſſivus particularum interiorum impulſus, &c. nullatenus motuum, determinato tempore in duplicata velocitatum ratione, molibus mobilium æqualibus imprimendorum neceſſitatem tollit. Id ergo tantum utpote quæſtionis noſtræ proprium attendamus.

Intelligantur itaque potentiæ motrices duæ *b* & *e* (exempli cauſa duæ quantitates aeris certo impetu commoti qui ventus dicitur) eſſe tales, ut cum velocitatibus per rectas *AB* & *AE* expreſſis viresque idcirco per quadrata AB^2 & AE^2 expreſſas exigentibus, ali-

Digitized by Google

quod mobile (videlicet duorum velorum omnino æqualium antennas normaliter firmiterque junctas) ſecundum easdem rectas ſeorſus propulſum paribus temporis intervallis transferre queant. Si una nimirum *b* actionem ſuam prima exerceret ab *A* ad *B* tantummodo, ſtatimque altera *e* ſuam ſecunda produceret a *B* ad *D* ita ut ipſi *AE* æquetur *BD*; mobile neceſſario ad quoddam punctum *D* intra data puncta *B* & *E* duobus temporibus æqualibus ſive duplo temporis intervallo perveniret: Vice verſa, ſi actio ipſius potentiæ *e* impreſſa duntaxat ab *A* ad *E* præcederet, & extemplo alterius potentiæ *b* actio incuſſa ab *E* ad *d*, ita ut *Ed* ſit = *AB*, ſuccederet: Dico, easdem præciſe vires movendo inſumi, idem tempus conſumtum iri, punctum *d* idem atque *D* neceſſario fore; ſpatia namque in medio pleno peracta *AB* & *BD* ex una parte, *AE* & *Ed* ex altera, ſunt manifeſto reſpective ſibi parallela & æqualia. Jam vero concipiantur illæ duæ potentiæ motrices *b* & *e* eodem momento mobili *A* applicari, tunc utravis erit ad movendum prima ſimul & ſecunda; tunc ergo non alius fiet impulſus quam ſi alternis vicibus impellerent; quum tota differentia in tempus ſolum cadat, quod ſimplex dabitur ob impulſionem communem, non vero duplex propter duas impulſiones ſucceſſivas. Cujus conſequenter impulſionis communis terminus ipſum eſt punctum *D* ſic inter puncta *B* & *E* reſpectu puncti *A* poſitum ut rectarum *Ed* & *Bd* ipſis *AB* & *AE* parallelarum interſectio ſit, atque ideo rectanguli *AEDB* diagonalem *AD*, propulſi mobilis viam, determinet. Atqui ex proprietate Rectangulorum, diagonalis lineæ quadratum quadratis laterum ſimul ſumtis æquale eſt; vis igitur ad materiam a diagonali amovendam neceſſaria ſummam virium materiæ de lateribus Rectanguli ſeparatim æquali tempore dimovendæ idonearum adæquat. Talem virium ſummam potentiæ *b* & *e* ſimul habent. Quid, quæſo, impedit quominus ab *A* ad *D* conjunctim moveant tam prompte quam ipſarum una ab *A* ad *B* vel altera ab *A* ad *E* ſeparatim moveret? movebunt ergo: Quod erat propoſitum.

Inſuper, cogitemus rectas *AE* & *AB* rectum angulum conſtituentes omnibus datis ſimilibus eſſe minores. His exprimentur enaſcentes potentiarum *e* & *b* conatus movendi momento temporis quantumvis brevi ab eodem puncto dato *A* ad diverſa fixa *E* & *B*.

Atqui

Atqui dum potentia *e* movere ad terminum fixum *E* nititur, ſtatim a recta *AB* per fixum quoque terminum *B* tranſeunte retrahere incipit. Pariter potentia *b* quo niſu ad movendum per punctum fixum *B* diſponitur, eodem a recta *AE* ad punctum fixum *E* terminata retrahat neceſſe eſt. Duo igitur illi conatus ad diverſa puncta fixa tendentes ſeſe mutuo impediunt. Unde efficitur ut mobile his impulſionis niſibus affectum neque ad *E* neque ad *B* perveniat. Sed quoniam inde neceſſario reſultat ut a momentanea impellendi centrum *A* per ſpatiolum *AB* actione urgeatur in *BD*, cui parallelum & æquale eſt ſpatiolum *AE*, altera actio iſochrona impellendi idem centrum *A* per illud ſpatiolum *AE*; & ſic reciproce eodem inſtanti: liquido conſtat particulares verſus *B* & *E* potentiarum motricium conatus in ſe mutuo ope interpoſiti ejusdem mobilis *A* cadentes coire in communem hujusce mobilis impulſionem ad unum atque idem punctum *D* intra bina data *B* & *E* ita ſitum ut diſtantia ſimilium minima *DB* ſit $=$ *AE* & *DE* ſit $=$ *AB*, hoc eſt per diagonalem *AD* naſcentis rectanguli *DBAE*. Trans ſpatium autem materia demovenda plenum motus peragitur: Quadrato ex diagonali ſummam quadratorum ex lateribus Rectanguli adæquante, non minor eſt medii, dato tempore amovendi reſiſtentia in diagonali ſola quam in uno & altero latere. Vires ad movendum ſeparatim per hæc latera tempore pari neceſſarias potentiis motricibus *b* & *e* ineſſe conceditur: Liquet ex dictis vires illas nequaquam in transferendo per iſta latera mobili inſumi poſſe dum ipſi ſimul applicantur: Integræ ergo ſuperſunt quæ in communem impulſum per diagonalem impendantur. Quid igitur cauſæ eſſet, cur diagonalem Rectanguli eodem temporis intervallo quo latus utrumlibet, impreſſa illarum virium ſumma velocitatem convenientem producente, mobile non percurreret?

Denique, momentaneo divergentium directionum *AE*, *AB* obſtaculo efficitur ut ad æquilibrii momentum origo motus compoſiti revocari poſſit. Duæ potentiæ *b* & *e* (quarum huic ex *A* in *E* & illi ex *A* in *B* facultas movendi pari tempore, ſuperata medii reſiſtentia, tribuitur) quo momento ad aliquod corpus *A* in medio pleno quieſcens admoveri ſupponuntur, eodem ob actiones ſuas ad diverſa puncta fixa *E* & *B* tendentes ſic ſibi obſtare & æquiponderare intelli-

Digitized by Google

intelligantur ut neutra effectum proprium in his punctis completum obtineat. Cujus generis æquilibrium ita probamus. Datis poſitione ac magnitudine duabus rectis *AE* & *AB*, perficiatur parallelogrammum rectangulum *EABD*; agaturque ejus diagonalis *DA* per quieſcens adhuc corporis movendi centrum *A*, quæ propter medii reſiſtentiam vicem fulcri ad momentum præbeat. Si ex hujuſce lineæ fulcientis puncto quocunque δ, in directiones potentiarum iſochronas velocitatibusque ſeu actionibus ipſarum particularibus proportionales *AE* & *AB*, demittantur normales rectæ $\delta\varepsilon$ ac $\delta\beta$; ſemper illæ normales erunt inter ſe in reciproca iſtarum directionum ſive actionum iſochronarum ratione: In Triangulis enim ſimilibus *DAB*, $\delta A\varepsilon$, ſicut ſe habet *DB* hoc eſt *AE* ad *AB*, ita $\delta\beta$ ad $A\varepsilon$ hoc eſt ad $\delta\varepsilon$. Quæ lex æquiponderantium ſibi in Mechanica datur. Propria igitur velocitate ſeu directa per ipſum Rectanguli latus impulſione quælibet harum potentiarum alteram ſuperare nequit. Quare ex æquilibrii proprietate ambæ in fulcrum etſi momentaneum *AD* directionibus ſuis iſochronis *AE*, *AB* reſpondens una recidunt: Quod fulcrum conſequenter communi impulſu ſtatim urgent. Conjunctæ autem earundem potentiarum vires, quæ in producendis ſecundum latera Rectanguli volocitatibus ad diſſita puncta eodem inſtanti idem mobile translaturis conſumi nequeunt, æquivalent medii reſiſtentiæ per diagonalem diffuſæ. Hæc ergo reſiſtentia, non ex motu contrario ſed ex materiæ loco demovendæ neceſſitate reſultans, ceſſet extemplo neceſſe eſt. Hoc ergo mobile *A* cum velocitate quæ a conjunctis potentiarum ſibi applicatarum in angulo recto *EAB* viribus per quadrata AE^2 & AB^2 expreſſis producetur, ipſam diagonalem *AD* dato temporis intervallo neceſſarie tranſibit: Poſita quippe ſufficienti cauſa ponitur requiſitus effectus.

Fundamentum itaque, quo theoria Operæ Navalis a Domino Renau propoſita nititur, ſolidum ſtare & inconcuſſum non minus evidenter perſpicimus quam fidenter publicamus.

TAB. VI. Fig. 4, 5.

Hic addi poteſt, coronidis loco, in Parallelogrammate non-rectangulo *EABR* (Fig. 4 & 5) ſive acutus ſive obtuſus ſit angulus cujus vertex motus compoſiti initium eſt, ſi ratio diagonalis *AR* = *A*R ad diagonalem *AD* Rectanguli *EABD* ex iisdem lateribus *AB*, *AE* conſtructi eſſe eadem quæ *n* ad *ι* ponatur; fieri

hanc

hanc diagonalem $= AD \times n$ hoc eſt $= n \surd (AB^2 + AE^2) = \surd (AB^2 n^2 + AE^2 n^2)$. Vis ergo ad tollendam medii reſiſtentiam ut eodem tempore intra Parallelogramma non-rectangulum quo intra Rectangulum linea diagonalis peragretur, eſſe debet $= AB^2 n^2 + AE^2 n^2$ compoſita videlicet ex duabus viribus majoribus vel minoribus $AB^2 n^2 = AB^2$ & $AE^2 n^2 = AE^2$ quam quæ AB^2 & AE^2 ad conficienda ſeparate latera pari temporis intervallo requiruntur. Quod diſcrimen, emanans non ex ipſa mobilis compoſita motione, ſed ex ipſa dimovendi dato tempore majoris vel minoris medii neceſſitate, nequaquam ad theoriam Renavii ſola Rectanguli proprietate nixam attinet.

SYLLOGE EPISTOLARUM MATHEMATICARUM varii argumenti ad Illuſtriſſimum D. D. FERDINANDUM ERNESTUM S. R. I. Comitem ab HERBERSTEIN ab admodum Rev. ac eximio P. AUGUSTINO THOMA A S. JOSEPHO, Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Sacerdote, nec non Collegii Curtiani Hornæ in Auſtria p. t. Vice-Rectore, annis proxime lapſis perſcriptarum; cum Præfatione MICHAELIS ADAMI FRANCK DE FRANCKENSTEIN.

Vetero-Pragæ, apud Wolffgangum Wickart, 1713, 8.
Plag. 12 Tabb. æn. 19.

CUm R. P. *Thomas a S. Joſepho* in Analyſi *Diophantea*, *Vietea* & *Carteſiana* apprime ſit verſatus; Cl. Editori dignæ viſæ ſunt Epiſtolæ ejus ad Illuſtriſſimum *Comitem de Herberſtein* datæ, quæ lucem publicam adſpicerent. Quamvis enim tantum de problematibus ad Geometriam elementarem & Arithmeticam ſpectantibus potiſſimum tractent; non contemnenda tamen Analyſeos artificia paſſim adhibentur, nec problemata ipſa prorſus proletaria ſunt. Quia epiſtolæ ſunt numero 51, prolixum nimis foret, ſingularum argumenta recenſere; quædam igitur produxiſſe ſuffecerit. Epiſt. 1 oſtenditur, dato ſemicirculo, qui ſit æqualis ſegmento circuli latere trigoni regularis reſecto, dari quoque circuli quadraturam. Epiſt. 2, 3 & 4 variæ exhibentur ſolutiones analyticæ ac conſtructiones Geometricæ problematis: data recta ſecta ſecundum

dum extremam & mediam rationem, conſtruere triangulum, cujus baſis ſit æqualis majori ſegmento, altitudo minori, & crura habent rationem ſegmentorum. Problema hoc, utut planum, inſigne ac jucundum cenſet R. P. quia ex ardua analyſi conſtructio facillima emergit. Epiſt. 7 ſcribit, ſe ſolviſſe problema *Comierianum*, quod proponitur in Actis A. 1683 p. 125, per parabolam & circulum, & oſtendiſſe, quod per circulum & rectas conſtrui nequeat. Epiſt. 8 & 9 in dato quovis triangulo aſſignat punctum, in quo tres rectæ ad angulos ejusdem ductæ ſint in progreſſione Arithmetica. Epiſt. 11 corrigit errorem ſuum, quod Illuſtriſſimum Comitem ab *Herberſtein* natione Bohemum, patria Pragenſem eſſe crediderit, cum ſit Belga & Lovanii litteris operam dederit, adeoque mirari deſinit, quod adyta Analyticæ tam profunde penetraverit, quæ expertus fuerat hactenus nationi Bohemicæ fuiſſe præcluſa. Refert, ſe ex *Joſepho Weſſelio*, Canonico Siloënſi, quondam Præmonſtratenſium Profeſſore Philoſophiæ ac Theologiæ, didiciſſe, Illuſtriſſimum Comitem uti in Geometria, Analytica & Arithmetica, ita pariter in omnigenis artibus ac ſcientiis, Muſica, Poetica, Rhetorica, Philoſophia, Jure, Aſtronomia, Theologia & Philologia excellere. Epiſt. 12, 13, 17, 21, 22, 25, 26 exhibentur calculi eclipſium ſolarium & lunarium annorum 1706, 1707 & 1708, juxta Tabulas *Rudolphinas*, partim etiam juxta *Cunitianas*, ad Meridianum Pragenſem. Epiſt. 15 calculum ſuum confert cum obſervatione eclipſis Solis totalis A. 1706 ab Illuſtriſſimo Comite ab *Herberſtein* inſtituta, & exiguam diſcrepantiam deprehendit: quemadmodum ex tabella ſubjecta cernere licet.

	Ex calculo			Ex obſervatione			Differentia	
	h.	′	″	h.	′	″	′	″
Initium	9	36	27	9	33	0	3	27
Immerſio	10	44	15	10	40	5	4	10
Emerſio	10	48	56	10	43	30	5	26
Finis	11	58	15	11	55	40	2	3
Mora		4	41		3	25	1	16
Duratio	2	21	48	2	22	40	0	52

Epiſt. 12

Epiſt. 18 notat, in eclipſi lunari communem articulum umbræ & penumbræ ſive libero oculo, ſive per inſtrumenta ægre diſcerni poſſe, quo minus unum alterumve minutulum ſubterfugiat. Epiſt. 20 tabellam quadraticam cellularum imparium condere docet, in qua ſummæ ſingularum columnarum perpendicularium, transverſalium & diagonalium referant annum 1706 atque inſuper in quatuor cellulis primæ columnæ transverſalis reperiantur hi ſolitarii numeri 1. 7. 0. 6. Epiſt. 21 pro eclipſi lunari obſervanda præter accuratum horologium oſcillatorium commendat inſuper Quadrantem vel aliud inſtrumentum ad capiendam altitudinem ſtellæ cujusdam fixæ, propterea quod omne oſcillatorium etiam accuratiſſimum noctu ob cauſas phyſicas anticipet. Exhibet etiam Ep. 21 calculum pro Mercurio, qui A. 1707 d. 5 Maji horis pomeridianis juxta tabulas *Cunitianas* in Sole ſpectari debebat, & Ep. 22 ex obſervatione eclipſeos lunaris d. 17 Aprilis A. 1707 ab Illuſtriſſimo Comite ab *Herberſtein* facta probat utilitatem æquationis phyſicæ *Keppleri* cum *Tychonica* conjungendæ. Epiſt. 24 detegit ſophiſma nonneminis in quadrando circulo methodo, ut videtur, *Guldiniana*, quemadmodum Epiſt. 21 *Kircheri* in ſimili caſu admiſſum errorem notaverat. Epiſt. 26 judicium ſuum ſuſpendit de arduo, quod vocat, theoremate: An, ſi quatuor fuerint circuli *A*, *B*, *C*, *D*, eorumque primo *A* Dodecagonum, ſecundo *B* Pentagonum, tertio *C* Hexagonum & quarto *D* quadratum hoc pacto inſcripta, ut 12 ſegmenta circuli *A* una cum 4 ſegmentis circuli *D* ſint æqualia 5 ſegmentis circuli *B* & 6 ſegmentis circuli *C* ſimul ſumtis, exinde ſequatur, etiam circulos $A + D$ æquari circulis $B + C$. Ep. 28 in omnem æternitatem impoſſibile judicat, ut ratio circuli ad peripheriam exhibeatur in numeris ſaltem irrationalibus. Ceterum hac ipſa Epiſt. 28, itemque Epiſt. 27 & 29 de proportionibus polygonum circulis inſcriptorum inter ſe horumque circulorum ad ſe invicem in ordine ad negotium tetragoniſticum varia ediſſeruntur. Epiſt. 30 in Geometriam tantum admittit curvas, quæ per motum continuum deſcribi poſſunt, non autem quæ per ſola puncta fiunt, nec aliter deſcribi poſſunt. Epiſt. 35 ſolvit problema de inveniendo quadrato rationali, quod ſive addito, ſive demto quocunque multiplici, ſubmultiplici, ſuperparticulari & quavis alia proportionis ſpecie ſuæ radicis, ſemper ex-

Digitized by Google

hibeat quadratum rationale. Ait enim, radicem quadrati quæſiti eſſe $(a^4+2a^2m^2+m^4):(4a^3-4am^2)$, ſi *m* fuerit exponens rationis, *a* vero numerus indeterminatus, pro arbitrio quidem, ſed ipſo *m* tamen major aſſumendus. Similiter Epiſt. 36 invenire docet duos numeros quadratos, quorum ſumma ſit quadrata, eademque maneat quadrata, ſive augeatur, ſive mulctetur differentia quadratorum ab illis productorum. Problemata hujus generis complura in epiſtolis reliquis paſſim ſolvuntur. Epiſt. 39 notas nonnullas reperies in diatomen circulorum Illuſtriſſimi Comitis ab *Herberſtein* in Actis A. 1710 p. 527 commendatam. Ex Epiſt. 43 apparet, ſolutionem problematis *Gallilaani* de triangulo maximo ſuper data recta & in data crurum ratione erigendo (de quo diximus in Actis Supplem. Tom. V Sect. 2. p. 96) quam per calculum differentialem dederat Mathematicus Auguſtanus, Cl. *Haaſius*, in Autore noſtro excitaſſe ardorem illuſtre hoc *Leibnitii* inventum penitius cognoſcendi. Unde enata eſt materia Epiſtolarum 41, 43, 44, 45 & 46 de calculo differentiali & integrali quædam attingentium. Cum vero intellexiſſet, Cl. *Wolfium* in Elementis ſuis Matheſeos univerſæ planam ad utrumque calculi genus viam ſternere, ſub finem Epiſt. 46 deſiderium ſuum ea nanciſcendi exponit, cumque obtinuiſſet, Epiſt. 47 opus inſigne ac univerſale eadem vocat, ſeque veteranum 70 annorum diſcipulum tanquam novum ſub novo doctore meriturum ſcribit. Epiſt. 49 datam rectam ſeu numerum in tres partes rationales inæquales ſecat, ita ut manente ratione inventa inter priores duas ſumma trium cuborum a ſingulis tribus partibus productorum ſit omnium poſſibilium minima. Epiſtola ultima denique problema proponit: an ſicut in ſectione lineæ in partes ſub certis conditionibus invenitur ſemper ſumma quadratorum poſſibilium minima, rectangulorum vero maxima, idem fieri poſſit cum ſectione ſolidi ſeu cum tribus lineis ſolidum conſtituentibus, ita ut, dum ſumma quadratorum eſt minima, rectangulorum evadat maxima.

ELOGIUM JOANNIS OLEARII,
Theologi Lipſienſis.

ABſtulit mors acerba menſe ſuperiori, magno Academiæ noſtræ, Orbisque literati & Eccleſiæ luctu, Virum Summe Reverendum

D. Johan-

Digitized by Google

D. Johannem Olearium, S.Theologiæ Prof.Publ.Seniorem, Academiæ Decemvirum, Præpoſitum h. t. Collegii & Templi Paulini, Ephorum Alumnorum Electoralium, Majoris Princip. Collegii, Capituli Cizenſis, Facultatis Theologicæ, Nationis Saxonicæ, & totius Univerſitatis hujus venerandum Seniorem. Natus eſt Halæ Saxonum A. MDC XXXIX die 5 Maji, mane hora 4. Patrem habuit D. Gottfriedum Olearium, optime meritum & ſcriptis clarum Theologum, Electoralem Brandenburgicum, Inſpectorem primarium in Circulo Salano Ducatus Magdeburgici, Templi Parochialis ſuperioris S. Mariæ Halæ Paſtorem, Superintendentem, Scholarcham, Miniſterii Seniorem, quibus officiis 52 annos, usque dum anno 82 ætatis ex hac vita decederet, præfuit. Matrem ſortitus eſt Eliſabetham, Patre D. Johanne Scheffero, Conſiliario Aulæ & Juſtitiæ Magdeburgenſi, & Barbara Baueria, originem referente ad familiam Senatoriam, tunc Friburgi & Argentorati bene notam, natam filiam. Avus noſtri fuit D. Joh. Olearius, Veſalia in Ducatu Cliviæ ortus, in Boruſſiaca Academia Regiomonte Archipædagogus, & Hebraicæ Linguæ Prof. Publ. poſt in Univerſitate Helmſtadienſi Prof. Publ. Theolog. & Hebr. Linguæ, qui tandem ab anno 1551 annis 42 Paſtoris Superioris, Superintendentis, & Scholarchæ munera Halæ Saxonum magna cum laude geſſit. Hic ſuum primum Socerum, celebratiſſimum D. Tilemannum Heshuſium ſecutus, puram doctrinam eruditis libris defendit, Doctores orthodoxos eo tempore exules libenti animo ſuſcepit, conſilio opeque juvit, Principem etiam ſuum a ſerpente erronea doctrina purum, Divina adſiſtente gratia, ſervavit; quod ejus ſtudium tunc viventes ſublimi genere orti & noverunt & laudarunt. Aviam habuit Sibyllam, M. Nicolai Nicandri, Paſtoris ad S. Ulrici & Scholarchæ Halæ, Filiam. Prima fundamenta fidei & literarum didicit ab Andrea Alexandro, fratre excellentiſſimi Brunſuico-Luneburgenſis Conſiliarii intimi & Vice-Cancellarii, Dn. Caſpari Alexandri: quæ occaſio fuit ei, Noſtro ad finem vitæ valde favendi, & curæ ejus liberos orphanos committendi. Deinde in literis humanioribus & arte Logica informatorem habuit M. Chriſtophorum Luchtium, poſt hæc Paſtorem ad S. Ulrici Halæ. Adjunxit iſti informationi Lectiones publicas Rectorum Gymnaſii

Digitized by Google

Halenſis, Gueinzii, Franckenſteinii, Cahleni, Cammerhovii: profectuum ſpecimen fuit diſputatio ab ipſomet elaborata de Syllogismis modalibus, & in Gymnaſio defenſa. A. MDCLVII ingreſſus eſt hanc Academiam, die anni longiſſima. Ad vetuſtiſſimorum Eccleſiæ Doctorum exemplum, priusquam SS. literarum ſtudia aggrederetur, in Scholis Profeſſorum Philoſophiæ & Literarum humaniorum Sluteri, Kromayeri, Rappolti, Franckenſteinii, Thomaſii, Mulleri, Hornſchuchii, Ittigii, & in Scholis Hebraicis ac Linguarum Orientalium, Geieri, Scherzeri, Friderici ſe exercuit probe & præparavit. Hinc factum, ut poſt ſpecimina in exercitiis & Diſputationibus Baccalaurealibus A. 1660 Magiſter Philoſophiæ renunciaretur. Quo honore ſe dignum in Diſputatione de Speciebus viſibilibus publice oſtendit. Poſt quæ, ſuadente *Slutero*, qui filii inſtar eum habuit, Theologiæ ſe dedit, præcipueque Hulſemanno, magno Theologo, adſedit auditor, conciones publicas ſæpe habuit. Fundamentis bene poſitis Pater domum vocavit, Fratrique ſuo, Concionatori Aulico Primario Sereniſſimi Ducis Saxoniæ, Dn. Auguſti, Poſtulati Adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, D. Joh. Oleario commendavit, ut uſum Bibliothecæ inſtructiſſimæ concederet, & in Exegeticis, Homileticis, Polemicis & Practicis nepotem hunc ſuum una ſecum inſtitueret. In his bene excultus Vitembergenſem & Jenenſem Academiam adiit; & in utraque tam in Collegiis, quam in conſuetudine cum famigeratiſſimis Theologis & Philologis D. Calovio, Meiſnero, Quenſtedio, Deutſchmanno, Muſæo, Gerhardo, Chemnitio, Oſtermanno, Notnagelio, Friſchmutho, Boſio, in ſtudiis profecit. Sub finem A. 1661 Lipſiam rediit, D. Kromayerum in Polemicis & Hiſtoria Eccleſiaſtica, D. Geierum in Exegeticis, D. Scherzerum & L. Sluterum in Elenchtico-Scholaſticis audivit. Ipſe in Collegiis Philoſophicis & Elegantioris Literaturæ Studioſos docere cœpit, & diſputando ſuam diligentiam exhibuit. Ex his L. Sluterus excellens ingenium cum ſumma induſtria conjunctum cognoſcens, pro judicii ſui, quo pollebat vir ille, acrimonia aptum cenſuit hunc diſcipulum ſuum ad docendum in Academia. Quare ſuaſit, ut in Philoſophicam Facultatem recipi peteret. Obſecutus diſcipulus, cum duas ſolitas diſputationes habuiſſet, haut difficulter A. 1663 locum obtinuit,

dum

dum perſpectis ſtudiis faverent Profeſſores, Rappoltus, Franckenſteinius, Ittigius, Scherzerus, Schwenckius. Anno ſequente inter denominatos ad Profeſſionem Logicæ & Metaphyſicæ Candidatos ab iisdem referebatur. Nam aptum ſe eſſe diſputationibus de præcognitione demonſtrationis, de veritate tranſcendentali, de opinione, de triplici dependentia entis finiti ab infinito demonſtraverat. A. 1664 vacantem a morte Joh. Hornſchuchii Profeſſionem Græcæ Linguæ Sereniſſ. Dux Saxoniæ Auguſtus, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Adminiſtrator, ejusdemque Sereniſſimi Domini Fratres dederunt. Documenta Studii Græcæ Literaturæ impenſi ſuperſunt 52 Exercitationes in Epiſtolas Dominicales, ab eruditis exteris multum quæſitæ. Hinc Critici & Philologi magni, tunc in hac urbe degentis, Thomæ Reineſii favorem & auxilium in hoc ſtudiorum genere, commercium autem literarum cum doctiſſimis Philologis in Germania & Belgio, Daumio, Hildebrando, Madero, Matthia Kœnigio, Mitternachtio, Kœbero, Hilario, Nicol. Heinſio, Joh. Georg. Grævio, inſuper cum haut obſcurorum nominum Græcis, Jeremia Didaſcalo Conſtantinopoli, Daniele Hieromonacho Caſtriſio, primario Oeconomiæ Adminiſtratore Græcæ Eccleſiæ in Inſula Pathmo, Athanaſio Archimandrita in monte Athos, in ſermone patrio, ſibi comparavit & exercuit. Inter quæ præcipuus ſcopus manſit Theologia: quam in quotidiana converſatione D. Eliæ Reinhardi, Profeſſoris Theologiæ & Superintendentis in oculis retinuit, ſub ejus præſidio de myſterio Trinitatis contra Photinianos diſputavit. A. 1668 gradum Baccalaureatus, & eodem anno d. 17 Septembr. Licentiati a Facultate Theologica conſecutus eſt, poſt conſcriptam defenſamque doctiſſimam Diſſertationem de Stylo N. T. apud Viros doctos exteros ſuo pretio æſtimatam, & a celebratiſſimo Rhenferdio in Faſciculo Diſſertationum de hac materia ante cæteras poſitam. Licentiatus ſingulis annis in Scholis Theticis, Polemicis, Exegeticis, Hiſtorico-Eccleſiaſticis gnavum & ſtrenuum ſe exhibuit. Hinc A. 1677 in profeſſione Theologica, ad quam nominatus erat a Facultate, D. Friderico Rappolto beate defuncto, eum ſuccedere voluit Sereniſſ. Dux Auguſtus. Noſter modeſte de ſe ſentiens, invidiamque prævidens, functionem arduam deprecari, rogareque Patronos, ut apud Sereniſſ. Principem pro ſe intercederent.

Digitized by Google

rent. Is vero gratiam ſuam in alterum transferre renuit. Acceſſerunt Amici, quos conſuluerat, unanimiter ſuadentes, ne reniteretur divinæ directioni. Quam rem non ſolum norunt aliqui, qui vivunt, ſed etiam ejus documenta alia adſunt. Ad officium cum majore autoritate ſuſtinendum, Doctoris titulum A. 1679 aſſumſit. Sequente anno in gravem morbum incidit; in quo quaſi tentatus & probatus ſe erexit verbis Davidis: non moriar, ſed vivam. In primis annis profeſſionis occurrebat gravis cauſa, ex qua quies Eccleſiæ, in Saxonia præcipue, turbari poterat. In illa moderatione ſua & exacto judicio, amorem & exiſtimationem apud Collegas aliosque meruit. Ab hoc itaque tempore D. Scherzerus tantam in eo fiduciam poſuit, ut in lento morbo, ex quo ſe evaſurum nullam ſpem habebat, ſuas functiones ei committeret, laudata Collegis induſtria & fidelitate. Tum porro in eo officio quanta fide, quanta ſedulitate animi atq; conſtantia verſatus ſit, nemo noſtrum ignorat, apud alios teſtentur catalogus Lectionum tam publice quam privatim habitarum, ſingulis annis, continuo ordine conſignatus, Diſputationes Theologicæ CVI (Philoſophicas LXI alia cathedra novit) Programmata de arduis materiis, Orationes, Conſilia Theologica duobus non exiguis voluminibus comprehenſa, Theologia moralis, Introductio in Theologiam Caſuiſticam, Hermeneutica ſacra. Omne ſtudium ſuum ad praxin Chriſtianismi direxit, & ad eam auditores ſuos duxit. Evangelicam doctrinam, Lutheri opera ſtabilitam, ſincere animo tenuit & docuit. Precibus matutinis & lectioni Scripturæ S. ſingulis diebus adjunxit lectionem partis ex Libris Symbolicis. In Controverſiis verba & dogmata expendebat, veritus aliis imputare quicquam, de quo in conſcientia ſua non eſſet convictus. Quæ ad fundamentum fidei pertinent, diſcernebat ab iis, quæ id non convellunt. Atque in his poſterioribus, cum Noſtri inter ſe contenderent, Chriſtianam concordiam & conſcientiarum libertatem, ſalva veritate reducere & conſervare ſtuduit in Judiciis, Epiſtolis, Subſcriptionibus & aliis in hac re geſtis. Nec illud nobis tacendum, quod in ipſis Actorum horum initiis inſtitutum noſtrum mire provexerit & primis maxime annis ſolus fere cum Carpzovio, Alberti & Ittigio, Viris ſummis, librorum Theologicorum excerpta dederit. Officia & dignitates diverſis temporibus

ribus adiit & geſſit: A. 1666 Collegiaturam in Collegio Majori Princip. A. 1683 Canonicatum Cizenſem, & Ephoriam Stipendiatorum Electoralium conſecutus eſt. Procancellarius in Facultate Philoſophica A. 1667, Decanus bis A. 1667 & 1673, & Præpoſitus Collegii Majoris Princip. etiam bis, Collegii & Templi Paulini aliquoties fuit. In Theologica Facultate, præter Procancellariatum, Decanatum novies ipſe adminiſtravit; vicarium pro aliis non connumeravimus. In parte felicitatis paternæ merito habuit, in quinto Decanatu A. 1699 filiorum primogenitum Gottfr. Olearium, Græcæ & Latinæ Linguæ tunc Prof. P. Baccalaureum Theologiæ, Procancellarium ſe A. 1701 Licentiatum, & in Prodecanatu A. 1708 Doctorem Theologiæ: in ultimo Decanatu filium poſtremo loco natum M. Philippum Olearium, Facultatis Philoſophicæ Aſſeſſorem, Theologiæ Baccalaureum creare. Ad finem properante ſeculo proxime elapſo, pauco intervallo temporis, beate mortuis D. Georgio Lehmanno, & D. Joh. Benedicto Carpzovio, ſolus Senior noſter erat Facultas Theologica: quippe novus Profeſſor D. Thomas Ittigius, Doctoris gradum nondum adeptus, locum non tenebat. Sic evenit, ad finem A. 1699 in promotione apud nos inſolita XI Candidaorum Doctoratus ſolum omnia peragere. Ab hoc uno igitur poſt Deum, in poſterum derivanda eſt ſucceſſio Doctorum Theol. Lipſienſium. Academica ſceptra octies tenuit, in Concilium Decemvirale A. 1699 receptus: A. 1693 ad Comitia provincialia, cum regimen Sereniſſ. Elector, Dn. Joh. Georg. IV auſpicatus eſſet, ab Academia deputatus, ad motus in Eccleſia componendos, operam non inanem attulit. Nuptias celebravit A. 1667 cum florentiſſima Virgine Anna Eliſabetha, Philippi Mulleri, Mathematum P.P. & Academiæ Senioris, filia relicta unica. Ex qua ſuſcepit ſex filios & ſex filias, nimirum (ut taceamus tres filios cum filia in tenera ætate prææreptos) Annam Eliſabetham, D Pauli Antonii, S. Theol. Doctoris & Prof. celeberrimi in Academia Fridericiana, Circuli Salani in Ducatu Magdeb. Inſpectoris, Regii Boruſſ. Conſil. Conſiſtorialis Halæ uxorem; Chriſt. Dorotheam, M. Aug. Frid. Jani, in Templo B. Mariæ Archi-Diaconi Halæ coniugem; D. Gottfridum Olearium, S Theol. P.P. in hac Academia, Collegii Maior. Princip. Collegiatum, Ingenuæ Cathedralis Eccleſiæ Miſenenſis Canonicum & Cuſtodem; Annam Sibyllam, Joh. Hubnero, Gymnaſii Hamburgenſis Rectori celeberrimo matrimonio junctam; D. Joh Friedr. Olearium. Inſtitutionum apud nos P.P & Canonicum Numbergenſem; M. Philippum Olearium, Philoſoph. Facultat Aſſeſſorem, & S. Theol. Baccalaureum; Annam Eliſabetham nuptam Chriſtoph. Pfauzio Mathemat. P.P. poſt ejus fata Ulrico Junio, ejusdem in Profeſſione Succeſſori; Chriſtianam Sophiam. D. Chriſtiano Gottlob Roitſchen, Advocato, conjugali vinculo nexam: e quibus plerisque dulciſſimos nepotes

neptesque

Digitized by Google

neptesque vidit. Liberos tot paternis maternisque monitis morigeros bene educandi facultates ſibi fuiſſe, filiosque duos, Collegas a latere ſibi junctos habere, primum auxilio Seni ſibi eſſe, Deo gratias debitas egit. Jam ut ad u t ma ejus accedamus, anni decem effluxerunt, cum primi inſultus apoplectici in eo obſervati fuerunt: qui initio annorum duorum ſpatio redire ſolebant, tandem unoquoque anno, linguæ uſum & cogitationes brevi tempore intercipientes. Ante annos tres vehementius recurrerunt, crura ambo debilitando, ut, niſi ſcipioni innixus ambulare ægre poſſet. Quem prodromum mortis ſuæ intelligens, ab hoc tempore ad eam bene paratus vixit: abdicavit ſe negotiis, committens ea aliis: ſolas Lectiones ſuas continuavit, donec ante annum viribus nimis debilitatum omittere eas oportuit. Menſe Januario hujus anni, inſultus ille crura penitus invalida fecit, ut ſedere aut cubare eum neceſſe eſſet. Jam mori incipiebat: cogitabat continuo de morte: vitæ ſuæ curſum exacte repetebat, Dei beneficia commemorans, veniam peccatorum & infirmitatum petens, inimicis ignoſcens. Ea quæ in vita ſubinde acciderant, ita referebat, ac ſi ad ſe non pertinuiſſent: analyſin beatam precibus deſideravit; ut ad eam citius obtinendam orarent liberi, hortatus eſt. In his lucta non defuit: aliquando, fidem ſuam admodum infirmam eſſe, neque ſe ſenſum gratiæ div næ habere queſtus eſt anxie: qui aderant ſæpe obſervabant, animam ejus viribus quaſi reſumtis, verbum fidei firmiter apprehendere; in virtute ejus luctari & vincere, exinde fidem ſuam de gratiæ divinæ in infirmis operatione roborantes. Accidit, ægrotum menſæ aſſidentem poſt multarum horarum triſtitiam lætitia perfundi, promiſſionemq; quæ Abrahamo & ſemini eius per fidem facta fuit, cum magna parrheſia proloqui: Ne timeas Abram, ego clypeus ſum tibi, merces tua ampla eſt valde. Quæ audientes uxor & filius junior, non poterant non animis commoveri, cum eo tempore afferrentur Hamburgo literæ, quibus filia iisdem verbis uſa, ſolatium Patri afferret: ex quo ipſe maius gaudium ſenſit, quod Deus promiſſionem ſuam hac peculiari ratione præter exſpectationem ſibi confirmaret. Et hoc dictum in concione ſua funebri explicari juſſit, atque in corde oreque habuit. In iſta ægritudine Confeſſionarius, D. Joh. Dornfeld, Superintendens, quem Amicum ſuum veterem, & olim Convictorem ſemper amavit & plurimum æſtimavit, ex verbo Dei ipſum erexit, & Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini porrigendo, in fide in Chriſtum & exſpectatione vitæ æternæ confirmavit. Die 5 Aug. paroxyſmus apoplecticus in corpore æſtum magnum effecit: uſum rationis vero Deus & hac vice, & fere, quoad viveret, ſervavit. Itaque etiam eodem die, licet in magna corporis infirmitate præparationem ad mortem continuavit. Dies ſequens maio em infirmitatem afferebat; circa veſperam cum loquela etiam ratio deficere videbatur. Jacere putabatur in ſomno profundo ſibi conſueto, ex quo alias evigilare ſolebat: verum, poſtquam dimidia hora II ter reſpiratio ceſſaſſet, & rediiſſet, tandem exſpiravit.

Nova Literaria, quæ hactenus ſat multa ad nos perſcripta ſunt, pari in proximo Menſe, partim & in Actis Erud. quæ Germanico idiomate apud os publicantur, ab his noſtris quidem plane diverſa, communicabimus.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Octobris Anno M DCC XIII.

THE NATURAL HISTORY OF NORTHAMPTON-Shire.

i. e.

HISTORIA NATURALIS NORTHAMTONIenſis Comitatus, cum Antiquitatum enarratione; Autore JOHANNE MORTON.

Londini, apud R. Knaplock & R. Wilkin, 1712, fol.
Alph. 7 cum tabb. æn. 14 nitidiſſ.

Tam abundat natura altius abſconditis theſauris ſuis, ut uni omnia vel excutere, vel perluſtrare minime liceat, inde magis laudandum eſt ſapientum conſilium, qui, ne obruantur tot rerum copia, aut pluribus ſimul intenti, illa prætermittant, quæ in penitioribus quaſi naturæ ſacrariis repoſita ſunt, aliquam univerſi partem ſibi diligentius perquirendam ſeligunt. Iniverunt hanc viam non infeliciter ſagaciſſimi quidam in Anglia naturæ ſcrutatores, qui ſingularum provinciarum divitias eruerunt; his accenſendus Celeberrimus Mortonus eſt, qui, quod annis aliquot animo preſſerat opus, & citius ad umbilicum perducere ſperaverat, forma egregium & curæ adhibitæ teſtem, nunc conſpiciendum offert, ex quo abunde compenſatam eſſe moram, a rerum tractandarum varietate, & librorum ad id conquirendorum raritate injectam, videas. Ad moliendum opus difficile, non proprio ſaltem erga naturæ ſacra dona affectu motus eſt Autor ſolertiſſimus, ſed a præſtantiſſimæ provinciæ illuſtribus civibus, quorum in ferendis etiam ſubſidiis liberalitatem & benevolentiam prædicat, incitatus fuit, quorum optimis conſiliis obſecutus, opus eo minus habet ſe

Digitized by Google

illis excuſare, qui obeſioris naſi hujus generis labores parvi pendunt. In ipſo opere hanc ſibi conſtituiſſe regulam monet, ne compilaret denuo, quæ ab aliis jam iterato dicta ſunt, ſed naturæ ductum preſſius ſecutus, ea tantum plenius deſcriberet, quæ ab aliis hactenus vel plane non obſervata, vel leviter ſaltem tacta ſunt, non præteritis iis quæ vulgo parvi æſtimantur. Æri non niſi illa incidi voluit, quæ alibi nondum exſcripta ſunt, quod prudenter factum, ne operis pretium præter neceſſitatem creſceret; recte tamen ſentit, non omnino negligenda hæc eſſe, quum exiguum naturalis hiſtoriæ ſcriptores uſum præſtent, qui res a ſe propoſitas non ſatis a ſimilibus ſui diſtinguant, quod figurarum ope tuto facere licet, &, ſi hanc legem ſervare veteribus datum eſſet, non tanta medicamentorum, ab ipſis cum ſucceſſu adhibitorum, laboraremus ignorantia. Sicut vero ab incolis provinciæ ſibi communicata eſſe multa non diſſimulat, ita plurimum ſe debere Clariſſimo Jo. Woodwardo, Amico noſtro in primis æſtumatiſſimo, profitetur, quem, cum per literas monitus, tum Hiſtoria ejus Telluris naturali edoctus, plerumque ſectatus eſt. Ut vero exſpectationi eorum ſatisfaceret, qui operis inchoandi autores fuerant, nec operæ pepercit nec ſumtibus, atque omnes urbes, vicos, pagos, paucis exceptis, ipſe circumivit, & ſylvas, fodinas, fontes, ſi modo quidquam huc pertinens occultarent, perreptavit; antiquitatis omnia rudera collegit, non ea tantum, quæ Romanis debent originem, ſed & quæ a ſuis majoribus Brittonibus, Saxonibus & Danis relicta ſunt. Sed ut diſtinctius paulo de elegantiſſimi libri ordine & contentis judicium ferre Lector queat, ſingulorum capitum potiſſima argumenta recenſebimus. Ipſi nimirum tractationi præmittitur ipſius Northamtoniæ chorographia accurata, cui addita eſt tabula, quam Harriſius civis, patriæ ſuæ probe gnarus, confecit, cujus oram cingunt provinciæ nobilium familiarum inſignia, quotquot Autori ab ipſis dominis tranſmiſſa ſunt. Incipit hinc Autor rerum tractationem, in cujus duobus prioribus *capitibus* paulo eſt prolixior; & in *primo* quidem agitur de variis terræ differentiis, idque in duas ſectiones diſtinctum eſt, ubi in priore examinatur ſpeciatim exterius univerſi ſtratum, quod ſolum, vel terram vegetabilem nominat, in altera inferior terræ gleba perquiritur. *Secundum caput* de lapidibus eſt, pariter

pariter in duas partes ſectum, quarum prima lapides per ſtrata in majores moles coalitos exhibet, altera minores concretas lapideas maſſas tradit.

In his duobus capitibus cum doctiſſimo Woodwardo ſupponit, univerſum hoc ab initio creationis certo ordine fuiſſe diſpoſitum, ut in varias glebas, vel ſtrata, propriæ naturæ, horizontali & parallelo ſitu ſibi impoſita, quo variis ſpatiis diſtarent, diſtinguerentur. Diluvii vero univerſalis confuſione omnia fuiſſe ſoluta & inter ſe commixta: ſingula autem diffluente aqua, pro ratione ſpecificæ ſuæ gravitatis, vel magis vel minus alte ſubſidiſſe quidem, non tamen ita pure a ſe invicem iterum ſecreta eſſe, ut ne aliquid peregrini adhæreſceret, unde nec glebæ iterum æque parallelo ordine ſibi fuerunt impoſitæ, præcipue cum univerſum hoc perpendicularibus fiſſuris per omnes glebas diſcerperetur, unde hiatus a ſuperiori parte ad interiora paterent, quos deſuper incidens materia replevit, ex quibus omnis mundi inæqualis ratio derivanda eſt, & varia illa rerum commixtio. His ſuppoſitis ſumma diligentia varias terræ ſpecies recenſet, & ſingularum propriam indolem examinat, ubi de cæſpite, figulina terra, limo, & ſpeciatim, quoad margas, de alba lapidoſa terra, quæ adſtringendi vi pollet, & ſpiritui vitrioli injecta ebullit, unde de alcali natura illam participare pronunciat, quam celeberrimus Plot lactis lunæ nomine deſcripſit, in Hiſt. Nat. Oxon. de umbra, gravi aliqua cinerei coloris terra, quæ aquæ admixta cœruleo colore eam inficit, quod metallicam ejus naturam indicat, de limo, & terra lapidoſa, quæ matrix quaſi marinorum foſſilium eſt, & de omnibus terrarum ſpeciebus, quæ vel uſum naturalem, vel œconomicum, vel mechanicum præſtare queunt, de terris item medicamentoſis, quæ hic loci cum quibusvis aliis certare poſſunt, & de cæſpite, cujus natura, fodiendique, exſiccandi & recte apparandi modus edocetur plenius. In *ſecundo capite* examinantur lapides, qui ſoliditate ab ipſa terra differunt. Hic in duas pariter ſectiones diviſa eſt tractatio, in prima exhibentur lapides majoris molis, ut ſaxum arenarium, calcarium, lapis fiſſilis, marmor, & his affinia, quæ in terræ glebis collocata ſunt, ubi data occaſione interior terræ indoles & diſpoſitio ſpecialius perquiritur, quam in antecedentibus factum fuerat, atque ſimul terræ mineralis ratio explicatur,

 quæ

quæ granorum forma per ſtrata & maſſas ſolidas diſperſa jacet. In ſecunda parte ſiſtuntur lapides minoris molis, qui vel certam figuram obtinent, ut ſelenites, belemnites & ſimiles, vel incertæ, & irregularis formæ ſunt, ut pyrites. Maxima vero hic obſervationum pars ad terræ interiorem faciem in fodinis detegendam ſpectat. Et primo quidem expenduntur variæ terrarum craſſities, & diſpoſitio inter ſe, hinc a ſuperioribus ad infima ſtratorum in puteis proceditur, expoſitisque ſingulorum lapidum propriis qualitatibus, eorum uſus traditur, & quid cuilibet eorum, aquæ, frigoris, caloris vim experto, accidat; ſtratorumque numerus initur, & quomodo illa horizontali & parallelo ſitu a ſe diſtincta ſint, unde eorum æqualitas pendet & inæqualitas, & tandem, quæ peregrina corpora illis interſtrata ſint, qualia, præcipue marina, lapidibus incluſa ſunt. Hinc fiſſuras perpendiculares Cl. Autor perſequitur, ubi de gurgitibus, quando ſtrata in partes disrupta ſunt, unde peculiares foſſas efformant, quarum numerus, dimenſio, capacitas, & meatuum tractus perveſtigantur, & multa his ſimilia, quorum diſtinctam rationem reddere, non concedit obſervationum copia & in omnibus par adhibita induſtria. Concretio ipſorum lapidum, quorum hic potisſima ratio, hæc eſt. Principium conſtituit arenacea materia, quæ ratione puritatis & pelluciditatis diverſa eſt, & varias proprietates communes habet, quæ pro natura ſpecificæ gravitatis deſidunt, atque concurrunt, colorem quidem diverſum ex admiſtis mineralibus & metallicis partibus conſequuntur, internam autem particularum ſtructuram, ab ipſa partium diſpoſitione & ordine, quem in concurſu adipiſcuntur. Ex quibus fluit, inter arenam & lapidem non eſſe aliam differentiam, quam quæ inter aquam, & ejus guttam, & inter granum metallicum, & totam laminam eſt, ex quibus poſtea omnis generis phænomena in lapidibus docte explicata ſunt. Et ſic ordine ſequuntur mineralia, vix unquam pura, ex unius naturæ partibus inventa: & quoniam plures fontes & aquæ, vim lapidifiam habere vulgo creditæ, hic reperiuntur, hujus rei veritas excutitur, & incruſtationem metallicam & petrefactionem corporum non fieri a virtute aliqua petrifica, quæ aquæ inſit, rationibus probatur, ſed quod aqua permeans ſtrata terræ, hinc inde diſperſa corpuscula lapidoſa, vel metallica ſecum abripiat, quæ ſimul cum aqua

aqua in fontes vel cavernas delata aquæ innatant, usque dum corpora offendant, quibus vel intime immiſceantur, vel in quorum exterioribus poris & meatibus hæreant, unde & petrefactorum vulgo dictorum eſt diverſitas. In ſecunda ſecundi capitis parte agitur de lapidibus exiguæ magnitudinis, quos in tres claſſes digerit Autor. Ad primam referuntur illi, qui incertæ figuræ externæ, & texturæ internæ ſunt, ad ſecundam illi, qui quidem exterius nullam certam figuram repræſentant, intus tamen certas figuras referunt; tertia claſſis eorum eſt, qui externe ſua figura alia corpora imitantur. Hic varia recenſentur ejusmodi lapidum genera, figuris etiam magis ſingularium deſcriptis in tabulis, & tandem doctrina de lapidum & mineralium formatione & concretione his includitur regulis. 1 Diverſæ ſpeciei materia unam figuram quandoq; obtinet, & unius ſpeciei materia diverſæ quandoque formæ eſſe deprehenditur. 2 Rariſſime offendas mineralem materiam, unius ſpeciei, ſimplicem, & non maſſæ alienæ admixtam, & præcipue quævis ſpecies admixtum habet aliquid a ſtrato, cui interpoſita eſt. 3 Status mineralium corporum incertus eſt ratione ſitus in terra. 4 Certas terreſtrium corporum ſpecies ſuppeditare certis mineralium corporum ſpeciebus materiam, ita ut aliæ alias producant, falſum eſt. 5 Vulgariter reperias in uno ſtrato diverſas mineralium ſpecies. Hæc docuit Cl. Woodwardus, & cum veritate conſtare Autor noſter expertus eſt, hinc etiam ad pleniorem illius explicationem Lector remittitur. *Caput tertium* marina corpora & alia, quæ, præter primum naturæ ordinem, in terra repoſita ſunt, conſpicienda præbet. Conchylia petrefacta vera ſunt conchylia, & earundem ſpecierum, quales nunc in mari degunt, quod ex diligente utrorumque comparatione probatum eſt, & modus ille formationis conſtitutus, nempe ex æſtuante mari delata eſſe teſtacea corpora in littus, atque poſt cum terræ ſtratis commixta materiam lapidoſam admiſiſſe intime, & circum ſe poſitis corporibus figuram ſui impreſſiſſe. Hinc poſtquam VII tabulis æneis centum & viginti figuris, maximam partem non vulgo viſis, varias conchyliorum petrefactorum ſpecies delineaſſet, & in ſingulis, quæ notatu digna eſſent, curioſe perſcrutatus eſſet, integram animalium petrefactorum doctrinam his includit aſſertis. 1 Extra dubium ponendum, cum talia cum ſui generis animalibus, quoad ſubſtantiam, interio-

rem texturam, magnitudinem, figuram externam, (paucis exceptis, quæ a materia minerali irruente aliquantum deformata ſunt) artuum ſtructuram, medullas, conveniant, veras eſſe animalium partes, quas referunt. 2 Ratione ſpecificæ gravitatis graviora altius eſſe demerſa & lapidibus ipſis admiſta; leviora autem ſuperficiei propius adhærere, & terræ lapidoſæ involuta eſſe. 3 Foſſilia animalia non modo laxioris compagis ſtratis incluſa eſſe; ſed etiam ſolidiſſimis lapidum, & omnibus terræ partibus, quæ compactæ ſatis ſunt, ad continenda & conſervanda hæc corpora. 4 Omnibus glebarum ſtratis interjecta ſunt, cum in altioribus collibus & in diſſitis a mari locis, tum in profundioribus terræ meatibus & mari propinquis. 5 Variæ ſpecies reperiuntur in omnibus locis, & aliquando copioſe collectæ, aliæ vero neque adhuc in Brittannicis litoribus, neque in aliis, hactenus deprehenſæ ſunt, unde probabiliter concluditur, has neque ſponte e profundo maris prodire, neque tempeſtatibus & procellis ejici. 6 Pari ratione inveniuntur oſſa piſcium & conchylia in terræ viſceribus, non contemnendæ profunditatis, & in locis a mari longius diſſitis. Quorum aſſertorum plenior confirmatio tribuitur ſolertiſſimi Woodwardi obſervationibus. Non ſolum marinorum animalium corporum partes terra effodiuntur, ſed & terreſtrium, immo & trunci atque radices plantarum, ut quercuum, & abietum, quæ quomodo delatæ eo ſint, curioſe diſputatur, & confirmatur ſententia, non alia cauſa, quam per univerſale diluvium demerſas eſſe, ſicut & marina corpora. *Caput quartum* aquarum Northamtoniæ naturam explorat, & poſt generalia & curioſisſima earum examina, de fontibus lapidificis & medicatis plenior ſequitur tractatio. Triplicis autem generis conſtituuntur aquæ lapidificæ; primum genus eſt, quando ipſæ deſtillantis aquæ guttæ durantur in lapides, ſecundum, quando aqua obducit cruſta lapidea alia corpora, & tertium, quando intima corporum, aquam admittentium, lapidoſa materia replet, quod quidem ſibi nondum obſervare licuiſſe monet Noſter. Acidularum inde ſequitur ſcrutinium, plurimis obſervationibus & experimentis illuſtratum & confirmatum; ubi ad nitri atque vitrioli naturam accedere potisſimum minerales in illis partes, concluditur, oleoſa vero ſupernatans & reſplendens cuticula, non tam bitumini vel ſulphuri debetur, ſed vegetabili

Digitized by Google

vegetabili oleo, ex terra vegetabili, ſuperius collocata, extracto. Ad fontium originem eruendam ſupponitur, quod in quavis inſigniori terræ profunditate obſervare liceat vaporem aliquem calidum & humidum, qui per omnes terræ rimas, ubi datur via, continuo aſcendit, atque fiſſuras ſtratorum perpendiculares, interſtitiaque glebarum horizontalia, pro diverſitate ſpatii, uberius vel parcius pervadit, & ſi propius ad terræ ſuperficiem elevatus eſt, imminuta caloris protrudentis actione, a ſtrato lapideo impeditus, in guttulas colligitur, quæ per infernum ejusdem ſtrati latus planum labuntur & in fiſſuris perpendicularibus confluunt, ac tandem per poros & fiſſuras connexi ſtrati, qua proxime ad exitum via aperta eſt, prodeunt. Quæ Autoris hypotheſis plurimis adhibitis experimentis & collectis rationibus demonſtratur; præcipue in uſum vocata ſunt thermometra, ad calorem ſubterraneum ejusque differentes gradus dignoſcendos, quæ conjecturæ de ventorum origine occaſionem dedere, ita namque liquor in thermometro, in abdita terræ demiſſo, ſtatim ante ſubortum ventum, pro ratione violentiæ, elevatus eſt, ex quo conjicitur, hinc ventorum quoque originem repetendam eſſe, quod tamen ulteriori Lectoris meditationi relinquitur. *Caput quintum* de cœlo & aere agit. Aer in ſtricto ſignificatu in omnibus locis idem peculiare & ſibi homogeneum fluidum eſt, differentes vero affectiones habet, a corpuſculis admixtis terreis & mineralibus, pro quorum diverſa vel quantitate vel qualitate diverſus eſt; & quoniam nullibi abſolute ſimplex & purus invenitur, ille ſanitati hominis maxime conducit, qui ad primam ſimplicitatem accedit propius, & qui ab admixtionibus noxiis quam maxime immunis eſt; ex quo cognoſcitur Autoris de aeris natura & ſalubritate ſententia, quæ tanta obſervationum optimarum copia exornata eſt, ut eas in compendium mittere haut liceat. *Capite ſexto* de plants, ſervata methodo, quam Celeberr. Plot in naturali hiſtoria Comitatus Oxonienſis & Straffordiæ elegit, deſcripſit herbas, frutices, & arbores, 1 indigenas, nondum ab aliis recenſitas, 2 aliquot a Cl. Rajo in ſynopſi non adnotatas, 3 provinciæ ſuæ proprias & adeo magis raras, 4 eas, quæ propter perculiares affectiones, & minus vulgares, obſervandæ ſunt. Ex primarum numero illam nominamus, quam p. 364 deſcripſit Autor, a Cl. Manſelio non incongrue Cotulam

Digitized by Google

ſpecioſam petalis marginalibus fiſtuloſis dictam, cujus tamen denominationis ratio tunc manifeſtior foret, ad diſcernendam ſpeciem, ſi ſeminis forma ſimul expreſſa fuiſſet. *Caput ſeptimum* de brutis animalibus, omnia comprehendit viva rationis expertia, reptilia, aquatilia, volucria, & terreſtria animalia, quorum ea eſt tractationis methodus, ut miſſis illis, quæ vulgo ſcripta ſunt, hæc tantum proferantur, quorum ab aliis vel nulla mentio facta eſt, vel minus frequens. Inſectorum dignoſcendorum methodum ſagaciſſimus Rajus nuper invenit, quam in primis Cl. Autor ſectatus eſt, & de Noſtri induſtria teſtatur, quod inter cochleas terreſtres ſex utique novas ſpecies, Liſtero, cujus ſolertia hac in re aliorum ſtudium ſuperat, incognitas, obſervaverit, quas p. 416 deſcriptas dedit. Ovum in ovo ſe oculis uſurpaſſe, docuerat Cl. Manſelius, at Noſter quoque ſe aſſervare tradit exiguæ molis ovum gallinaceum, quod includit aliud ovi putamen, forma & magnitudine ad glandis quercinæ calicem accedens, quod ovum poſtquam aliquot annos integrum ſervavit, tandem foramine pertudit, atque contentam aliam teſtam retexit, præter naturæ ordinem vitello & albumine vacuam, quæ tractu temporis exhalaſſe conjectura eſt. *Caput octavum* de homine, in tres claſſes diſtinctum eſt, in prima agitur de raro evenientibus in partu vel ante eum, ubi monſtrorum integra abſolvitur doctrina; in ſecunda de illis, quæ in vitæ curriculo accidunt, ubi de morbis, qui ab infantia ad ſenectam cuivis ætati peculiares ſunt, & fide prope majus eſt, quod p. 460 narratur de puero ſemeſtri, qui cum veſicæ calculi doloribus jam conflictatus eſt; hic poſtquam aliquoties ſabuloſum coagulum excreviſſet, tandem majuſculum corpus, per urethram protruſum, a præputio impeditum & detentum fuit, & cum illud inflammaretur, & ab urinæ acredine magis conſtringeretur, quam ut exitus daretur calculo, per biennium ibi hæſit, & a prima pollicis magnitudine, ab affluente cum lotio & accreſcente materia, ad quinque pollicum molem auctus eſt, quam cum puer diutius ferre non poſſet, præputium cultro diſcidit, atque ita calculus in tria fruſta diffractus excidit; quod Noſter ab illis accepit, de quorum fide dubitare nequit, & puer, qui nunc ad juſtam ætatem pertigit, vivit integer. *Cap. nonum* artium hiſtoriam exhibet, tam ruſticarum, quam mechanicarum & liberalium, ubi inventa varia, quæ

VII.

Digitized by Google

pag. 443.

Fig. 4.





Fig. 2.



Digitized by Google

regionis civibus ſunt propria, narrantur. Huc referuntur, quæ ad agros ad uberiorem ſegetem excolendos, & ad animalium fœcundam propagationem, paſtum, & ſimilia faciunt, ad hortos apparandos, & ædificiorum moles tollendas, & ornandas, & reliqua. Antiquitatum inveſtigatio *capiti decimo* ſervata eſt, in quo de numis, viis, pavimentis, vallium ruderibus, urnis, & vaſis aliis, atque utenſilibus antiquis agitur, quæ vel a Britannis, vel Romanis, vel Saxonibus, vel Danis priſcis poſteritati relicta ſunt.

Primum antiquitatis Britannicæ monumentum eſſe creduntur annuli, vel globuli perforati, figlini & vitrei, quorum figuras exhibet Tab. VII Fig. 1 & 2, iique Druidarum faſcina vel amuleta fuiſſe creduntur. TAB. VII. Fig. 1, 2. Quantum ad Romanarum antiquitatum rudera, plura hic afferuntur de viis publicis, & vicinis, vicis, munimentis, caſtrametationibus, monimentis ſepulchralibus, & quæ in iis reperire mos eſt, & ſimilibus, quæ non minus docent, quam delectant. De urnis quando agitur, quarundam fit mentio, quæ quanquam in Northamtonia non effoſſæ, propterea tamen notatu dignæ ſunt, quod in una earum crucis forma ruditer picta fuerit, omnes autem Orienti obverſæ; unde Cl. Autor contra antiquariorum vulgo receptam opinionem, quod nunquam combuſſerint Chriſtiani recens converſi mortuorum cadavera, argumentum petit. Inter numos ille propter obſcuras notas Autori faceſſivit operam, qui in Figura 3 Fig. 3. pictus eſt, qui an Britannorum ſit, propter aliquot notas, id indicare viſas, an Romanorum, propterea quod numerus duodenarius videatur inſcriptus eſſe, non ſatis liquet, eoque aliorum judicio relinquitur. Quinto ſeculo poſt Chriſtum natum, A. 445, cum per quatuor ſecula & ultra obtinuiſſent, Romani deſeruerunt inſulam, quando Saxones in auxilium contra Pictos vocati ſunt; qui hoſpites initio mox in illa ſedem fixam conſtituerunt, & poſtea cum Danis multis atrocibus bellis geſtis ſæpius conflixerunt, unde paſſim extant monumenta & utriusque gentis antiquitatum rudera, quas ſumma diligentia Noſter collegit. Denique monemus, indicem quidem eſſe libro ſubjunctum, ſed qui ſua brevitate rerum & obſervationum copiæ non reſpondeat. In gratiam autem civium ea pars faſtorum Britanniæ, quos *Domus Dei librum*, (Doomsdey-Book) appellant, libro in fine adnexa eſt, quæ ad Northamtoniam pertinet.

Digitized by Google

JACOBI ROHAULTI PHYSICA. LATINE vertit, recenſuit & annotationibus, ex Illuſtriſſimi ISAACI NEWTONI Philoſophia maximam partem hauſtis, amplificavit & exornavit SAMUEL CLARKE, S.T.P. Regiæ Majeſtati a ſacris. Editio tertia, in qua annotationes ſunt dimidia parte auctiores additæque octo Tabulæ æri inciſæ.

Londini, impenſis Jacobi Knapton, 1710, 8 maj.
Alph. 1 plag. 11 Tabb. æn. 27.

ETſi *Rohaulti* Phyſica omnium manibus teratur, qui huic ſtudio operam navant; quoniam tamen de nova hac verſione dicere nondum licuit, ut nunc ejus mentionem injiciamus, e re videtur. Ad novam vero verſionem hanc adornandam Cl. Interpretem impulit tum Tractatus ipſius utilitas, tum prioris verſionis (ut ipſe loquitur) ineptia. Utilitatem conſtare arbitratur ex toties iteratis editionibus tam Gallicis, quam Latinis. Ineptiam prioris verſionis aliquot exemplis in præfatione probat, ex quibus apparet, priorem interpretem ſubinde protuliſſe a mente Autoris quam maxime aliena & per ſe abſurda, interdum talia, quæ prorſus intelligi nequeant. De ſua verſione fatetur, quod de verbis minus laborans, ſenſum Autoris fideliter & dilucide reddere conatus ſit, in annotatis vero partim diluerit, quæ Autori minus recte objici viſa ſunt, partim ex optimis Autoribus excerpſerit, quæ recentiorum Philoſophorum induſtria in lucem nuper eruerit. In his vero ſe permulta debere gratus fatetur *Richardo Laughtono* & *Carolo Morgano*. Certe poſterioris eſſe profitetur integras ſex Diſſertationes de motus communicandi legibus in corporibus elaſticis, de poteſtatum mechanicarum viribus explicandis, de corporum gravium deſcenſus celeritate, de motu projectorum, de motu pendulorum in cycloide & de iride. Cl. *Clericum* paſſim in talibus perſtringit, quæ oſtendunt ipſum argumenta philoſophica non ſatis profunde eſſe meditatum. Sed agedum ad ſpecialiora nonnulla digrediamur.

Argumentum *Carteſii* pro exiſtentia Dei ſubtile nimis ac evanidum vocat & multo uberius ac firmius illud judicat, quod ex rerum creatarum varietate, pulchritudine, ordine ac diſpoſitione Deum infert. Mundi corporei exiſtentiam demonſtrari poſſe cum

Male-

Malebranchio negat: nec concedit, extenſionem eſſe eſſentiam materiæ, quod latius pateat extenſio quam natura corporea. Ipſe ſubſtituit cum *Lockio* ſoliditatem impenetrabilem, tum quod materiæ univerſæ eique ſoli competat, tum quod ipſius judicio omnes illius proprietates ex ea fluant. Rejicit quoque ſpatii cum materia identitatem a *Carteſianis* aſſertam: videtur enim ipſi, *Mori* atque *Raphſoni* de ſpatio opinionibus innutrito, inde ſequi, quod materia ſit infinita atque æterna, quæ neque creari potuerit, neque in nihilum redigi poſſit. Inane cum illuſtri *Newtono* propugnat: pleno nempe cum Carteſianis admiſſo, corpus in aere projectum vel in loco, unde exhauſtus ſit aer, non minus difficile moveri debere arbitratur, quam in argento vivo. Plures eſſe poſſe mundos, negat cum Autore, utut concedat plures dari terras, plura item ſyſtemata planetaria: mundum nimirum per rerum univerſitatem definit. Principia hydroſtatica de preſſione fluidorum demonſtrat atq; Geometræ ſummi *Nevvtoni* regulam generalem motus corporum claſſicorum ex Algebra ipſius adducit & ad ſpecialia applicat. Concedit equidem, corpus non poſſe agere in aliud niſi contactu & impulſu: hoc tamen non obſtante negat, gravitatem ex corporum mutuo impulſu oriri poſſe. Rationem hanc reddit, quod omnis impulſus fiat pro ratione ſuperficierum, gravitas autem quantitati materiæ ſit proportionalis. Admittit igitur attractionem, quæ non ſit actio materiæ in diſtans, ſed actio cauſæ cujusdam immaterialis, materiam perpetuo certis legibus moventis & regentis, eamque ex Optica *Nevvtoni* ipſis Viri doctiſſimi verbis fuſius illuſtrat. De ea cum jam paſſim in his Actis ad nauſeam usque dictum ſit, plura in præſenti non addimus. Phænomena baroſcopii ex Transactionibus Anglicanis n.181 cum eorum explicatione transſcribit. Diſputat contra *Perraltum*, aſſerentem, motum in circulo æque naturalem eſſe quam in linea recta. Motum reflexum negat eſſe continuationem directi: novum eſſe defendit, nova vi impreſſum, vi nempe elaſticitatis. Cur ſagitta e navi plenis velis navigante ſurſum ad perpendiculum emiſſa eodem, unde emiſſa eſt, recidat, cauſam hanc reddit, quod ſagittæ eodem tempore motus duplex imprimatur, alter ab arcu vel manu emittentis, alter a nave progrediente. Potentiarum mechanicarum vires demonſtrat ex motus rectilinei compoſiti in duas ſimpli-

Digitized by Google

ces reſolutiones,vim nempe compoſitam per diagonalem parallelogrammi agentem reſolvendo in duas ſimplices, quæ juxta ejus latera agunt. Aberraſſe notat *Jſaacum Voſſium* & *Willebrordum Snellium*, exiſtimantes, radium lucis perpendicularem quodammodo in ſe refingi ac contrahi, quia objectum ſub aqua inſpectum propius vero videtur: falſo enim ab ipſis refractioni attributum, quod fuerit radiorum obliquorum poſt refractionem a propiore demum puncto divergentiæ tribuendum. Propoſitiones hydroſtaticas ab Autore breviter ac confuſius indicatas plenius explicat. Tria *Carteſii* elementa tanquam commentitia rejicit, quod ex mundi plenitudine pendeant, & ex Optica *Nevvtoni* repetit, Deum ab initio rerum materiam ita creaſſe, ut primigeniæ ejus particulæ, e quibus deinceps oritura eſſet corporea omnis natura, ſolidæ eſſent, firmæ, duræ, impenetrabiles, inertes & mobiles, iis magnitudinibus & figuris, iisque inſuper proprietatibus, eoque numero & quantitate pro ratione ſpatii, in quo futurum erat ut moverentur, quo poſſent ad eos fines, ad quos creatæ fuerant, optime deduci, immo tam perfecte duræ, ut nulla in conſueto Naturæ curſu vis ſit, quæ eas in plures partes dividere queat, hoc eſt, *Democriti*, *Leucippi* aliorumque veterum atomos in Philoſophiam revocat & variis qualitatibus ac virtutibus primigeneis dotat, quemadmodum cum aliis dudum fecit *Charletonius* in Phyſiologia. Ex illis atomis varie inter ſe nutu & conſilio agentis intelligentis in prima rerum fabricatione ſociatis corpora prodiiſſe, cum eodem *Nevvtono* aſſerit. Corpuſculorum phyſice inſecabilium, hoc eſt, atomorum cohæſionem cum eodem ab attractione arcesſit. Particulas nempe minimas ſeſe magna vi attrahere pronunciat, quæ in ipſo contactu perquam ſit magna, parvis intervallis interjectis minor, ad ſpatia autem a particulis aliquando remotiora non omnino pertineat. Fieri nempe poſſe, ut materiæ exiguiſſimæ particulæ attractionibus fortiſſimis cohæreant, conſtituantque particulas majuſculas, quarum vis illa attrahens debilior ſit; harumque particularum majuſcularum permultæ inter ſe itidem cohærentes particulas majores conſtituant, quarum vis attrahens adhuc ſit debilior. Autori & *Carteſio*, quem is ſequitur, jure exprobrat, quod fingant particulas inter ſe conglutinari quiete, hoc eſt, plane nihilo: ſed valde tamen verendum, ne in retorquendo faciles ſint *Carteſiani*.

Digitized by Google

teſiani. Frigus vaſa vitrea a fornace recentia frangere, ſtatuit Interpres, ceterarum partium motum repente ſiſtendo, dum reliquæ valide moventur. Rotunditatem guttarum attractioni adſcribit, quia guttæ etiam in vacuo permanent rotundæ. Eidem tribuit aſcenſum liquorum ultra libellam in tubulis capillaribus. Ex calculo mechanico liquere ait, omnem de motu perpetuo quæſtionem eo redire, ut pondus inveniatur ſe ipſo ponderoſius vel vis elaſtica ſe ipſa fortior: quod ſit abſurdum. Experimentis *Boylii* probat, ſaporem & odorem in figura ac compoſitione particularum conſiſtere. Radios luminis pro exiguis corpuſculis e corporibus lucentibus ingenti celeritate emiſſis habet, quam *Democriti* atque *Empedoclis* hypotheſin poſt multos recentiores, præſertim Anglos, quos inter *Charletonius* in Phyſiologia, etiam *Newtonus* a Cl. Interprete citatus amplectitur. Reflexionem radiorum & refractionem effici non incidendo in ipſas corporis reflectentis partes, ſed vi aliqua per totam corporis ſuperficiem æquabiliter diffuſa, qua id in radium agat, attrahendo vel repellendo, ſine contactu, argumentis ex Optica *Newtoni* deſumtis adſtruere conatur, cujus etiam de coloribus experimenta & hypotheſes (de quibus nonnu la diximus in Actis A. 1706 p. 60 & ſqq.) recenſet atque exponit. Objectiones, quas Viri docti tum in Gallia, tum in Anglia contra illam theoriam fecere, feliciſſime diluit Vir perſpicaciſſimus *Newtonus*, quemadmodum ex Transactionibus Anglicanis n. 84, 85 88, 96, 97, 121, 123, 128 abunde conſtat: unde multi optant, ut mentem ſuam aperire dignetur de difficultate ab ingenioſiſſimo *Mariotto*, rerum naturalium (dum viveret) ſcrutatore indefeſſo, nec infelici; in Tractatu de Coloribus p. 207 & ſeqq. contra eam mota. In diſtantia ſcilicet 25 circiter aut 30 pedum charta excepit radium ſolidum per exiguum foramen in cameram obſcuram immiſſum & per priſma vitreum trigonum transmiſſum, coloremque violaceum ſpatium majus quam 3 linearum occupantem, per crenam duarum linearum trajectum, alio priſmate excepit admodum oblique oppoſito: quo facto quandam ejus partem in rubrum & flavum transmutari obſervavit. Similiter luminis rubri partem in cœruleum & violaceum transmutari expertus eſt. Hac vero transmutatione admiſſa corruere theoriam *Newtonianam*, ex Actis A. 1706 p. 60 & ſqq. manifeſtum eſt. Aſſumſit autem *Mariottus* diſtantiam 30 pedum, ne quis

 exciperet,

Digitized by Google

exciperet, in minori diſtantia nondum factam eſſe plenariam radiorum heterogeneorum ſeparationem. Nobis experimentum Mariotti tum demum videretur deciſivum, ſi lumen cœruleum integrum in aliud mutatum fuiſſet. Sed redeamus ad Scholiaſtem *Robaulti*. Is ſtellas fixas inſtar punctorum eſſe probat, quod, ubi Lunam ſubeunt eclipſin paſſuræ, lumen earum non gradatim, ſed totum ſimul evaneſcat & finita eclipſi totum ſimul in conſpectum redeat. Ex *Hugenii* Coſmotheoro adducit modum ingenioſum diſtantiam fixarum conjectandi. Contra vortices cœleſtes *Carteſii* argumentis *Newtoni* pugnat, & hujus cauſas phyſicas motuum cœleſtium explicat, Planetas nempe moveri in ſpatiis vacuis partim vi a Deo impreſſa, partim vi gravitatis, qua a motu rectilineo primarii in Solem, ſecundarii in ſuos primarios trahuntur, ut etiam viſum eſt *Hookio*. Gravitatem vim primigeniam eſſe agnoſcit, ita ut quæri non debeat, qui fiat, ut corpora gravitent, & idem a *Keplero* in Introductione ad Commentarios de ſtella Martis jam agnitum eſſe probat, licet motuum cœleſtium rationem inde nondum explicare potuerit. De Planetarum cum Terra ſimilitudine ex *Hugenii* Coſmotheoro & *Gallilai* Dialogis de Syſtemate mundi diſſerit: de cometarum vero thoria ex *Newtoni* Principiis Philoſophiæ naturalis mathematicis. Demonſtrantur quoque, ubi de gravitate agit, theoremata de deſcenſu gravium motuque projectorum. De Iride affert tum quæ *Newtonus* in Optica habet, tum quæ *Hallejus* de ejus diametro invenienda in Transactionibus Anglicanis prodidi. Pars quarta Phyſicæ *Robaultianæ* cum imperfecta ſit; omiſſis notis, Lectorem ad recentiores Anatomicos remittit.

RELATIO EORUM, QUÆ IN DISSECTO CAdavere Dn. Dove obſervavit GUILIELMUS COWPER Chirurgus, Societat. Reg. Socius. Excerpta ex Actis Philoſoph. Anglic. A. 1712 N. 335.

SI occaſio fuiſſet oblata, citius communicaſſem, quæ in D. Dove diſſectione annotaverim. Cadaver diverſis in partibus nigrum, cœruleum, lividum variumque præ ſe ferebat colorem, antequam illud inciderem; ſpeciatim dorſum (cui ſanguis inhærebat ſuffuſus) nigredo cadaveroſa occupabat, ubi cuticula hinc inde in veſi-

cas

Digitized by Google

cas a ſero erat elevata ſive diſtenta, quale quid ante mortem haud comparuerat.

Muſculi abdominis ſphaceloſi deprehendebantur, utpote ſubnigro cœruleo colore infecti. Hepar omne ſphacelo erat correptum. Lienis ſuperficiem latæ maculæ nigræ obſidebant. Utraque hæc pars levior occurrebat, quam in ſtatu naturali, dum portiones utriusque innatarent æquæ, plusque aeris continere viderentur, quam pulmones in naturali alias ſtatu ſolent. Reliqua infimi hujus ventris viſcera haud adeo prave erant conſtituta, licet inteſtina maculis nigricantibus hinc inde notarentur.

Muſculorum pectoralium diſpoſitio paulo melior advertebatur, quam abdominis, nec muſculi intercoſtales ſimiles erant lumborum muſculis. Cuncti videlicet muſculi, reſpirationi vacantes, plus minus nigricantes mihi videbantur. Dextri pulmonum lobi cernebantur morboſi, idemque thoracis latus parum ſeri comprehendebat. Alterius autem lateris pulmones a præternaturali conſtitutione exiſtebant immunes. Cor vere flaccidum erat & amplum: ventriculus dexter & vena cava polypos haud exiguos continebant. Vena pulmonalis prope cordis baſin nimium dilatabatur: ventriculus cordis ſiniſter parvum polypum multumque ſanguinem grumoſum recondebat. Arteria magna vere tenuis exiſtebat, nec leviter diſtenta apparebat, exhibens una corpuſcula quædam cartilaginoſa, ſuis tunicis intertexta.

In capite mater dura cum ſuperiori calvariæ parte arctius cohærebat, quam ut potuerit ſeparari. Ex ſuprema cerebri vena, quæ ſinus falcis ſuperior audit, eximebatur polypus.

Arteriæ carotides vere tenues erant & ampliores, quam debebant, priusquam cerebri ſubſtantiam intrarent. Breviter, omnia vaſa ſanguifera, a me examinata, nimium videbantur diſtenta, tantoque flatu, ac ſanguine, turgida.

MICH. BERNH. VALENTINI, ARCHIATRI Haſſo-Darmſtatini & P. P. Ord. Gieſſeni, Medicina nov-antiqua, tradens univerſum Medicinæ Curſum, e Scriptis Hippocraticis ad mentem Modernorum erutum. Editio ſecunda, cum Figuris æneis, priori longe auctior & correctior.

Franco-

Francofuri ad Mœnum, impenſis Joan. Maximiliani a Sande, 1713, 4. Alph. 4 plag. 3 Figur. Tab. 8.

Quam Medicinam nov-antiquam Cl. *Autor* A. 1698 jamjam evulgavit, in Actis Menſe Novembri dicti Anni a nobis recenſitam, eandem variis acceſſionibus locupletatam altera nunc vice typis curavit exſcribi. Præterquam enim quod textus Hippocratici exegeſin Figuris ac uberiori hydropis, catarrhi, inflammationis, cachexiæ & febris explicatione, nec non morborum differentiam ex anni temporibus dilucidavit, Miſcellanea imprimis curioſa & fructifera de Novellarum publicarum uſu & abuſu in rebus phyſico-medicis, Diſputationem melico-medicam de Pulſu, Urocriterium Anonymi cum Editoris annotationibus, Trigam remediorum antipodagricorum, Sermones promotionales rerumque ac verborum copioſiſſimum indicem adjeciſſe deprehenditur. Ex omnibus tamen primum Figuras ductus thoracici, tanquam novas, transſcribere viſum fuit, ex *D. Salzmanni* Diſputatione non ita pridem Argentorati de eodem habita in tabulam I translatas, ut conferre queant cum aliis figuris, quibus *Pecquetus*, *Rudbeckius*, *Hornius*, *Bilſius*, *Bartholinus & Verbeyen* canalem ejusmodi in canibus hactenus repræſentarunt. Hinc ex reliquis adjectis elaborationem Sacchari lactis, quod *Ludovico Teſti* adſcribitur, ac inter tria remedia antipodagrica primo extollitur loco, eo minus reticere volumus, quo magis illa, tum in *Epiſtolis* de tali ſaccharo A. 1700 Venetiis impreſſis hicque ſimul ob raritatem communicatis, tum in *Ephemeridum Natur. Curioſor. Dec. III* A. IX & X *Obſervatione 155* conſuevit occultari. Abſolvi autem perhibetur ſequentem in modum: *Rec. lac recens proba nota indeque per aliquot dies repoſito florem, e quo butyrum alias parari ſolet, cochleari hauriendo aufer. Hoc facto idem lento igni expone, ut ſponte ſua præcipitetur, quo per colatorium trajecto ſerum obtinebis ſeparatum. Hujus tantum, quantum placuerit, ebulliat in olla aut aheno ſtanno intus obducto & abhinc filtretur per chartam bibulam. Filtratum cucurbitæ immitte & pedetentim exhalare ſinito. Notandum autem, ut ad hanc elaborationem olla recentisſima & munda ſumantur. Lac quoque, ſi in ſerum converti debet, juſto diutius ſervari non decet, alioquin cryſtalli nimis acidi evaderent.*

Explica-

Explicatio Figurarum.

Fig. 4 a Cor ad dextrum latus reclinatum. b Arteriæ aortæ ſeu magnæ truncus deſcendens. TAB. VII. Fig. 4.

c c Eadem arteria prope cor abſciſſa. d Truncus venæ cavæ ſuperior.

e Vena ſine pari, azygos dicta, ſanguinem ſuum in venam cavam exonerans.

1 2 3 4 Venæ, intercoſtales dictæ, a vena ſine pari propullulantes.

5 6 7 8 Arteriæ intercoſtales ductum thoracicum ſupergredientes.

f f Vena ſubclavia ſiniſtra, ex parte aperta. g Vena jugularis interna ſiniſtri lateris.

h Eadem dextri lateris. i Ren dexter. k Vena ſubclavia dextra.

l Ren ſiniſter. mm Coſtæ dextri lateris. n Arteria emulgens ſiniſtrorſum reclinata.

o o Truncus arteriæ aortæ prope emulgentes abſciſſus, eum in finem, ut receptaculum Pecqueti manifeſtius appareat.

p Arteria cœliaca abſciſſa. q Arteria meſenterica ſuperior diſſecta.

r Arteria meſaraica inferior detruncata. s s Arteriæ iliacæ, quæ ad extremitates inferiores pergunt.

t Ciſterna chyli, ſeu receptaculum Pecqueti.

u u u u Vaſa lymphatica aut lactea, liquorem ſuum in ciſternam deponentia.

x x x Ductus chyliferus ſeu thoracicus, ſecundum longitudinem dorſi inter arteriam aortam & venam ſine pari aſcendens, atque corporibus vertebrarum ſuperincumbens.

y y Circulus prope inſerionem ductus thoracici conſpicuus & ab illo Bilſii non multum abludens.

z z Inſertio duplex hujus ductus in venam ſubclaviam ſiniſtram apertam, quo valvulæ & oſtiola melius appareant.

Fig. 5 a a Arteria magna ſeu aorta deſcendens. b b Eadem abſciſſa prope emulgentes. Fig. 5.

c c Glandulæ lumbares. d d Canales ab his glandulis in ductum thoracicum hiantes.

e Congeries ſeu faſciculus ductuum anfractuoſorum glandulas fere mentientium.

f f Similes ductus tortuoſi hinc inde ſparſi, in quos lac injectum penetravit.

g g Ductus thoracicus modo anguſtus, modo magis dilatatus.

q Idem eo in loco, quo alias receptaculum conſpicitur, quam maxime ampliatus.

h Idem ductus duos in ramulos z z abiens, quorum uterque ſacculum pyriformem, ſeu corni fructum referentem, efformat.

i i Vena ſubclavia ſiniſtra, cui hi ſurculi inſeruntur.

l Vena jugularis interna ſiniſtra, cum ſubclavia in unam coaleſcens.

TAB. VII. Fig. 6. Fig. 6 a a Vena ſubclavia ſiniſtra. b Vena jugularis interna ſiniſtra. c Inſertio ductus thoracici duplex.

Fig. 7. Fig. 7 a a Valvulæ ſemilunares ſurſum elevatæ prope concurſum venæ jugularis & ſubclaviæ ſiniſtræ, ſub quibus

b b duo oſtiola duplicis inſertionis, membranis bivalvibus munita, latitant.

JOHANNIS MAURICII HOFFMANNI, Philoſ. & Medic. Doctoris, diverſorum S. R. I. Principum Conſiliarii & Archiatri, Univerſitatis Altdorffinæ Senioris & Facultatis Medicæ Prof. Publ. primarii &c. Diſquiſitio Corporis Humani Anatomico-Pathologica, Rationibus & Obſervationibus Veterum & Recentiorum, ſingulari ſtudio collectis, confirmata.

Altdorffi Noricorum, typis Magni Danielis Meyeri, 1713, 4. Alph. 2 plag. 8½.

POſtquam Experientiſſimus *Autor* decem abhinc annis in *Idea Machinæ humanæ anatomico-phyſiologica*, in Actis Menſe Februario A. 1704 a nobis recenſita, naturalem partium corporis noſtri dilucidavit ſtatum, huic præternaturalem pariter eodem ſervato ordine in præſenti *Diſquiſitione Anatomico-pathologica* non ſine ratione ſubnectit. Quamvis enim Riolanus in *Enchiridio anatomico*, Mœbius in *fundamentis Medicinæ Phyſiologicis*, Molinettus in *Diſſertationibus* ſuis *anatomico-pathalogicis*, & alii Hiſtoriæ naturali partium præternaturalem quoque jamjam exhibuerint ſubiectam, ab eo tamen tempore quia Pathologia Recentiorum obſervationibus multum

multum increvit,conſultum Noſter duxit tales,cum ex ævi hodierni ſcriptoribus,tum ſpeciatim ex Ephemeridibus Academiæ Naturæ Curioſorum, reliquis hic adjungere. Quod ut æque pateſcat, ac quomodo morborum & ſymptomatum rite ab invicem diſcernendorum rationem ſimul habuerit, effectusque morbidos, quantum præſentis inſtituti norma conceſſit, a ſuis deduxerit cauſis, ex *viginti ſpeciminibus*, in quibus Integumentorum communium atque abdominis, thoracis, colli & capitis afflictiones enumerantur, non niſi *nonum* de morboſis genitalium muliebrium affectibus excerpſiſſe ſufficiet. In iſto nempe Specimine partim morbos vaſorum præparantium, ovarii, tubarum fallopianarum ſive oviductuum, novorum peritonæi diverticulorum, uteri, vaginæ atque pudendi explanat & tantum non ſingulos ſingularibus obſervationibus illuſtrat, partim ſymptomata uteri quoad menſes & fœtus conceptionem, geſtationem partumque declarat. Morboſæ ſiquidem ſortis vaſorum præparantium licet apud Scriptores pathologicos rariſſima fiat mentio, credit nihilominus Noſter, nec improbabile, nec impoſſibile fore, ut dicta vaſa a ſanguine, in nimia copia per arterias affluente, vel non libere per venas ſocias refluente, plus æquo diſtendantur & varicoſa reddantur, vel a coagulo ſanguineo-grumoſo, lymphatico-viſcoſo, tartareo-ſalino obſtruantur, vel a partium vicinarum incumbentium tumore comprimantur, vel a cauſis internis & externis violenter tendendo, rumpendo, rodendo, lacerando ſolutam unitatem patiantur. Præter ovarii fœminei inflammationem, a ſanguine ſulphureo-ſalino fervidiori bilioſo extravaſato reſultantem ac hyſtero maniam ſubinde inferentem, aliosque tumores, hydropem cumprimis ejus ſtupendum ex *Miſcell. Natur. Curioſor. Harderi Apiario* atque *Juſti Theodori Sborkopff Diſputatione inaugurali* memorat. Sicuti autem rationi conforme reputat, ejuscemodi hydropem ſenſim induci a lympha, ex vaſculis lymphaticis diſruptis inter membranaceum ovarii ambitum effuſa, ſive ejusdem lymphæ copia, ſive lentor viſcoſus, ſive acrimonia ſalino-corroſiva cauſæ antecedentis rationem habuerit, ſive abdominis etiam concusſio, conſtrictio, lapſus, contuſio, temerarii & intempeſtivi parturiendi conatus, aliæque cauſæ violentæ externæ præceſſerint. Ita hydatides pariter, in ovario ſæpe obvias & tres earum aliquando in

Digitized by Google

cadavere infanticidæ a ſe ita annotatas, ut ab ovarii dextri membrana externa erumperent, atque magnitudine ovula ſeminalia vera excederent, ab extravaſata lympha folliculi proprii ambitu circumſcripta, aut eadem inter fibrillas membranæ ovarium obtegentis effuſa hancque in veſiculas attollente, aut ipſis etiam ovarii lymphaticis vaſculis, propter obſtructionem in veſicularum ſpeciem elatis, derivat. Neque oviductuum hydropem & hydatides facile negligit, dum exempla illius ex *Tulpio & Muralto*, harum autem ex *Miſcellaneis Naturæ curioſorum* in conſpectum profert, conceptionem fœtus tubariam, a *Thom. Bartholino*, *Elsholzio*, *Tilingio & Cypriano* deſcriptam, tunc evenire cenſens, ubi ovulum intra cancellos oviductus, vel propter amplitudinem ſuam, vel ſegniorem fibrarum motricium motum, vel lentum humorem ad parietes oviductus ovulum agglutinantem, in medio ſuo interciperetur itinere. Novorum peritonæi diverticulorum, occaſione inteſtini ob ponderis gravioris elevationem aliumve vehementiorem corporis niſum in illa protruſi atque ab anguſtiori illorum orificio arctius compreſſi, inflammationem aliquando, demumque gangrænam obſervavit lethalem. Ne cunctas obſervationes transſcribamus, quibus uteri inflammationem, figuram mirabilem, duritiem & magnitudinem extraordinariam, duplicitatem, extenſionem & cohæſionem præternaturalem, inflationem, ſcirrhum, hydropem, procidentiam triplicem, diſtorſionem, vulnera, ulcera, rupturam, omnimodam fere conſumtionem & defectum, orificium itidem internum calloſum, deprehenditur explicare. Omittere tamen haud licet ſingulare exemplum cujusdam Religioſi Capucini, Neagovi in Palatinatu a Noſtro viſi, quo vulnera utero, fœtum geſtanti inflicta, haud ſemper matri & proli lethifera exiſtere docemur: hujus videlicet mater ipſo gravida ex vehementi ad bacillum extremitate acutum alliſione non modo uterum ſibi, ſed & fœtus thoracem ſub papilla dextra pertuderat, matre interea poſt conſolidationem viva remanente, atque cicatrice in dicto Religioſo relicta conſpicua. Circa morbos clauſuræ demum pudendi connatæ, a *Fortunato Fideli*, *Hier. Fabric. ab Aquapendente*, *Henrico van Ronhuyſen*, *Joh. Wiero*, *Bartholino* & in *Miſc. Natur. Curioſor.* annotatæ, accidentariam & aſcititiam ſubjungit, quæ ex violento partu dilaceratæ aut vulneratæ, aut ex aliis cauſis prægreſſis

exul-

Digitized by Google

exulceratæ & eroſæ, poſtea conſolidando conglutinatæ & occluſæ vaginæ ſoleat ſuccedere, eamque propria prius obſervatione confirmat, quam de variis genitalium excreſcentiis & rhagadibus, nec non de clitoride nimis elongata diſſerat. Quibus de morbis organorum muliebrium fuſius expoſitis, ad ſymptomata tandem accedit utero propria, hæcque vel circa menſes, vel fœtus conceptionem, geſtationem ac partum diſtinctius evolvit ſingulorumque ſpecies, v. g. menſium præmaturum fluxum, emanſionem vel morbidam ſuppreſſionem, ſtillicidium, fluxum nimium, vitioſam qualitatem, per aliena loca excretionem, cum aliis corporibus rejectionem; conceptionem aut abolitam, aut depravatam; geſtationem fœtus in utero vel ſimulatam in falſa ingravidatione, vel abruptam in abortu, vel nimium prolongatam, vel in alieno loco peractam &c. nunc experimentis, nunc rationibus, adſtruit. De cetero ſub calcem Clariſſimi *Autoris Programma Anatomicum XI* de Sectionis cadaverum utilitate, atque *XII*, quo ſcrutanda in maſculino cadavere per modum Inſcriptionis indigitavit, non minus reperiuntur annexa, ac rerum index, a Dn. *Joh. Georg. Haſenneſtio* concinnatus.

HISTOIRE DES SEPT SAGES,

i. e.

HISTORIA SEPTEM SAPIENTUM, DEſcripta a LARRÆO, Regis Boruſſici Conſiliario aulico & Legationum.

Roterodami, apud Fritſchium & Bœmium, 1713, 8 maj. Alph. 1 pl. 8.

Illuſtris Autor, cuius *Hiſtoria Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ* Gallico ſcripta idiomate, ac Roterodami emiſſa tomis quatuor, e quibus duos excerpſimus A. 1708 p. 440 & 498, magno excepta eſt applauſu, nunc ad Philoſophicam converſus hiſtoriam duobus libris *Hiſtoriam Septem illorum Græciæ Sapientum* exponere conſtituit. Eorum nunc priorem luci datum publicæ perluſtrabimus, in quo convivium ſeptem ſapientum in aula Periandri, Corinthiorum ſive regis ſive tyranni, celebratum fuſiſſime deſcribendum ſuſcepit. Pag. 2. Ante omnia vero diſquirit, quinam fuerint VII illi Sapientes. De Thalete, Pittaco, Biante & Solone omnes conveniunt. De ceteris

tribus diſſident inter ſe Autores; aliis Cleobulum, Myſonem &
Chilonem: aliis Periandrum; Anacharſin & Epimenidem: aliis de-
nique Piſiſtratum, Thraſybulum & Pherecydem recenſentibus.
Noſter nec Æſopum, nec Pythagoram ex Sapientum hujus ævi nu-
mero vult excluſos, adeoque & horum hiſtoriam hic decrevit per-
Pag. 4. ſequi. Ceterum cum Thales natus ſit Olymp. 35, circa A.M. 3348:
& reliquorum Sapientum nonnulli vixerint usque ad Olymp. 60,
circa A. M. 3448: integri ſæculi fata & eventus Noſter perſequitur.
10. Ac poſtquam generatim docuiſſet, Sapientes illos ex converſatione
cum Judæis profeciſſe videri ex eo, quod id temporis plurimas ha-
buerint agendi cum Judæis occaſiones; ſingulorum characteres de-
14. ſcribit. Thaletem judicat primum eorum fuiſſe & ætate & inge-
nio: de Deo ejusque attributis optime ſenſiſſe: de creatione mun-
di & immortalitate animæ plane ſupra Philoſophiæ paganæ captum
locutum eſſe: ac denique præditum fuiſſe moribus ſanctiſſimis.
16. Pittacus (ita pergit) propter ſapientiam & virtutem electus eſt a
civibus rector Reipublicæ: ea vero fuit moderatione animi, ut ab-
17. dicato principatu cives juberet vivere liberos. Bias eximius fuit
19. contemtor divitiarum. Solon Remp. Athenienſium optimis or-
navit legibus, Piſiſtrati ſe tyrannidi oppoſuit, voluntario exilio pa-
28. triam mutauit. Cleobulus vir fuit fortis, ſapiens, injuſtitiæ, perfidiæ
& ingratitudini inimiciſſimus. Gloriam ejus auxit doctiſſima filia
29. Cleobulina. Myſon neglectis honoribus publicis privatam elegit
30. vitam, ſeque dedit agriculturæ. Chilon ſumma cum laude geſſit
24. rempublicam. Inter hæc meminit, omnes illos Sapientes incenſos
31. fuiſſe ſingulari amore veritatis, itemque poeſeos. Septem jam lau-
datis adiungit Anacharſin, Epimenidem, Pherecydem, qui non fu-
39. erunt Græci. Quorum hiſtoria & characteribus deſcriptis redit
ad Græcos, & pariter hiſtoriam characteremque perſequitur Pe-
51. riandri, Thraſybuli, Piſiſtrati, Pythagoræ, qui agmen horum Sapien-
tum claudit, reliquisque illis Sapientibus penitius penetraſſe dicitur
61. in arcanos phyſices, mataphyſices, matheſeos, philoſophiæ mora-
lis & politicæ receſſus. Nunc demum ex Plutarcho deſcribit ce-
lebre illud ſeptem Sapientum convivium in aula Periandri. Non
tamen preſſe ſequitur veſtigia Plutarchi, ſed utili mixturus dulce
philoſophicis abſtractionibus non inhæret, ſed populari more ratio-
cinationes temperat jucundis parentheſibus, adeoque ſe ad genium

Gallorum, quorum lingua utitur, accommodat. Eodem conſilio ſermonibus philoſophicis interſerit varias digreſſiones hiſtoricas lectu oppido jucundas. Ceterum cum in hac hiſtoria complures ſe offerant difficultates chronologicæ, has Cl. Autor non putat obſtare rei veritati. Quanquam nos quidem non dubitamus, totum illud convivium ex ingenio eſſe confictum ſive Plutarchi ſive alius neſcio cujus. Sed nolumus hac de re diſputare uberius: redimus potius in viam. Pag. 65.
Digreſſione igitur facta de fatis Corinthi urbis, & de occaſione locoque hujus convivii, Chilonem, qui invitatus venire noluit, 75.
donec ſciret, qui præter ipſum ſint interfuturi convivio, ab incivilitatis crimine liberat. Hinc enarrat, quos ſermones habuerint Sapien- 79.
tes in itinere, cum proficiſcerentur ad Periandrum, nempe de bonorum Principum raritate, & an converſatio talis, qualis in aula Periandri futura ſit, Philoſopho conveniat. Poſtea ſumma comitate a 86.
Periandro excepti Sapientes ante convivium diſſertantes inducuntur de πρωτοκλισίας, nec non de noxia parentum indulgentia: item explicantes cum hiſtorice, tum moraliter fabulas de Sirenibus, de Sphinge, de Minotauro, de Centauris. Inito convivio, quod præ- 119.
ter morem regium, frugale & philoſophicum erat, Niloxenus, Regis Ægypti Amaſis legatus, poſtulatum Æthiopiæ Regis proponit, qui a Rege ſuo exigebat, mare ut exhauriret bibendo. Hinc Sapientes, quid reſpondendum eſſet, conſultant Deinceps Æſopus (nam & 85, 131.
is a Crœſo legatus huc acceſſerat) apologum profert de pelle vulpis conſuenda cum pelle leonis, eumque explicat de prudentia regia. Hunc in modum de rebus quibusvis convivantium more colloquentes porro inducuntur Sapientes. Enarratur etiam hi- 142.
ſtoria Æſopi, itemque Sapphus, utraque fuſiſſime. Cumque in his ſermonibus injiciatur mentio urbium Maſſiliæ & Cyrenarum, utriusque hiſtoria copioſe ediſſeritur, adjecta diſſertatione de ſtatu 173.
Reip. optimo. Finito tandem convivio Sapientum Autor occaſio- 210.
nem arripit pluribus agendi de Græcia ejusque Rebusp. item de ſta- 293.
tu veteri Ægypti atque Æthiopiæ, Phœniciæ, Mediæ, Perſiæ. Tan- 334.
dem deſcribitur aliud colloquium Sapientum in aula Reginæ habitum, cui Epimenides quoque interfuit. Hic igitur inducitur longiſſimum habens de itineribus ſuis ſermonem: cumque fuerit Cretenſis, hiſtoria hujus inſulæ attexitur, itemque Judæorum & regro- 343.
rum

rum Aſiaticorum, adjectis quoque pluribus de Ægypto & Æthiopia.
pag. 463. Finita ſic parte priore Illuſtris Autor promittit, ſe altera parte hiſtoriam clariſſimi illius Philoſophorum paris, Pythagoræ & Anacharſis, perſecuturum eſſe.

FABULA DE HIPPOCRATE, DEMOCRITI inſaniæ medicinam adhibere juſſo, ex hiſtoria veterum Philoſophorum eliminata a C. A. H.

NImis credula eſt mortalitas in hiſtoriis antiquis. Sufficit plerisque, rem olim narratam eſſe. Non expenditur, an res veri habeat ſpeciem, nec quam autor quisque ſit fide dignus, inquiritur. Scilicet ſecure hic dormitur, & ut *Taciti* verba *de mor. Germ. cap. 34* paulum immutata faciam mea, *ſanctius ac reverentius nobis videtur, de actis veterum credere, quam ſcire.* Philoſophorum ſaltim hiſtoriam decebat ab fabulis eſſe immunem, φιλόμυθος enim non eſt φιλόσοφος. Verum iſta quoque hiſtoria tot ſcatet fabulis, ut vix Hercules par videatur expurgando huic ſtabulo. Multas tamen jam fabulas hic viderunt & exploſerunt feliciora ingenia: plures oſtendet cautior poſteritas. Liceat mihi jam errorem hiſtoricum tollere e vita Democriti, quæ pluribus fœdata fabulis eſt. Cui enim non dictus eſt Democritus oculis ſe privaſſe? Teſtantur id monumenta hiſtoriæ Græcæ, ad quæ provocat *Gellius* in *Noctibus* ſuis *lib. X cap. 17*: teſtantur alii complures. Sed mera fabula eſt. Ciceroni jam olim fraus mendacis Græciæ ſuboluit, *Lib. V de Finibus* ita ſcribenti: *Democritus vere falſone dicitur oculis ſe privaſſe.* Plutarchus libro περὶ πολυπραγμοσύνης plane falſum id eſſe pronuntiat. Inter recentiores cordatiſſimus quisque Plutarcho ſubſcribit, Jac. Thomaſius in *Diſſ. de nigredine nivis*, Tomo II *Obſervat. Halenſium* inſerta, §. 2 p. 329; Jo. Clericus *Logic. P. III cap. 2 §. 8*: Dan. Clericus in *Hiſtoria Medicinæ T. 1. p. 92*: Bælius in *Dictionario, p. 1030.* Unde hæc fabula ſit orta, ſi ex me quæres, crediderim, Democritum præ ſenio cœcum factum eſſe. En occaſionem fabulæ! Certe eum ad ultimam perveniſſe ſenectutem, auctores conſentiunt. Sed mitto hanc fabulam, progreſſurus ad aliam, nullo fraudis metu vulgo referri ſolitam. Audiamus, quæſo, eam. Cum externarum rerum incurioſus Democritus in ſolitudine philoſophabretur

Digitized by Google

retur & humana omnia rideret, Abderitæ eum inſania correptum eſſe putarunt. Quare legatum mittunt ad Hippocratem cum litteris, quibus eum rogitant, ut quamprimum adveniat, infelicem curaturus Philoſophum. Hippocrates dicto Abderitarum protinus audiens advolat Abderam. Verum nihil inſaniæ animaduertere licuit in Democrito. Potius Hippocrates, ſummam ejus ſapientiam demiratus, Abderitas docuit, Democritum perſpectiſſime ſapere, ipſos vero eo laborare morbo, quo conflictari dicant Democritum. Memoratu profecto digna fuit hæc hiſtoria, ſi quidem vera eſt. Nec credibile, eam fuiſſe prætérituros veteres, in tot monumentis tam crebram tamque honorificam injicientes mentionem Democriti. At vero nec Cicero, nec Gellius, nec Valerius Maximus, nec Ælianus, nec Seneca, nec alii veterum id memoriæ prodiderunt. Hippocrates quoque in tot ſuis operibus nuſpiam ejus rei meminit. Quid? quod Diogenes Laertius, ſatis diligenter *lib. X* hiſtoriam Democriti deſcribens, tacet, &, dum tacet, clamat una cum ceteris, quos nominavi, hanc eſſe fabulam. Sola igitur epiſtolarum Hippocrati vulgo tributarum (quæ exſtant in Operibus Hippocratis, & hinc Latine in Stanlejo, *p. 889 ſqq.* & in Thomaſii *Hiſtoria ſapientiæ & ſtultitiæ T. II p. 8 ſeqq.* quorum uterque eas agnoſcit pro genuinis,) fide & auctoritate nititur illa relatio, neque vel Stanlejus vel doctiſſimus ejus Interpres alium quenquam ſcriptorem adjunxerunt teſtem. Nec vero diſſimulare fas eſt, eandem hiſtoriam in Sorani Vita Hippocratis legi. En verba ejus Latine redita: *Ab Abderitanis etiam vocatus eſt* (Hippocrates), *ut eo ſe conferret, & Democritum quidem inſania laborantem curaret, totam vero urbem peſte liberaret.* Sed conſtat inter eruditos, autorem hunc Sorani nomen mentiri. Immo eum iſtis epiſtolis juniorem eſſe, vel ex eo facile crediderim, quod addit, Hippocratem ideo quoque arceſſitum eſſe ab Abderitis, ut urbem peſtilentia liberaret. Hac enim de re in memoratis epiſtolis ne muſſitat quidem S. P. Q. Abderitanus; ut adeo hoc novum ſit additamentum, receptæ jam fabulæ attextum. Hinc manifeſtum ſit, non alio tibicine niti hiſtoriam iſtam, quam fictitiis illis epiſtolis. Hic mihi neceſſitatem video impoſitam probandi, epiſtolas illas inter falſas merces eſſe rejiciendas. Ac facile quidem cordato Lectori id probavero. Primum

namque Diogenes ille Laertius in Vita Democriti non ſolum nullam earum facit mentionem, ſed etiam eas ſua ætate fuiſſe incognitas, ſilentio indicat ſuo, vel, ſi jam tum exſtiterunt, non obſcure rejicit. Longam enim ſcriptorum Democriti recenſionem hiſce verbis concludit: *Cetera quæ ad illum* (Democritum) *quidam referunt, partim ex ejus opuſculis decerpta, partim omnino aliena conſenſu omnium ſunt.* Ergo Democriti illa ad Hippocratem epiſtola: ergo & Hippocratis illa ad Democritum cum ceteris. Deinde & hoc certiſſimum νοθείας indicium habeo, quod epiſtolæ illæ perfectum hiſtoriæ ordinem ita ſequuntur, ut nullus plane in hiſtoria hiatus appareat. Certe nullo modo mihi fit veroſimile, tales epiſtolas vere ſcriptas fuiſſe, vel, ſi vel maxime revera ſcriptæ fuiſſent, univerſas fuiſſe ad poſteritatem ſervatas. Ne Ciceronis quidem epiſtolas omnes Tyro, libertus ejus doctiſſimus, conſervare potuit, nec eas, quas vindicavit ab interitu, eo, quo ſcriptæ fuerant, exhibet ordine. Plinius quoque epiſtolas ſuas collegit atque edidit, *non ſervato temporis ordine, Lib. I epiſt. 1.* Atqui Ciceronis ac Plinii ævo longe major erat hominum curioſitas ac ſtudium in talibus conſervandis, quam antiquioribus temporibus. Atque hoc argumentum late patet, & ad alias quoque veteribus tribui ſolitas epiſtolas accommodari poteſt, quarum recenſum facit Vir doctiſſimus, J. A. Fabricius *Bibl. Græc. Lib. II cap. 10:* quibus addi debent Salomonis ad Vaphrem Ægypti, & Hiramum Tyri Regem epiſtolæ, quas ex Euſebio nuper inſeruit *Codici Pſeudepigrapho V. T.* idem Fabricius *p. 1020 ſqq.* Dixi modo, non eſſe credibile, conſervatas fuiſſe omnes illas epiſtolas, ſi vel maxime ſcriptæ fuiſſent. Jam oſtendam, ne id quidem probabile eſſe, eas omnino ſcriptas fuiſſe. Age videamus ipſum ordinem & argumentum earum, de quibus diſputamus, epiſtolarum, quo magis eluceat, incredibile eſſe, eas illis deberi autoribus, quibus vulgo tribuuntur. Prima Senatus populusq; Abderitarum per legatum mittunt Hippocrati litteras, quibus eum orant, ut curandi Democriti gratia ſine mora ad ipſos veniat. Altera epiſtola, declamatoriis formulis amplificata, reſpondet Hippocrates, ſe celeriter adventurum. Siſtamus hic gradum. Quis credere poſſit, Abderitas tam longam miſſuros fuiſſe epiſtolam? Publice ſcriptæ epiſtolæ breviter & cum decenti gravitate voluntatem ſive Principis ſive

Reip.

Reip. exponunt. Quis porro, ſi rem ſecum reputet, ſibi perſuaderi patiatur, integram aliquam Remp. ſolenni legatione arceſſituram eſſe Medicum civis vel præſtantisſimi curandi cauſa? non id potius feciſſe cognatos & amicos Democriti? Ad hæc quis neſcit, præſentem virtutem contemni, poſt fata demum laudari? At in iſta epiſtola tantis ornatur laudibus Democritus, ut majoribus non poſſit. Hic Democritus vocatur *æterna gloria illius urbis: timent, ne ſi Democritus mente motus fuerit, cœlum ruat, & Abderitarum Reſp. peſſundetur*. Altera epiſtola, nempe reſponſoria Hippocratis, æque inepta eſt, & declamatorem manifeſto prodit autorem. Quam enim ridiculum eſt, longam mittere epiſtolam ad eos, ad quos jam proficiſci nulla interpoſita mora cogitas? quam ἀπροσδιόνυσον, in ejus generis epiſtola multis philoſophari ſuamque oſtentare ſapientiam? Sed tanta eſt feſtinatio Hippocratis ſcilicet, ut aliam quoque ſatis longam ſcripſerit epiſtolam ad Philopœmenem Abderitam, cujus uſurus erat hoſpitio. In hac non jam ſolum declamitat Hippocrates ille ὑποβολιμαῖος, ſed plane vaticinatur. Prædicit enim, fore, ut Democritum ſatis ſanum offendat, & Abderitæ per ignorantiam eum habeant pro inſano. Quam hæc abhorrent ab omni veri ſpecie! Sed nondum ſatis nugarum. Nam quatuor adhuc alias ante ſcripſit epiſtolas Hippocrates, quam ad iter deſtinatum ſeſe accingeret. Prima data eſt ad Dionyſium quendam, quem rogat, ut ipſo abſente rei familiaris curam gerat, ac maxime uxoris, ne forte in thorum Hippocratis admittat alios: ſcilicet nusquam tuta fides. Altera eſt ad Damagetum, a quo petit, ut navis Rhodi comparandæ curam gerat, qua vehi velit Abderam. Tertia rurſus ad Philopœmenem, cui narrat ſomnium ſuum de Democrito, & promittit, ſe propediem Abderam eam ob rem, cujus cauſa vocatus erat, venturum eſſe. Quarta eſt ad Cratevam, quem rogat, ut herbas varii generis, quibus uſurus ſit ad Democritum curandum, colligat atque ad ſe mittat. Scilicet hoc eſt feſtinare ad ægrotum, qui, dum molitur, dum comitur Hippocrates, centies miſere perire poterat. Sequitur epiſtola Hippocratis alia Abderæ ſcripta ad Damagetum, cui non tam epiſtolam, quam librum mittit, eique tædioſa copia enarrat ſtatum, in quo deprehenderit Democritum. Non lubet eam ſub examen revocare. Illud rogo Lectorem guſtu ſatis acuto

 præditum,

præditum,ut attente eam legat. Spondeo,eum judicaturum,& hanc & ceteras epiſtolas eſſe ſubditicias. Adeo declamatorie & ſcholaſtice, ne dicam putide, ſcriptæ ſunt omnes: ubique affectata & jejuna in iis apparet philoſophia. Agmen harum epiſtolarum claudunt duæ Democriti & Hippocratis mutuæ, ſed quarum autor ſoricis more ſuopte ſe prodit indicio. Democritus enim ibi commemorat, ſe adveniente Hippocrate *de mundi diſpoſitione* ſcripſiſſe, item *de polis & aſtris cœleſtibus*. Contra Hippocrates in longa illa ad Damagetum epiſtola refert, ſe deprehendiſſe Democritum *de inſania ejusque cauſis* ſcribentem. Nimirum mendacem harum epiſtolarum autorem decebat eſſe memorem. Porro Hippocrates in ſua ad Democritum epiſtola meminit, *ſe jam ſenem eſſe*. Facile autem ex natali Hippocratis, & emortuali Democriti anno colligitur, eo tempore Hippocratem, quo Abderam vocatus eſſe traditur, vix quinquageſimum vitæ annum ſuperaſſe. Ex hiſce ſatis, opinor, liquet,epiſtolas illas eſſe confictas, nec ullo jure ad Hippocratem & Democritum autores referri. Nec opus eſt alia circumſpicere νοθείας indicia, cum hæc abunde ſufficiant. Quæris, quis igitur architectus earum fuerit? Paucis habeto, Græculum fuiſſe rhetorem. Solebat enim id hominum genus veterum nomine componere epiſtolas ad ingenium & eloquentiam oſtentandam, eodem modo, quo Livius, Curtius, aliique hiſtorici narrationibus ſuis intexunt orationes, haud ſane ab iis prolatas, quibus tribuuntur, ſed confictas ex ingenio. *In ſcholis*, inquit Ionſius *de Script. hiſt. philoſ. L. III c. p. 216*, *celebriorum rhetorum nomine omnis generis orationes exercitii gratia conficiebantur, quas ſcholaſticas declamationes a veris rhetorum orationibus diſtinguere, earumque diſcrimen indicare, Grammaticorum erat, cum non raro ea incautis lectoribus imponerent.* Nec vero Græci ſoli, verum etiam Latini ejusmodi epiſt. ſtyli exercendi cauſi contexebant, nec dubitarunt ſe ipſarum autores profiteri: quemadmodum patet exemplo Joannis Lemovicenſis in præfatione ad epiſtolas Pharaonis & Joſephi a ſe compoſitas, apud Fabricium *Cod. pſeudepigr. V. T. p. 443*. Hac de cauſa pleræque antiquorum epiſtolæ ſuſpectæ ſunt Jonſio *Lib. I cap. 18 p. 99*, aliisque doctiſſimis & emunctiſſimæ naris viris, quos adducit Fabricius *Bibl. Græc. Lib. II cap. 10 p. 417 extrema*, & *Lib. I cap. 35 §. 3 p. 238*. Ceterum

has

has ipſas Hippocratis epiſtolas ſubditicium eſſe fœtum, jam agnovit Joſephus Scaliger *Epiſt.106*, cujus verba relege ſis apud Fabricium. Cum igitur fundamentum illius hiſtoriæ ſit plane fabuloſum, ipſam quoque fabuloſam eſſe conſequitur. Reſtat, ut inveſtigemus hujus originem fabulæ. Scilicet, verum eſt, Democritum civibus ſuis furere viſum eſſe: idque Seneca diſerte teſtatur *epiſt. 79*. Cui opinioni duplicem præbuit occaſionem Democritus. Nam & in ſpeluncis ac ſolitudine vitam agebat, & humana ridebat omnia, id eſt, omnes homines dicebat ſtultos eſſe. Rectius vero ſentiebat Hippocrates, qui, Diogene Laertio teſte *Lib. IX cap. de Meliſſo*, eum Abderitis commendavit. Nam licet ipſe Hippocrates in primo congreſſu Democritum pro homine mentis impote haberet, poſtea tamen, quum familiarius cum ipſo collocutus eſt, mirum in modum ejus admiratus eſt ſapientiam, teſte Æliano *Lib. IV Var. hiſtor. cap. 20*. Habes, Lector, ob oculos fabulæ noſtræ cunabula. Cum enim Hippocrates fuerit celeberrimi nominis Medicus, Abderitarumque ſtultitia vel proverbio celebrata ſit, ut ex Cicerone patet *Lib. IV ad Attic. epiſt. 15*, & Martiale *Lib. X epigr. 25*: item ex priore Pſeudo-Hippocratis epiſtola ad Damagetum; hinc lepidi nugivenduli finxerunt, Abderitas, ſtultisſimos ſcilicet homines, inter alia ſtultitiæ ſuæ documenta hoc quoque edidiſſe, ut publico nomine nuntium miſerint ad Hippocratem Medicum, eumque rogarint, ut Democritum ſtultitia & furore correptum propere ſanaret, cum ipſis opus eſſet helleboro.

ORATIONES PROCERUM EUROPÆ, eorundemque Miniſtrorum ac Legatorum, ut & Virorum celeberrimorum, Latina lingua ab aliquot ſeculis usque ad A. 1713 habitæ & in lucem editæ a JOHANNE CHRISTIANO LUNIG.

Partes III.

Lipſiæ, ſumptibus hæredum Jo. Groſſii, 1713, 8.
Alph. 5 pl. 8.

Qui jam pridem Principum & ſummorum in Germania Virorum orationes vernaculo ſermone habitas ſex Voluminibus & nuper

nuper admodum Literas Procerum Europæ Latinas tribus Voll evulgavit, Nobiliſſimus Lunigius, nunc etiam Orationes Latinas ex inſtructiſſima penu promit, in quibus colligendis ea uſus eſt circumſpectione, ut non eas ſeligeret, quas Hiſtorici ad exemplum Thucydidis vel Livii fingere vulgo ex ſuo ingenio conſueverunt, ſed quæ revera a Viris ſummis elaboratæ aut recitatæ ſunt, quæque hactenus paucorum in manibus fuerunt. In his etſi plurimæ utique Poloniæ imprimis ſtatum concernunt, non paucæ tamen admixtæ ſunt etiam, quæ aliarum gentium res mire illuſtrant. Nos ut juſta nunc excerpta proponere ſuperſedeamus, nonnullas ſaltem velut in tranſcurſu

T. I. commendabimus. Angelus Politianus dum nomine Senenſium

Pag. 140. Alexandro VI fauſtum eccleſiæ regimen gratulatur, *non minus* ait *Senenſem Rempublicam Alexandro VI Pont. Max. nunc exultare, quam olim Alexandro VII cive ſuo, Romano item Pontifice, exultaverit, illo, qui Federici Imperatoris, veniam petentis, cervicem pede calcavit.* Elegans ac miſeratione digna eſt oratio, qua Legatus Venetus Ant. Juſtinianus Maximilianum I Imp. A. 1509 ad fœdus atque amici-

191. tiam invitabat, quippe *tremendo ejus nomine, copiarumque vivida invictaque virtute audita, ita omnium animos concidiſſe teſtatur, ut nulla non modo vincendi, ſed ne obſiſtendi quidem ſpes relicta ſit.*

192. Itaque pergit: *Ad te verum & legitimum Principem omnia, quacunque majores noſtri Sacro Imperio & Auſtriæ Ducatui ademerunt, redeant: quibus, ut decentius veniant, omnia quacunque in Continenti poſſidemus, adjungimus; quarum rerum juribus quocunque modo partis cedimus. Præterea quotannis Tuæ Majeſtatis & legitimis Imperii ſucceſſoribus in perpetuum quingenta auri pondo pendemus, imperiis, decretis, legibus, præceptisque tuis libenter obtemperabimus.*

193. Concludit denique: *Nos tui Veneti, quod vivemus, quod auras cæleſtes carpemus, quod hominum commercio fruemur; id omne tuæ virtuti, felicitati, clementiæque tribuemus.* Lectu dignæ ſunt Orationes XXVII, XXIIX & XXIX, quæ ad A. 1530 referuntur, ubi primum Mercurius Albonenſis de Gattinara, Caroli V ſupremus Cancellarius, Clementi VII in ſolenni Cardinalium panegyri, præſente etiam Imperatore, Synodi œcumenicæ inſtitutionem ſedulo commendat; cui Pontifex ita inter alia reſpondet, ut & quædam dogmata abſurda, quædam inextricabilia cenſeat, de quibus nulla in ſynodo

Digitized by Google

ſynodo tolli certamina poſſint, & præterea ſynodo anarchiam eccleſiæ promoveri oſtendat, *in qua & laxatio diſciplinæ afferat barbariem in moribus, & petulantia ingeniorum gignat ſine fine nova dogmata*; eoque arma potius Cæſari ſuadet his verbis: *Reliquum eſt igitur, ut, Carole, armis pacem reſtituas. Italia domita tuis armis quieta eſt. Rex Galliæ oppreſſus, qui tecum non de Stoicis paradoxis, aut Judaicis ſuperſtitionibus Monachorum, ſed de Imperio certavit. Quanto facilius Germaniæ partem non magnam, compeſces, quæ in re & poſteritatem intuearis.* Ad hæc maſcule ipſe Cæſar reſpondet, qui etſi ſe juvenem fateatur, prudentum tamen ſequi conſilium docet, & his inter alia verbis utitur: *Quare cum re diu deliberata, & iis argumentis, quæ tu opponis, diligenter cogitatis, velim convocari Synodum, ſcito, & Mercurianum, quæ dixit, meis mandatis dixiſſe, & me ab hac ſententia, donec vivam, non receſſurum eſſe. Tuum conſilium ſpecioſum & plauſibile profanis videri poteſt, ſed meum & juſtum eſt, & eccleſiæ convenientius, &, ſi non impedieritis, Deo juvante, ſpero, humano generi ſalutare futurum eſſe. Nec illa terribili oratione tua abducar a ſententia, quod non ſit audienda diſputatio de abſurdis & inextricabilibus. Nam nec omnia quæ nunc diſputantur abſurda ſunt, nec ſunt ullæ inextricabiles quæſtiones in Eccleſia de rebus neceſſariis* &c. Multum & hiſtoriam illuſtrant Oratio XXXV, qua Orator Polonus, Stanislaus Laſcus, Carolum V & Imperii Proceres, in Comitiis Auguſtanis congregatos, Sigismundi I nomine hortatur, ut a patrocinio Ordinis Teutonici, quoad res Pruſſicas, deſiſtant, tum Orat. XXXIX, qua C. Marcilianus, Legatus Gallicus, A. 1559 in Comitiis Ferdinandum I & Imperii Proceres de Gallorum amicitia reddit ſecuros, & Or. XL, quæ eſt reſponſoria, ac Epiſcopatuum Metenſis, Tullenſis ac Verodunenſis reſtitutionem urget; ut taceamus nunc Orationem Michaelis Angeli Buccii in funere Cæſaris Baronii A. 1607 habitam, & ſimiles alias. In Tomo II n. CXXXII digna viro politico exſtat oratio Viti Ludovici a Seckendorff A. 1665 habita, cum illi Cancellarii ſupremi munus a Sereniſſ. Duce Numburgo-Saxonico delatum eſſet; acerrima vero n. CLXV eſt Andreæ Lilienhœkii, Legati Suecici, ad Johannem III Pol. Regem oratio, qua in Fridericum Wilhelmum invehitur, quod publice minabandus jactaverit, ſe fuſtibus ipſum cædere velle, ac

Pag. 225.

226.

ſolen-

ſolenniter & publice declarat, quod in Electorem pleno retorſionis jure utendum ſibi fore decreverit; ad hiſtoriam denique literariam referas illam, quæ n. CLXXXXII exhibetur, ab Ericio Puteano, cum Bibliothecam ſuam, multis curis & ſumtibus comparatam, publici juris faceret, coram Cardinale Borromæo recitata. E Tomo III inter recentiſſimas plurimas liceat hic tantum memorare Orationem CCXXVII, quæ eſt Ill. Pauli a Fuchs, miniſtri in Aula Electorali Brandenburgica Status intimi & rerum feudalium Directoris, ad Academiæ Halenſis Patronos, Proceres ſtudioſamque juventutem, qua Academiam illam A. 1694 ipſo die natali Friderici III felicibus auſpiciis inauguravit.

LETTRE A SON EXCELLENCE MONSEIGN. LE Comte de Kniphuiſen, Ambaſſadeur & Plenipotentiaire de Meſſieurs les Etats de Groningue & d'Omlanden pour la paix d'Utrecht. Sur une piece d'or trouvée dans ſes terres.

i. e.

HADRIANI RELANDI EPISTOLA AD Illuſtriſſ. Com. de Kniphuiſen, Leg. Primar. & Plenipot. Statuum Groningæ & Omlandiæ ad Pacem Ultraj. de Numo aureo in ejus fundo reperto.

Ultrajecti, 1713, 8.

Plag. 1½.

TAB. VII. Fig. 8. SErvat muſeum Illuſtr. Comitis de Kniphuiſen, Groningani ad pacem Trajectinam nuper Plenipotentiarii, numum aureum, in Tabula Fig. 8 repræſentatum, cujus pars altera figuram capitis per imperitiam male expreſſi ac vetuſtate exeſi: altera crucem globumque adjectis hinc inde literis exhibet. Hunc Martinus Schookius in libro de Turfis in Drentia inventum, Gothicumque errore duplici credidit; quoniam & venæ Nienortianæ, inquibus repertus eſt, ad Groningenſem tractum ſpectant, & propius ejus repetendam originem eſſe, vel locus qui præbuit, indicio eſt. Rogatus ſententiam Cl. V. Hadrianus Relandus, cum deformatum adeo animadverteret, ut ætas inde certa definiri non poſſet; pro ea, qua in explicandis numis eminet dexteritate, Francicum eſſe ac Merovingo-

rum

rum temporibus cuſum collegit. Favent conjecturæ numi Clotarii, Cheriberti, Segiberti, Childeberti, Dagoberti & Childerici, qui ex tractatu de Monetis Galliæ Autore Le Blanc edito deſumti, additis quos in muſeo Domini de Bary ipſe Cl. Vir inſpexit, Epiſtolæ inſertæ ſunt. Utrinque crux linea ſuffulta, utrinque globus appoſitis ad latus duobus characteribus conſpicitur: nec literæ diſſimiles ſunt, ſi primo legantur inverſæ, dein in locum Π. A. ſubſtitutis M. A. ita explicentur, ut vel Maſſiliam vel Monetam Auream denotent. Frequens & facilis illa confuſio, cum A lineola media truncatum Græcum Lambda: M vero levi inductione Π Græcum haut difficulter referat, tuente utramque opinionem numorum fide. Ceterarum vero, quæ hoc ordine ƆVNVONTIO legendæ ſunt, difficillima imo fruſtra tentatur interpretatio, quia multarum urbium memoria noſtris temporibus intercidit, nec barbara monetariorum nomina uſpiam hodie exſtant: ad quæ tamen hæ haud dubie reſpiciunt. Adjecta conjecturæ eſt triplex obſervatio. Prima, quoties Traiecti in numis mentio fit, Trajectum ad Rhenum, non ad Moſam ut vulgo, intelligi debere monet: reliquæ de numo ipſo ſunt, qui in ramo arboris ſubterraneæ inventus, has arbores naturæ non diluvio deberi indicat; minimum ſententiam hoc diluvium Chriſti nativitatem præceſſiſſe aſſerentium, tanquam ætate multum inferior refellit.

HENRICI HORCHII, ESCHVEGA-HASSI Archetypus ſeu ſcrutinium naturæ ſpiritualis & corporeæ, generaliter ſpectatæ, ex conſideratione Dei, tanquam ſummi rerum exemplaris; nec non Compendium Spinoziſmi confutatum.

Marburgi, impenſis Autoris & typis Johannis Kürſneri, 1713, 4.
Alph. 1 plag. 10.

PRior Tractatus, in quo Cl. Autor ſiſtit Deum ut Archetypum, ut in ipſo videamus ectypa, & in his rurſus Archetypum: ibi ut fontem, ex quo omnia, hic ut finem, ad quem omnia; novem exercitationibus conſtat. Quarum I de indole rerum, in genere, earumque ſupremo fine: II de modo originis idearum in genere & fine rerum ſubordinato: III de æternitate & tempore: IV quomodo mentis & corporis idea ex Deo eruenda; V de natura motus &

Nnn ſpatii

ſpatii: VI de differentia motus abſoluti & relativi: VII de prima lege naturæ: quietis per ſe nullam eſſe efficaciam: IIX de reliquis naturæ corporeæ legibus: IX de quiete & generali conſtitutione mundi, ex trium vorticum complicatione oſtenſa. Ex octo prioribus hiſce exercitationibus quædam delibabimus. In I inter alia docet Deum per res ſpirituales homogenea, per corporeas autem heterogenea repræſentatione exprimi; dependere quidem a Deo ideas rerum univerſas, ſed cum hoc diſcrimine, ut ſubſtantiæ cum attributis earum ſubſtantiam immediate conſtituentibus, immediate Deum agnoſcant pro exemplari, reliqua vero earum attributa non niſi mediante idea ſubſtantiarum; omnia eſſe Dei repræſentamina, quæ ab ipſo facta ſunt, non item ea, quæ vel angelos vel homines, quatenus a vero & bono ſe avertunt, autores habeant; repræſentari Deum a ſingulis, quæ ipſe fecit, non tantum ſingillatim, ſed ab univerſis etiam conjunctim; omnia, quæ fieri unquam contingit, demonſtrare Dei perfectiones vel directe & per ſe, vel oblique & per aliud; per ſe quidem omnia ea, quæ Deum agnoſcunt Autorem, per aliud vero errores & peccata (non Deo imputanda) quatenus ea neceſſariæ ſunt Deo occaſiones & materia oſtendendi ſuas virtutes; finem rerum ſupremum eſſe gloriam Dei; ex mente non eſſe exterminandas omnes rerum, etiam divinarum, ideas. In II tradit entis cujuslibet creati gradum eſſe ſeptuplicem: quippe ex perfectionibus Dei tanquam primis ſuis exemplaribus, entia creata hoc habere, ut concipi poſſint; ex intellectu, ut concipiantur; per potentiam, ut queant exiſtere: per decretum, ut ſint exſtitura; per creationem, ut exiſtant; per conſervationem, ut porro exiſtant; per gubernationem denique, ut exiſtant ad ſuum finem, qui eſt gloria Dei; omnia facta eſſe propter hominem, ſpeciatim propter Chriſtum; in prima mundi hebdomade adumbratam eſſe magnam mundi hebdomadem & fata eccleſiæ a principio usque ad ſeculi conſummationem. In III demonſtrare ſtudet, æternitatem abſolute conſideratam (prout ipſi Deo, non ipſius decretis competit) in fundo rei (ut ipſe loquitur) nihil aliud eſſe, quam neceſſitatem exiſtendi per naturam; primam temporis proprietatem eſſe tranſitum a non exiſtendo ad exiſtendum; ſecundam, eſſe tranſitum ab exiſtendo ad non exiſtendum; tertiam, eſſe ſucceſſionem & viciſſitudinem; relate deſcribi æternitatem, quando Deus ante

tempus,

tempus, cum tempore & poſt tempus eſſe perhibetur; æternitati Dei magis durationem quam rebus ab eo factis competere; in æternitate Dei durationis quoque momenta, non quidem ſucceſſionis, ordinis tamen atque nexus, obtinere; æternitatem tempori coexiſtere dici poſſe, quatenus Deus in eſſentia ſua æternus relationem accipit ad tempus per creationem, conſervationem & gubernationem rerum, quæ temporis ſuccesſionem & vices experiuntur; principium Moſaicum eſſe omnium primum, & hoc pertinere ad ſex dies creationis, non multis ſeculis hos præceſſiſſe; geminum præſenti huic ſeculo fixum eſſe terminum, quorum unus finem faciet regno impiorum, ut locus fiat Chriſti regno; alter vero etiam ipſimet hujus mundi Syſtemati; inter utrumque autem hunc terminum integri millennii fore intervallum. In IV ut eruat mentis & corporis ex Deo ideam, dicit, conſtare primo, perfectiones divinas eſſe multitudine quidem infinitas, attamen ſimul unum: ſecundo, intime unum, ita ut perfectiones omnes ſeſe mutuo immeent at permeent: tertio, perfectiſſime unum, ſeu unum ſumme perfectum: jam ut habeamus mentis noſtræ ideam, ſubtrahendum ex data ſumma perfectionum divinarum ſolummodo tertium, ſummam ſcil. perfectionem, utpote quæ ſola ſit, quæ mentem finitam diſtinguat ab infinita: reſiduum vero primum & ſecundum aſſerit id ipſum præciſe eſſe, quod intueri debeamus tanquam exemplar, ad cujus ſimilitudinem a nobis formanda, imo jam ab æterno formata ſit a Deo mentis idea, & cujus analogum correlatum ſeu repræſentamen extra Deum conſtituat mentis naturam: quæ proin infinita in ſe contineat, quæ ſint unum & quidem intime unum per mutuam immeationem eorum omnium, quæ ipſi inſunt. Ut vero habeamus corporis ideam, ſubtrahendum ex data ſumma perfectionum divinarum inſuper eſſe & ſecundum, ut pro illius exemplari non maneat niſi primum, h.e. infinita, quæ ſint unum, ſed non niſi extime unum, ac proin analogum hujus exemplaris correlatum ſit id, quod conſtituit corporis naturam, quæ ideo in eo conſiſtat, quod partes habeat innumeras, non intra ſed extra & juxta ſe conſtitutas. In V oſtendit motum eſſe formarum fabrum: inter motum & voluntatem analogiam intercedere: quadruplex tamen hoc loco inter eadem ſe prodere diſcrimen: ſcil. quod voluntas, ſui ſemper conſcia, motus contra ſtupidus plane ſit;

quod menti tam naturalis ſit voluntas, ut illa citra hanc concipi nequeat, corpori vero motus minime ſit eſſentialis; quod voluntas ſeipſam determinet, motus vero non niſi eo verſus dirigatur, quo agitur aliunde; quod voluntas ſemper tendat ad ſe ipſam, etiam quando ad alia tendit, motus autem corporis non feratur, niſi verſus eam partem, verſus quam impellitur: motum divinæ voluntatis non tantum eſſe effectum, ſed & repræſentamen, cum ex naturali ſua indole ſemper ſit actuoſus: vim motricem ab ipſo motu, & impulſum ad translationem ab ipſa translatione diſcernendum eſſe: motus terminum a quo non eſſe corpora externa, ſed locum, qui corpori moto & omnibus ejus partibus eſt internus: motum commode definiri poſſe per translationem de loco in locum: ſpatium conſiſtere in relatione ad Dei potentiam univerſum hoc corporeum ſuſtentantem: Deum ſpirituum eſſe locum, citra ullum ne extrinſecus quidem accedentem extenſionis conceptum, cum ſpiritus omnis extenſionis ſua natura ſint expertes; locum vero corporum, quum extenſa ſint, per extenſionis conceptum, quæ Deo tamen non inſit, ſed ex natura relatorum tantummodo adſit: ſpatium mundanum corporibus plenum ab antemundano ſeu extramundano in eo differre, quod illud pro fundamento habeat potentiam divinam corpora actu ſuſtentantem, hoc vero eandem potentiam, quatenus illa reſpectum habet ad corpora, quæ iſta creare, & creata in ſuo quaſi ſinu recipere poteſt: vacuum in hoc mundo equidem juxta Dei potentiam abſolutam & ſine reliquis divinis attributis conceptam non eſſe impoſſibile; attamen *illud* quam maxime repugnare potentiæ divinæ, ſi ea cum aliis attributis inprimis Sapientia Dei, ut par eſt, comparetur: locum corporis externum non niſi interni, vel potius corporis locati, eſſe circumſcriptionem. In VI experientia pariter atque ratione probat translationem non ſemper eſſe vere reciprocam: in Carteſii de reciproca translatione ſententiam inquirit, eandemque contradictionis arguit: porro docet, perfectiones Dei, & effectus motus in materia, a quibus illas repræſentari ante monſtravit, differre primo, quod illæ in Deo intime ſint nexæ, hæc vero nexum non habeant niſi extinıum, quum in materia ſint, cujus natura conſiſtat in extenſione; ſecundo, quod illæ omni ſucceſſione & viciſſitudine careant,

hæc

Digitized by Google

hæc vero ſint ſucceſsiva; tertio quod illæ ſemper ſint multitudinis (ſalva tamen unitate) infinitæ, partes vero materiæ per motum diviſæ nullo unquam momento ſint tales, ſed ulteriori ſemper diviſione poſſint augeri: mundum non eſſe actu infinitum: mirabilia Dei reperiri etiam in minimis: posſibilem eſſe novum mundum: analogiam corporis & mentis fieri ſemper poſſe majorem: locum internum eſſe immotum & talem quoque eſſe debere externum, qui vicem præſtet interni: non tantum nullam necesſitatem cogere, ut conceptum, quem de motu & quiete innatum nobis eſſe experimur, ex animo expellamus, ſed inſuper nos, ſi id auderemus, inextricabilibus laqueis implicituros eſſe. In VII defendit, quietis per ſe nullam eſſe efficaciam: falſum eſſe, quod tantum actionis requiratur ad quietem quam ad motum; huncque de quiete errorem non poſſe non vel primas naturæ leges turbare: a veritate abire regulam Carteſianorum, minus non movet majus: errare Ignatium Pardieſum in tract. de motu locali contendentem, minimum quieſcens ſiſtere occurrens ſibi maximum movens; item impingere Malebranchium ſtatuentem, motum imminui, dum corpus motum offendit quieſcens: impulſum contrarium eſſe ſolam cauſam imminutionis motus, uti & omnium mutationum, quæ accidunt motui: motum impulſionis ſeu impulſum ad translationem, licet translatio non ſequatur, in hoc univerſo perpetuo eſſe eundem nec citra miraculum vel imminui vel augeri; motum autem propulſionis, qui comitem habet translationem, augeri indies & minui; & ratione & experientia demonſtrari poſſe regulam illam: corpus tantum motus perdere, quantum communicat, valere quidem univerſaliter de communicatione rerum, quæ ſubſtantiæ ſunt, non vero de communicatione modorum. In IIX monſtrat, quemlibet impulſum ad producendum motum vim ſuam dirigere juxta lineam rectam: moveri corpus, quamdiu non impeditur aliunde, in indefinitum: motum propagari quantum in ſe eſt in indefinitum, idque in momento & citra ullum celeritatis ſuæ decrementum tam in movente quam in mobili: ſi impulſus contrarii ſint æquales, nullam fieri translationem; ſin inæquales, vincere exceſſum: non reflecti ideo corpora, quia ſint dura, ſed quia ſint elaſtica: lineam directionis tranſire medium corporis moti, & propagari ex medio

moventis in medium mobilis, etiamſi movens in mobile impingat oblique: anticum ſphæræ commotæ hemiſphærium propagare motum per omnes ſuos radios. In compendio Spinoziſmi confutato, quod Archetypo ſubjungitur, præliminaria quædam promittit Celeb. Autor, atque in iisdem monet, ſe jam dudum diſſertationibus octo Academicis craſſos Spinoſæ errores circa Deum & rerum ex ipſo origines confutatos dediſſe, idque feciſſe methodo analytica, ut commode diſſolveret illius ſyſtema, quod per ſyntheſin eſt conſtructum: nunc ſe idem liberiori plerumque methodo, & pleniori ſimul argumenti tractatione aggreſſum eſſe: totum Spinoſæ ſyſtema ad tria ſumma rerum capita, ſcil. 1 quid ſit Deus? 2 quid res præter Deum aliæ? 3 quomodo hæ dependeant a Deo & a ſe invicem? commode referri, iisdemque periculoſas de finibus rerum, virtute & vitio, præmio & pœna conſequentias, quas ipſemet Spinoſa etiam agnoſcat, adjici poſſe. Hinc ut demonſtret, quid de Deo ſentiat Spinoſa, ad definitionem ab eodem in Ethica ſua defin. 6 part. 1 propoſitam cum ſubjuncta explicatione provocat, illisque in medium adductis, ſubnectit, Spinoſam infinita numero attributa, quæ Deo tribuit, primo concipere, eſſe naturæ a ſe invicem adeo diverſæ, ut nihil commune inter ſe habeant, neque alterum per alterum intelligi poſſit, ideoque nec conceptus unius conceptum alterius involvat; ſecundo eadem Dei attributa ſigillatim conſiderata non concipere, ut abſolute infinita, ſed tantum in ſuo genere, ut v. g. cogitatio ſit infinita ſola cogitatione, & extenſio, quæ attributis Dei a Spinoſa quoque accenſetur, ſola extenſione, atque ita de uno attributo reliqua omnia poſſint negari, non ſecus ac de cogitatione negetur extenſio; & hoc ipſo illum ſingula attributa diſcernere a Deo, quem definiat ens abſolute infinitum. Res præter Deum alias nihil aliud Spinoſæ eſſe, quam modos attributorum Dei, eosque vel infinitos & æternos, v. g. intellectum & voluntatem Dei, vel finitos & tempori ſubjectos, quos partim infinitorum modorum partes appellet, ita ut mens humana nihil aliud ipſi ſit, quam pars intellectus divini, partim res ſingulares vocet, cum finitæ ſint & determinatam habeant exiſtentiam; omnes autem hoſce modos tam infinitos quam finitos ad naturam naturatam, Deum vero ejusque attributa ad naturam naturantem a Spinoſa referri: res omnes, quæ præter Deum

Digitized by Google

Deum in abſoluta ſua eſſentia & attributis conſideratum ſint aut concipi poſſint, ex neceſſitate divinæ naturæ profluere, ipſamque Dei voluntatem non minus quam hominum eſſe neceſſariam, imo coactam: res autem a ſe invicem dependere, ita, ut modi infiniti & æterni procedant neceſſario ex attributo Dei infinito per modum æternum & infinitum: modi autem finiti, ſeu res ſingulares, profluant ab aliis modis finitis, idque in infinitum: res attamen ita a ſe invicem dependere, ut modi tantum cogitationis dependeant ab aliis cogitandi modis, & modi extenſionis pariter ab aliis ſui generis: non vero modos cogitationis a modis extenſionis, aut hos ab illis, ita ut mens humana nihil agat in ſuum corpus, neque corpus in mentem, ſed omnes tamen tam mentis quam corporis affectiones coincidant ex ſerie cauſarum æqualiter operantium ubique. Ex principiis hiſce a Spinoſa poſitis impia conſectaria, quæ ipſemet in ſuæ Ethicæ append. part. 1 p. 34 agnoſcere cogatur, promanare, nempe ſi omnia fiant & agantur non ſecus ac per machinam idq; ex abſoluta neceſſitate divinæ naturæ, virtutis ſtudio nullum reliquum fore locum; ſi Deus nec homo poſſunt agere ex conſilio & propter finem, non factum fuiſſe a Deo hominem, ut colat ſuum conditorem, neque ideo ſe factum eſſe a Deo, hominem oportere credere, atque adeo vanum reddi religionis nomen: ſi notiones boni & mali, laudis & vituperii, originem ſuam unice debent præjudiciis hominum, dum hi ſe credunt eſſe liberos, noſtri fore officii (ſi modo ulla officii notio genuina ſuperſit) falſas ejusmodi notiones ex animo evellere, nec curare ea, quæ Deo nos poſſint commendare, ut laudem ab ipſo conſequamur. Cum tam maligni rivoli ex fontibus Spinoſæ venenatis profluant, hos (e obſtruere, non indignum opera ſua judicavit Cl. Autor, atque ideo errores Spinoſæ de Deo, rebus præter Deum aliis, dependentia rerum omnium a Deo & a ſe invicem tribus ſectionibus luculenter profligare ſtuduit. Quibus ſubjecit mantiſſam Anti-Spinoſaicam mathematica methodo adornatam. E qua propoſitiones de cogitatione divina a Clariſſ. Autore propoſitas hic ſaltim exhibere placet. Earum I cogitatio perfectiſſima ſibi ipſamet eſt illud objectum, quod requiritur ad eſſentialem ſui conſtitutionem. II Quod competit vel non competit cogitationi perfectiſſimæ, illud in fundo rei quoque competit vel

non competit eſſentiali illius objecto; & vice verſa. III Cogitatio perfectiſſima eſt adæquata eſſentiali ſuo objecto & vice verſa. IV Qualis eſt ordo & connexio idearum in & cum cogitatione perfectisſima, talis etiam eſt ordo & connexio rerum in & cum eſſentiali illius objecto & vice verſa. V Cogitatio perfectiſſima continet in ſe omnia perfectiſſime, quæ illa præter ſemet ipſam ſive intelligendo ſive volendo, ſive quacunque alia ratione cogitando, aſſequi poteſt. VI. Omnia omnino quæ ſunt aut eſſe poſſunt, perfectisſime continentur in cogitatione perfectiſſima. VII Cogitatio perfectiſſima neceſſario exiſtit & vi ſuæ perfectionis. IIX Cogitatio eſt attributum Dei, & præter id nulla in Deo ſunt alia, quæ ſint naturæ a cogitatione diverſa. IX Per unicum cogitationis attributum 1 omnia Dei attributa neceſſario exiſtunt, 2 naturali necesſitate ſunt connexa. X Per unicum cogitationis attributum (non plura diverſæ naturæ) Deus neceſſario exiſtit, qualis exiſtit.

MICHAELIS LILIENTHALII DE MACHIAvelliſmo Literario Diſſertatio.

Regiomonti & Lipſiæ, apud Henr. Boye, 1713, 8.
Plag. 13.

INter Proluſiones, quas ſumme Reverendus Bœhmerus, Theologus & Orator in Academia Julia celeberrimus, auſpiciis publicarum lectionum ante aliquot annos præmiſit, ſecunda agit de *inclareſcendi* in Republica Literaria artibus, prout in Actis Erud. A. MDCC IIX p. 173 memoravimus. Hanc materiam uberius deducere, novisque inclareſcendi modis detectis auctiorem reddere, ac ſingula obſervationibus hiſtorico-literariis illuſtrare in præſenti commentatione viſum fuit Cl. Autori, Regiæ Societatis Berolinenſis Scientiarum & Artium Socio digniſſimo. In fronte autem diſſertationis titulum Machiavelliſmi Literarii ad exemplum illorum adhibet, qui inſtituta, errores & vitia Eruditorum ſub perſonæ, ſectæ & ritus cujusdam ſchemate adumbrarunt ac perſtrinxerunt, qualia ſcripta ſunt Thraſoniſmus, Spinoziſmus, Achitopheliſmus, Syncretiſmus, Scepticiſmus & Oſtraciſmus Literarius. Hoc ſcilicet nomine intelligit nimium pariter ac præſtigioſum gloriam in Republica Literaria præter meritum aucupandi ſtudium, quando nonnulli

nonnulli omnem lapidem movent, ut in ſermonem hominum veniant, famamque fraudulenter & aſtute aucupentur, atque ſic malis artibus emergant, ac nominis ſplendorem ſibi parent. Omnes equidem occultas artes non detegit, præcipuos tamen inclareſcendi modos ordine arbitrario recenſet, ac primo loco vanæ Eruditorum gloriæ ex librorum editione quæſitæ mentionem facit, illorumque morem, qui ab libidine ſcribendi temperare ſibi nequeunt, ſalſe perſtringit, nec illos, qui aut nil prorſus aut parum ſcribunt, & MSta ſua ſupra modum evehunt, arcanaque nusquam obvia gloriantur, notare omittit. Alios innovandi ſtudio abreptos ſententias paradoxas & opiniones præter communem hominum ſenſum tueri, alios viciſſim Veterum ſaltem ſcripta mirari, & ſuorum temporum ingenia contemnere ſolere docet. Eſſe porro nonnullos confirmat, qui vel viros ætate & meritis venerandos laceſſunt, criticumque tribunal occupantes ſcripta illorum ſugillant & ſatyrice traducunt, vel alios collaudando propriam nominis laudem & gloriam promovere cupiunt, vel denique ſe ipſos laudare, & doctrinam, qua ſe reliquis præſtare ſuaviter ſomniant, laudibus efferre haud erubeſcunt. Simili ratione huc refert eos, qui vel per emendicatum undique nominis præconium ad gloriam contendere ſatagunt, vel gloriam ex ſpreta gloria venari ſolent, vel etiam φιλοβιβλίαν aſtute ſimulant, & inſtructiſſimas ſibi, non tam ad ſtudium quam ad pompam, comparant Bibliothecas. His deinceps aſſociat eruditos, qui tam pertinaces ſuæ ſententiæ ſunt, ut, ſi convincantur etiam falſa ſcripſiſſe, gloriæ, quam aucupantur, utique jacturam metuentes, quidvis potius agere, quam confiteri errorem malint. Ad eandem claſſem pertinere docet, qui modo per ineptam ſui oſtentationem gloriæ templum ſibi extruunt, modo per multa promiſſa orbis literati admirationem excitare geſtiunt, modo genus dicendi obſcurum adhibent & magna myſteria ſub monſtris verborum pollicentur. Nec prætereundos eos eſſe cenſet, qui veſtibus vel magnificis prorſus vel ſordidiſſimis induti incedunt, vel qui per ſingularismum in ſtudiis emergere allaborant. Quibus expoſitis, eos falli aſſerit, qui ſolidiora ſtudia perfunctorie tractant, & lectione fabularum Romanenſium, Scriptorum Comicorum, Poetarum noſtri ſeculi, Diariorum item & Hiſtoricorum tempus conſumunt, uni-

ceque hac ratione inclareſcere cupiunt. Alios nunc ſcriptorum ſuorum non niſi pauca exemplaria imprimere, nunc ob leviſſimas cauſas ſtudia mutare, nunc juvenili impetu in clariſſimos viros invehere, nunc ſub pietatis prætextu homines in ſui admirationem pertrahere dicit. Improbat quoque eorum morem, qui vel titulos præter meritum anxie ambiunt, & vanitatis ſtudio emendicant, vel in omnia omnium facultatum & ſcientiarum ſtudia ſe ingerunt, ac tumultuaria opera quædam inde decerpunt, vel etiam fœtus ſuos aliis, mortuis pariter atque vivis, ſupponunt, aut quod pejus eſt, monumenta doctiſſimorum virorum poſthuma in ſuam prolem adoptant. Breviſſimis ultimo loco eos memorat, qui modo opera doctorum virorum inedita primi omnium publicæ luci donant, aut libros aliorum rariores recudi curant, modo *ἀνωνύμως καὶ ψευδωνύμως* ſcribunt, modo denique per matrimonia cum virorum magnorum filiabus inita aut per affinitatem cum doctis contractam exiſtimationem ſibi adſciſcunt. Tantum vero abeſt, ut Cl. Autor omnes inclareſcendi modos, quos hactenus recenſuimus, virgula cenſoria notaverit, ac illegitimos pronunciaverit, ut potius in pleriſque momentis abuſum, qui in eruditos minorum gentium cadit, repudiaverit atque ex merito caſtigaverit.

M. JO. CHRISTIANI KOCHII DE ORDInanda Bibliotheca Schediaſma.

Lipſiæ, apud hæredes Joannis Groſſii, 1713, 8.

Plag. 9.

Diſpeſcit Rev. Auctor, prope Haynam ſacro munere fungens, totum opus in tria capita, quorum primum de Bibliothecis in genere, alterum de ordine earundem in ſpecie, ac tertium de methodo excerpendi vel indices librorum ſpecialiores adornandi agit. Et in primo quidem doctos Viros, qui de Bibliothecarum ſtructura, præfectis, ornamentis ſcripſerunt, enumerat, ac Maderianam inprimis collectionem cum ſumme Venerabilis Abbatis Schmidii augmentis laudat, publicarumque Bibliothec. Vaticanæ, Vindobonenſis, Guelpherbytanæ, Cantabrigienſis, Upſalienſis mentionem facit. Cum vero de privatis ſaltem diſſerere apud animum ſuum conſtituerit, earum nonnullas, Uſſerii nimirum, Marquardi Gudii, Rob.

Cottoni,

Cottoni, Ancillonii,Fuggeri,Bigotii,Ittigii aliorumque in apricum producit. In ſecundo ſelectum in coemendis libris commendat, diverſasque methodos Bibliothecas in ordinem redigendi, quibus Calviſius, Sabinus, Martinus Fagelius, Jo. Mabun, Henr. Kitſchius, Rob. Cottonus, Jo. Georg. Dorſchæus uſi fuerint, exponit, ac illam potiſſimum probat, quæ libros ſecundum facultates, ut vocant, diſponit. Deinceps de Bibliothecis arcanis, quo nomine literæ Eruditorum MStæ, varia ἀνέκδοτα, ſchediaſmata rarioris argumenti & raro obvia ipſi veniunt,pauca verba facit, ac nonnulla de ornamentis inſcriptionibusque Bibliothecarum ſubjungit. In tertio demum capite circa librorum lectionem meditationibus indulgendum eſſe monet, inque ſtudio excerpendi, quod ab aliis laudatur, ab aliis culpatur,non eundem ordinem omnibus placere confirmat,ipſe tamen methodum quandam præſcribit, octo regulis comprehenſam.

NOUVEAUX DIALOGVES DES DIEUX, &c.

h. e.

NOVI DIALOGI DEORUM SIVE MEDITATIONES DE paſſionibus.

Coloniæ, apud Petrum Marteau, 1713, 8.

Plag. 9.

AUtor novas virtutum affectuumque ſiſtit ideas, uſus dialogis, quorum originem, naturam, & elegantiam, ſuppeditatis regulis, peculiari Diſſertatione, huic libello præfixa, indagavit, docens, ſimplex hoc eſſe & perantiquum ſcribendi genus, quod ii primum adhibuerint, quos vel vanitas, vel laboris faſtidium permoverit ad ſcribendum. Poſtea ſimplex hoc dicendi genus ab eloquentiæ cultoribus neglectum, & a Platone demum in uſum revocatum ab eoque tam egregie expolitum eſſe refert, ut ipſi pæne inventionis gloria tribuatur. Idem *Ciceroni* non ſolum placuiſſe, ſed *Luciano* inprimis,quem ſibi imitandum propoſuerit,& ex recentioribus *Fontenellio* pergratum,& idoneum fuiſſe viſum, quo ſenſa animi, & meditationes ſuas proponerent, & cum aliis communicarent. Præfationem excipiunt XX Dialogi, in quibus ipſas interdum virtutes humanas, oſtenſis, quoad fieri potuit, earum defectibus, & defor-

mitate, non parum reprehendere videtur. Quod eo tamen fine ſe feciſſe ait, ut intelligatur, virtutes morales imperfectas eſſe, & cœleſti opus eſſe auxilio, ut emendentur, & evadant puriores. Simili ratione vitiorum fœditatem ſæpe diſſimulavit, ut virtuoſam earum ſpeciem, & fucum, quo plerumque teguntur, magis manifeſtaret. Sic *ignaviam* e. g. deſcribit per ejusmodi qualitatem, quæ ſola mereatur nomen virtutis, & quæ perfectionem includat. *Ingratitudinem* ſignum aſſe ait fortis & magni animi, quo nempe exiſtimemus, nos alteri non obſtrictos eſſe pro accepto beneficio, quia illud mereamur, idque de jure nobis debeatur. Sub finem adjecit *Explicationem* dubiorum, & difficultatum, quas nonnulli in Dialogis his notarunt.

NOVA LITERARIA.

LOndini Lockii Opera omnia recuduntur cura Petri King, Equitis & JCti, qui Autor eſt hiſtoriæ Symboli Apoſtolici, in Latinum ſermonem a noſtris verſæ. Scripſiſſe idem Anglice dicitur, quid Eccleſia trium priorum ſeculorum de articulis hodie controverſis ſciverit, ſenſeritque. Recruduit Diſputatio de baptismo Laicorum, quem Laurentius quidam inefficacem declaravit. Titulus libri eſt: *Lay-baptiſm invalid*, & præfixam habet Hickeſii pro eadem ſententia Epiſtolam. Novorum Prophetarum & Societatis Philadelphicæ conventicula ceſſaverunt, dum interim oppoſita prorſus hominum colluvies, indicto palam religioni bello, impietatis ſuæ profeſſionem edidit libello: *A Diſcourſe of Freethinking, occaſion'd by the riſe and growth of a ſect call'd Freethinkers*, Lond. 1713. Reſponderunt nonnulli, ſed optime omnium Bentlejus, qui ſervato Phileleutheri Lipſienſis nomine edidit: *Remarks upon a late diſcourſe of Freethinking: in a Letter to F.H.D.D.* Cantabrigiæ Maſſey, juvenis eruditus ex Collegio Trinitatis, Platonis libros de R. P. edit. Needhamus, publicato Theophraſto, occupatur nunc in Æſchylo, acceptis ab Epiſcopo Elienſi, quæ Stanlejus ad ſuum exemplar pro nova editione adornanda congeſſerat. Celeber. Bentlejus Donatum Grammaticum nobis dabit, ſi optimæ notæ codicem, qui in Gallia eſt, impetraverit. Ceterum e Manilio potius, cum illum publicaverit, quam ullo alio opere ſuo a poſteritate cenſeri cupit

Johannes

Digitized by Google

Johannes Cots, Aſtronomiæ Profeſſor, Newtoni Elementa philoſophiæ naturalis mathematica, quæ ibi recuſa ſunt, recenſuit. Typographus Univerſitatis Crownfield cum Cl. Kuſtero de Stephani Theſauro linguæ Latinæ edendo convenit, ac mox manus operi admovebitur excudendo. Oxonii libri VI Antiquitatum Joſephi typis jam liberati ſunt. Hearnius Ciceronem parat; idem editæ nuper a ſe Dodwellianæ de parma equeſtri Woodwardiana Diſſertationi elogium Autoris & catalogum ſcriptorum ejus præfixerat: quod ipſi opuſculo præjudicio fuit, ab Academia ſuppreſſo. Ceterum magnopere literarum, qualis nunc eſt in Anglia, ſtatum deplorant cordatiores, quod nihil eximium typis mandari queat, niſi omnia prius exempla ſubſcriptionis, ut vocant, lege fuerint divendita. Ita Lelandi Itinerarium, ſex Voluminibus haud ita pridem editum, cui varia ſcripta curioſa, quæ ad Antiquitates Angliæ ſpectant, inſerta ſunt, publice non proſtat. Eodemque modo nunc imprimuntur ejusdem Lelandi Collectanea, Latino idiomate cumpoſita, cujus admodum veremur ut ullum ad nos exemplar perferri hoc tempore poſſit.

Prodiit in Belgio liber *Le Nouveau Teſtament de noſtre Seigneur Jeſus Chriſt, avec des explications & reflexions qui regardent la vie interieure, en IIX Volumes,* Col. 1713, 8. de quo libro proxime in Actis dicemus. Novum quoque Diarium Gallicum Hagæ Com. prodire cœpit, a Societate hominum eruditorum compoſitum, ſub t. *Journal Litteraire*, cujus Majus & Junius, Juliusque & Auguſtus junctim proſtant. Amſtelodami Janus Guil. van Meel Rutilii Itinerarium editioni parat, multas quoque Eruditorum Epiſtolas hactenus ineditas publicaturus. Ibidem prodiit Tomus tertius libri, cujus titulus; *l' Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres, tant acienne, que moderne*, & ſub prelo eſt Gregorii Leti Vita Philippi II Regis Hiſp. ex Italico idiomate Gallice translata; quem librum apud nos quoque in Germanicam linguam verſum lucem mox adſpecturum obiter notamus. Ultrajecti Burmannus, qui Hollandiæ Ordinibus die 22 Maji pacem gratulatus eſt ſolenni Oratione, nuper typis expreſſa, in Ovidio perpurgando totus eſt. Franc. Heſſelius, Canonicus Ultrajectinus, in Ennio occupatur. G. H. Nieuport, cujus Compendium Antiquitatum nuperrime edi-

tum multis placet, Hiſtoriam Juris Romani meditatur. Drakenburgius Silii Italici proxime eleganter typis in 4 excudendi ſpecimen edidit. Guilielmus van der Mulen, Conſul, Commentario in Grotium aliisque ſcriptis notiſſimus, Theologicis nuper immiſceri cœpit. Samuel Pitiſcus Lexicon Antiquitatum nuperrime duobus in fol. Tomis edidit, in quo non tantum e Grævii & Gronovii Theſauris, ſed & ſexcentis Scriptoribus aliis, quæ ad Antiquitates referri poterant, diligenter excerpſit & congeſſit. Lugduni Bat. Herodotus Gronovii propediem abſolvetur; Perizonii etiam Minerva auctior intra aliquot dies prodibit.

Pariſiis Cl. Galandi, quem Dictionarium Numismatum parare M. Majo diximus, ſervat & deſcriptionem inſigniorum Numismatum Muſei Foucaltiani, cujus cuſtos fuit; & cum anno ſuperiori in Schottianam numi D. Auguſti in eodem Muſeo exſtantis Explicationem, cujus recenſum dedimus in Actis A. 1711 p. 327, incidiſſet, eam in duobus Academiæ Inſcriptionum & Numiſmatum conventibus confutandam ſuſcepit. Huc vero, ut breviter dicamus, ejus redit ſententia, ut numum male delineatum, idque erroris fundamentum eſſe aſſerat. In numo enim duo CC puncto, quod *Ducenarios*, de quibus ipſe initio cogitaverat, excludit, ſeparari: nec cippum exhiberi, ſed columnam cum inſcriptione, baſi impoſitam, & milliaribus, qualis haud ita pridem in agro Sueſſionenſi reperta eſt, perfecte ſimilem, eamque typum cum inſcriptione ſua *milliarium Caji Cæſaris Auguſti* efficere, quemadmodum ara cum inſcriptione *providentia* in numis *Ara providentia* legi debet. Veroſimile eſſe, quod Auguſtus viarum publicarum cura defuncturus, a milliario aureo inceperit, idque eodem quo demandata illi cura erat, anno fieri potuiſſe. Loco Suetonii vim inferri, nihil aliud indicanti, quam Auguſtum, qui hactenus prænomine Caji, nomine Octavii, cognomine Thurini & ſæpe Octaviani uſus fuerat, ex teſtamento Julii Cæſaris *Cajum Cæſarem* ſe appellaſſe, ac tandem cognomen AVG. addidiſſe: non potuiſſe illum Cæſaris nomen abdicare, quippe quod adoptivum, & hæredem J. Cæſ. probat, & quod revera id non abdicaverit, numos, ab ipſo Cl. Schotto n. II & VII ac S. C. a Macrobio L. IV c. 12 exhibita teſtari.

Antverpiæ Conradus Janningius & ceteri Patres Soc. J. non ita pridem

pridem Actor. Sanct. Tomum VI Junii, Supplementa ejusdem Menſis & alia quædam ad inſtitutum opus ſpectantia cum aliquot indicibus de Sanctis primi Semeſtris complexurum, prelo dedere. Præcipuum ibidem locum habebit Martyrologium Uſuardi, remotis multorum additamentis ad primævam puritatem autoris ſui reductum, atque ex aliis Martyrologiis illuſtratum. Gandavi Alphonſi Huylenbroucq Soc. J. *Vindicationes altera adverſus famoſos libellos quamplurimos & novam eorum collectionem ſub titulo Tuba Magna novum clangens ſonum &c. per eruditiſſimum Dominum Liberium Candidum, Argentinæ 1712*, hoc ipſo anno 1713 in 8 prodiere.

Romæ, ut nuntiatur in Diarii Ven. Tomis XI, XII & XIII, *Demoſthenis Orationes Græca de Republica ad populum habitæ, Latio donata* a Jo. Vincentio Luccheſinio, *Patritio Lucenſi, cum notis criticis & hiſtoricis*, 4, tum & Juſtiniani Chiapponi, ceremoniarum in aula Pontificia Magiſtri, *Legazione dell Emin. e Rev. Sig. Card. Giuſeppe Renato Imperiali alla S.C.M. di Carlo VI &c. l'anno MDCCXI*, 4, & Antonii Thomæ Schiaræ, cujus *Theologia Bellica* duobus tomis Anguſtæ 1707 recuſa eſt, *Vita di S. Andrea Avellino* &c. ſuperiori anno prodiere; ibidemque Clariſſimi Belgæ Henricus Brencmann & Johannes Maſſon novæ Societatis literariæ Syſtema non inelegans typis prodiderunt, quod integrum propediem inſeretur Actis Erud. Celeberr. Lanciſius Tabulas Euſtachii Anatomicas XLVI, ultra annos centum & quinquaginta fruſtra indagatas, tandemque nuper apud hæredes Petri Matthæi Pini, qui Euſtachio in rebus anatomicis auxilio fuit, inventas, & ad methodum, quem Euſtachius in Tractatu de renibus a Pino edito ſervavit, brevi explicatione illuſtratas, hoc titulo edere parat: *Tabula Anatomica Clariſſ. Viri* Bartholomæi Euſtachii, *Medici Sanctoſeverinatis, quas e tenebris tandem vindicatas, & Sanctiſſ. D.* Clementis XI *Pont. Max. munificentia dono acceptas, Præfatione atque annotationibus illuſtravit, publicique juris fecit* Jo. Maria Lanciſius, *intimus Cubicularius & Archiater Pontificius*. Venetiis Virgilius & Livius, uterque ad editiones Pariſiis in uſum Delphini procuratas, non minus ſplendide atque eleganter recuduntur. Patavii ſub prelo ſunt *Anecdota, quæ ex Ambroſiana Bibliotheca Codicibus nunc primum eruit* Ludovicus Antonius Muratorius, *Sereniſſimi Raynaldi Mutinæ &c.*

D. Biblio-

Digitized by Google

D. Bibliothecarius. *Tomus tertius & quartus*, qui, ut antecedentes, cum annotationibus criticis & præfatione Editoris prodibunt: pariter & imprimuntur Cl. Vallisnerii *Nuove oſſervazioni ed Eſperienze intorno all ovaja ſcoperta ne' vermi tondi dell' uomo, e de' vitelli, con varie lettere*, nec non *Eſperienze ed Oſſervazioni intorno all origine, coſtumi e ſviluppi di vari inſetti*, & huic quidem operi tractatus addentur oppido curioſi, hiſtoria nempe inſecti, quod vocant *Moſca de roſaj*, ut & tr. de œſtro poetico Medice conſiderato, de vermibus & œſtro brutorum &c. Prodiit vero Ferraræ Franciſci Mariæ Nigriſoli liber: *Conſiderazioni intorno alla generazione de' viventi & particolarmente di moſtri*, 1712, 4. De aliis alibi dicemus.

LIBRI NOVI.

Some brief Obſervations and Reflexions on Mr. Whiſtons *late writings falsly entituld, Primitive Chriſtianity reviv'd, ſhewing the unreaſonablenes, partiality, and inconſiſtency of his whole performance, and that it no ways anſwers his audacious deſign of his proving the true and proper Divinity of our bleſſed Lord and Saviour Jeſus Chriſt, by* John Edwards. *D. D. London, 1712, 8.*

Some inſtances of the defects and omiſſions in Mr. Whiſtons *collection of teſtimonies from the Scriptures and the Fathers, againſt the true Deity of the Son, and of the Holy Ghoſt; and of miſapplying and miſinterpreting divers of them, by Dr.* Grabe. *To which is premiſed a diſcourſe, wherein ſome account is given of the learned Doctor, of his MSS. and of this ſhort tract found among his Engliſh MSS. by* George Hickes *D. D. London, 1712, 8.*

An antidote againſt Arianiſm: being a ſhort expoſition of that part of the Athanaſian Creed, which relates to the Trinity, wherein the Doctrin of the Vital Trinity is ſet forth as reaſonable and moſt probable; and that of the Modal one is made more apparently abſurd and ſpurious, by Eraſmus Warren, *Rector of Worlington in Suffolk, Lond. 1712, 8.*

The life of that learned Antiquary, Sir William Dugdale, Kt. Garter Principal king of arms; wherein are contained ſome paſſages relating to the civil wars, not taken notice of by any other hiſtorian. Lond. 1713, 8.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Novembris Anno M DCC XIII.

OPERA ET FRAGMENTA VETERUM POETARUM Latinorum Profanorum & Eccleſiaſticorum duobus Voluminibus comprehenſa.

Londini, apud Jo. Nicholſon, B. Tooke, & Jo. Tonſon, 1713, fol. Alph. 19 pl. 13.

HAnc Poetarum Latt. Collectionem, optimo conſilio ſuſceptam, V. C. Michaeli Maittaire, qui luculentis commentationibus, de Vitis Stephanorum altera, altera de Dialectis Græcorum, famam ſibi ſuperioribus annis comparavit, deberi, ex dedicatione, Sereniſſ. Principi Eugenio facta, apparet, cui ſcilicet nomen is ſuum præſcripſit. Volumen itaque prius Poetas hoc ordine exhibet: Plautum, Terentium, Lucretium Catullum, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, Ovidium, Gratium Faliſcum, Manilium, Phædrum, Columellam. In Volumine poſteriori hæc eſt eorum ſeries: Seneca Tragicus, Perſius, Lucanus, Silius Ital., Statius, Valerius Flaccus, Juvenalis, Sulpicia, Martialis, Terentianus, Rutilius, Nemeſianus, Calphurnius, Auſonius, Avienus, Claudianus, Numatianus, Apollinaris, Capella, Boethius. Hos ſequuntur fragmenta & varia opuſcula partim eorundem Poetarum, partim aliorum, quæ ex Rob. Stephani, Pet. Scriverii, Joh. Scaligeri & Petri Pithœi Collectaneis decerpta ſunt. Agmen ducit Liv. Andronicus, claudit vero Cœl. Sympoſius. Denique Poetae Eccleſiaſtici ſequentes exſtant: Tertullianus, Cyprianus, Juvencus, Hilarius, Marius Victorinus, Ambroſius, Cl. Marius Victor, Damaſus, Prudentius, Paulinus, Proba Falconia, Sedulius, Liberius, Beliſarius, Honorius, Alcimus Avitus, Venantius. In

 omiſſis

omiſſis comparent Corn. Gallus, Maximianus & L. Apulejus. Illuſtrioribus Poetis poſt ipſorum vitam judicia quoque eruditorum nonnulla præmitti ſolent, in calce vero totius Operis rerum potiorum Index conſpicitur. Simili inſtituto Collectionem Poetarum Græcorum lucem ibidem viſuram eſſe fama nunciat.

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΚΟΝ ΤΟ ΜΕΓΑ. &c.

h. e.

ETYMOLOGICUM MAGNUM, SIVE MAGNA Grammatica. Liber perquam utilis & neceſſarius diſcendi cupidis, in gratiam Studioſorum Græcæ Linguæ, a multis mendis priorum Editionum purgatus, & maxima cum cura recuſus.

Venetiis, e typographia Ant. Bortoli, apud Nicol. Sarum, 1710, fol. Alph. 2 pl. 8.

Proſtat Lipſiæ, ap. Gleditſchium & VVeidmannum.

PRæter hæc quæ in titulo de hac Editione prædicantur, Typographus in Dedicatione ad Dn. Nicolaum Karajannen, natione Græcum, Græce ſcripta profitetur, ſe velle æmulari Aldi curam & ſtudium in excudendis Græcis libris; (cujus rei initium faciat in hoc Etymologico) etſi tam felici eſſe non liceat, ut MSta excutere poſſit, utpote quæ jam apud alias ſint Nationes: ſecuturum itaque ſaltem illius exemplaria, non neglectis tamen iis quæ & alii bene. Promittit etiam intra breve tempus præter Favorinum, cujus ſuperiori A. 1712 editi recenſionem dedimus nuper M. Jun. pag. 241, ipſum etiam Heſychium. Correctorem adhibuit *γραμματικώτατον*, ut ait, Panagioten nomine, Sinopenſem, ut in fine libri apparet. Nos ut aliquo modo cognoſceremus, quid in hac Editione ſit præſtitum, contulimus unam alteramque ſectionem cum Editione Sylburgii, *τοῦ ὡς ἀληθῶς γραμματικωτάτου*. Contulimus autem illa tantum, in quibus aliquid a Sylburgio annotatum. Et apparet, hujus conjecturas hic in contextum ſæpe eſſe receptas, quod Ipſemet facere plerumque eſt veritus. In Ἀάθικτος hic editum: Ἀάθικτος ἀντὶ τοῦ ἄθικτος, ὁ ἄαπτος, παρὰ τὸ θίγω τὸ ἅπτομαι· alias ἅπτω legitur, pro quo uſitatius in ea notione ἅπτομαι eſſe

Digitized by Google

eſſe, monuerat Sylburgius: itaque hoc receptum; quamvis idem ille indicaſſet alia duo loca, ubi ἄπτω pro ἄπτομαι uſurpat Autor: & in hac etiam Editione ibi toleratur. Quod autem præterea Sylburgius de hoc loco annotat, pro παρὰ τὸ θίγω, τὸ ἄπτω rectius ordine inverſo legi παρὰ τὸ ἄπτω τὸ θίγω, in eo recte illum non eſt ſecutus Panagiotes; non enim τοῦ ἄαπτος ibi etymologia traditur, ſed τοῦ ἀάθικτος. In Ἀβακὴς in loco Sapphonis legebatur ἀβακὴν φρένα, ubi ἀβακῆ potius legendum eſſe monuerat Sylb. ergo ita hic editum; in antecedentibus tamen hujus loci non minus vitioſis nihil hic mutatum, licet emendationem Fulvii Urſini non malam proferat Sylb. Mox hic Ἄββαλεν, ut volebat Sylb. pro Ἄβαλεν. Deinde Ἀβαστάκτως ὅ ἐστι δυσβαστάκτως, cum antea eſſet Ἀβασάκτως ὅ ἐστι δυσβασάκτως· illam etiam emendationem indicaverat Sy!b. Ibidem legebatur τοῦ βασάνου· monuerat Sylb. τῆς eſſe legendum: ita ergo hic. Non tamen ei auſcultatum infra in Βαλανεῖον ubi οἱ δρῦς cum deberet αἱ δρῦς. Inferius legebatur Ἀβούτης - ἀπὸ τοῦ βοτόν. Sylb. aptius videri dicit ἀπὸ τῶν βοῶν, ut proprie ſit ἀβούτης *bobus carens:* hoc ex parte hic arrepto, editum ἀπὸ τοῦ βοῶν· cum ratio poſtulet potius ἀπὸ τῶν βοῶν, vel ἀπὸ τοῦ βοῦς· non enim a gen. pl. potiſſimum deducitur. Sed nec illud βοῶν erat temere recipiendum; nam non abſurde a βοτὸν i. e. *pecus* derivatur ἀβούτης i. e. *pecoribus carens.* Similem ἐπένθεσιν τοῦ ῡ poſt ō agnoſcit Etymologus in ἐπίουρος, quaſi id ſit pro ἐπίορος ab ὁρᾷν· & nota ſunt Jonica illa νοῦσος, μοῦνος, κοῦρος, aliaque. Inferius Ἀβροδιάζομεν] μή πως ἀβροτάξομεν ἀλλήλοιιν, & ibidem mox ἀποτυχεῖν, ὅ τινες διαναφοδῆσαι φασί, edidit Sylb. & annotat, *pro* Ἀβροδιάζομεν *videri ſcribendum* ἀβροτάξομεν *ex ſequentibus:* & pro διαναφοδῆσαι. *rectius* διαμφοδῆσαι· præſens Ed. ſic: Ἀβροτάξομεν· μήπως ἀβροτάξωμεν ἀλλήλοιν. & deinde ἀπολυχεῖν· ὅ τινες διαμφοδῆσαι φασί· nimirum & hic Sylburgii conjecturæ recipiuntur. Recte quidem, ſi quis ſciat eas eſſe certiſſimas: & Sylburgii non tam conjecturas, quam veram notitiam; videtur enim callide diſſimulaſſe, unde illa habeat, & potius oblivioſus voluiſſe videri, aut in quærendo piger, quam occaſionem ingenioſas conjecturas venditandi non captare. Nam unde quæſo illi veniebat in mentem illud διαμφοδῆσαι, utiq; non facile eſt obvium:

Digitized by Google

nec ex etymologiæ evolutione ejus ſignificatio cognoſci poteſt facile. Sane pro Ἀβροδιάζομεν legendum eſſe Ἀβροτάζομεν ex ſubjecto hemiſtichio ſtatim colligitur; nam debuit idem verbum in eo occurrere: illud autem hemiſt. eſt ex Homero (unde hic plurima ſic excerpuntur & explicantur) Il. κ. v. 65. ubi Scholiaſtes: Ἀβροτάζομεν] διαμαρτήσομεν, ἀλλήλων ἀποτύχωμεν· ὅτινες διαμφοδῆσαί φασιν. Hæc ergo recte Noſter; illud non æque, quod a Sylburgio diſceſſit edendo ἀβροτάζωμεν ἀλλήλοιν (ut in prima eſt Editione) nam bifariam violatur metrum propter ω, & alterum illud triſyllabum. Hæc ex prima & ſecunda ſectione τȣ̃ α. Faciamus nunc ſaltum ad ultimam τȣ̃ α & primam τȣ̃ β., ubi deſinemus. In Ἀψὶς Sylb. Μήπως ὡς ἀψῖσι λίνοιο ἑλόντε· non bene; ſed monet in Notis, legi ἁλόντε & λίνȣ Iliad. ε, ubi hic verſus occurrit & eſt num 487. Noſter autem -ἀψῖσι λίνȣ ἑλόντε· bene quod ad λίνȣ attinet, nec aliter Editio princeps Etymologici: utrumque vel ex Homero erat revocandum: ut mox ibidem fecit Sylburgius in alio Homeri loco pro Ἄψας ἀμφοτέρȣς εὐϛρεφέσ᾽ ἔντεσιν οἷος reſtituendo Ἄψας ἀμφοτέρωθεν εὐϛρεφὲς ἔντερον οἷός· ubi major eſt mutatio quam in priore fuiſſet: obtemperavit autem & hic Noſter. Sed mox ibidem Heſiodi verſiculus non potuit adduci, ut ad Sylburgii mentem reformaret, nec male factum. Etiam in Ἄψ maluit vitioſe cum illo edere hæc: Ἄψ δὲ ποδῶν ἰὼν καταρέζετο, quam ei auſcultare hæc annotanti: *In iſtis ποδῶν ἰὼν luxatum eſt metrum: poſſet quidem ποδοῖιν aut πόδεσσι legi; ſed conjecturæ non fido, & ſeq. rectius divide κατ᾽ ἄρ᾽ ἕζετο.* De iſto poſteriore dubitari non debet qnin rectum ſit; de priore autem merito diffidit conjecturæ ſuæ, ut patebit ex hoc quod ſubjiciam: Ἂψ δ᾽ ἄρ᾽ ἐπ᾽ ȣ̓δὸν ἰὼν κατ᾽ ἄρ᾽ ἕζετο- Homeri & hoc eſt, & ita legitur Odyſſ. ρ. v. 466: ita ergo & apud Etymologum erat reſtituendum. *Voce* ſequente locum Hiſtorici cujuſdam corruptum, monuerat Sylburg. interpolandum eſſe ex Steph. Byz. hic non eſt auſcultatum, & aliquid aliud tentatum quod parum ſucceſſit. In Βάβαξ ſupplevit Noſter hanc vocem in loco Comici ubi iterum debebat occurrere, monitus a Sylburgio. In Βάκχος ubi hoc nomine dicitur appellari etiam Κλαύδιος ὁ ἐν ταῖς τελεταῖς, cum Sylburgius pro κλαύδιος reponendum eſſe κλάδος, putaſſet, hic poſitum κλάδιος quod magis

dubium

Digitized by Google

dubium quam κλάδος. In Βάκηλος legebatur ὁ βία-κέλως γεγονὼς, Sylburgio monente hic κέλος poſitum. In Βάθρον pro ἰσχνοὶ πόδες Sylburg. conjiciebat οἱ σκίμποδες, quod hic ſtatim receptum. Inferius in aliis Edd. legebatur Βάμμα Κυζικηνὸν, τὴν ἀκάθαρτον ἀσχημοσύνην Ἀττικοὶ λέγουσι· διὰ τὸ τίλημα· ἐσκάπτοντο γὰρ ἐπὶ μαλακίᾳ. Ubi Sylb. annotat: τίλημα *quid ſibi velit non capio: nec* πίλημα *quadrat melius:* & τύλωμα & θήλυμα *longius a vulgata ſcripturæ veſtigiis diſcedunt.* Cum nulla harum conjecturarum ſatisfaciat ipſi Sylb. hic tamen receptum τύλωμα, quod nullum ſenſum exhibet. Quomodo enim fœda illa turpitudo, de qua ſermo eſt, diceretur *tinctura Cyzicena* propter *callum?* cum nec callus in ea re concipi poſſit: nec ſit callus unius certique coloris. Mirum ſane, hominem Græce ſatis intelligentem ignoraſſe quid ſit τίλημα· non occurrit quidem hæc vox in Lexicis, quod ſciam: ſed tamen qui τιλᾶν verbum ſatis notum ſciverit, non poteſt non intelligere τίλημα· inde enim eſſe quilibet videt, ut a τιμᾶν τίμημα· ſignificat autem idem quod ἀποπάτημα. Color autem τοῦ τιλήματος πυῤῥός. Hinc apud Ariſtophanem in *Eccl.* v. 330, cum quidam præter morem veſte rubra eſſet amictus, alter ex eo quærit: Τί τοῦτό σοι τὸ πυῤῥόν ἐστιν; οὔ τί που Κινησίας σου κατατετίληκεν; ſic alius infra v. 1053. quaſi valde timens dicit: Αὐτοῦ τι δρῶντα πυῤῥὸν ὄψει μ᾽ αὐτίκα ὑπὸ τοῦ δέους· id quod in *Ranis* v. 475 Bacchus aperte dicit, cum ab infernali miniſtro vehementiſſime eſſet perterrefactus, ait enim ἐγκέχοδα. Quemadmodum autem illo loco timidus dicebatur ποιεῖν πυῤῥόν τι, ita βάπτεσθαι βάμμα Κυζικηνὸν præ timore dicitur malus miles, cum pugnandum eſt, in *Acharn.* v. 1176: Ἐὰν δέ που δέῃ μάχεσθαι - Τηνικαῦτ᾽ αὐτὸς βέβαπται βάμμα Κυζικηνόν· quæ ſententia proprio verbo effertur in *Equit.* v. 1054: Ἀλλ᾽ οὐκ ἂν μαχέσαιτο· χέσαιτο γὰρ εἰ μαχέσαιτο. Illos autem etiam, de quibus Etymologus loquitur, ἑτοίμους eſſe πρὸς τὸ ἀποπατεῖν, apparet ex Scholiaſta Ariſtophanis ad *Pacem* v. 170. Mox apud Etym. in Βάναυσος legitur: Σοφοκλῆς· Οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτήσω. ubi Sylb. annotat: *Si* ἐκτήσαο *legas metrum triiambicum.* Non id curavit Panagiotes, ſed ἐκτήσω ſivit ut eſt, neutrum autem eſt genuinum. Locus extat in *Ajace* v. 1142, ubi Teucer ſagittarius de ſua arte quæ ei exprobrabatur a Menelao, dicit: Οὐ γὰρ βάναυσον τὴν τέχνην ἐκτησάμην. Inferius legebatur:

Digitized by Google

Βαρκαίοις ὄχλοις, ubi Sylburgius ex Heſychio, ut ait, repoſuit Βαρκαίοις ὄχοις, quod & hic receptum, merito. Nos & hoc unde ſit, indicabimus. Ex *Electra* Sophoclis eſt, ubi v. 729 de colliſis quadrigis in certamine: Μέτωπα συμπαίουσι Βαρκαίοις ὄχοις. Hoc ergo recte ex Heſychio eſt aſſecutus Sylb. Sed eum neglexit paulo inferius, ubi edidit: Βαύκαλον μαλακιζόμενον τρυφερὸν καὶ ὡραϊστόν, ſequace Noſtro: cum priores Edd. ipſo illo teſte, habeant Βαύκαλον κιζόμενον· vitioſe quidem: ſed propterea non ſtatim illud μαλακιζόμενον tanquam indubitatum erat in contextum recipiendum. Heſychius ita: Βαυκιζόμενον τρυφερὸν καὶ ὡραϊστήν· ubi & ὡραϊστὴν rectius quam ὡραϊστόν. Sed hoc & Sylburgio in mentem venerat, quamvis non inſpexiſſet ibi Heſychium, ut forte videri vult. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant, unde de ceteris judicari poſſit. Hoc adhuc indicandum, Aſteriſcos illos, qui paſſim in Etymologico Sylburgiano conſpiciuntur, & Additionum quarundam, quæ poſt primam Editionem acceſſerant, ſunt ſigna, hic eſſe prætermiſſos. Licet non levi de cauſa fuerint additi a Viro illo doctiſſimo. Videntur enim pleræque illæ additiones indignæ Etymologo noſtro, ut e re ſit admoneri de iis Lectores. Indices etiam Sylburgiani ſunt omiſſi. Sciendum etiam, de mutationibus, quæ hic factæ ſunt, nihil moneri.

LE NOUVEAU TESTAMENT DE NOTRE Seigneur Jeſus Chriſt.

h. e.

NOVUM TESTAMENTUM DOMINI NOSTRI Jeſu Chriſti, cum explicationibus, & meditationibus, quæ vitam interiorem ac ſpiritualem reſpiciunt.

Tomi IIX.

Coloniæ, apud Joannem de la Pierre, 1713, 8.

Alph. 10 pl. 6.

Ita prodiere tandem in publicum orbis Chriſtiani conſpectum myſticæ hæ explicationes & obſervationes in Nov. Teſt. libros, octo voluminibus comprehenſæ, & a multis antea in Galliis, Britanniaque

niaque manu deſcriptæ, quam typis imprimerentur. Scopus hujus Commentarii eſſe dicitur verborum divinorum ſecundum intentionem Spiritus S. explicatio, & accommodatio ad vitam hominis ſpiritualem, & amorem divinum in animo excitandum. Autoris nomen in hiſce Commentariis nusquam comparet, affirmatque eorum Editor, omnia codicum MSCtorum exempla, quotquot viderit, anonyma fuiſſe. Suſpicatur tamen, *Guioniam*, feminam non incelebrem, & myſticis contemplationibus maxime deditam, has meditationes, jam tum A. Ch. 1682 & 1683 ad finem deductas, conſcripſiſſe. Qua de re Editor Antiſtis Meldenſis indicio nec non ſtili, principiorum, ac rerum verborumque ſimilitudine ac conformitate, quam hi Commentarii cum aliis *Guioniæ* ſcriptis præ ſe ferunt, atque aliis confirmatus argumentis, inprimis quod Autor genere femineo paſſim de ſe loquitur, vix videtur dubitaſſe, qui ſub finem præfationis de allegorica interpretandi ratione, & ſenſu Scripturæ myſtico, ejusque veritate ac uſu, perample diſſerit, eumque commendat.

Præfationem Editoris excipit breve ipſius Autoris præfamen, in quo vocabula nonnulla frequenter in hiſce meditationibus occurrentia, qualia ſunt, *pœnitentia*, *ſacrificium purum*, *mors*, *reſignatio*, *annihilatio* &c. explicantur. Per *Pœnitentiam* non vult intelligi auſteram vivendi rationem, ſed ingentem animi dolorem, ex peccatorum agnitione & ſenſu iræ divinæ ortum, nec non humilem fiduciam in Chriſtum, nihil prorſus tribuendo operum meritis. *Reſignationem* ſive deſtitutionem ſui ipſius (*l' abandon*) abjectionem eſſe dicit ſui ipſius in manus Dei, quæ perficiatur conſideratione noſtræ imbecillitatis, & divinæ bonitatis, qua quis ad inſtar infantis filiali confidentia duci ſe patiatur, ſubjiciendo ſuam voluntatem voluntati divinæ. Quo magis enim noſtra voluntas ſeſe ſubjiciat voluntati divinæ, eo ſimiliores nos fieri Deo, immo eo magis etiam nos uniri cum Deo putat, propriamque noſtram voluntatem exui atque perdi. Ex multiplici enim ejusmodi ſubjectione, lubentique voluntatis divinæ admiſſione, habitum acquiri, noſtramque voluntatem in divina voluntate quaſi amitti & perdi, quod Myſtici appellent *jacturam*, *transformationem*, *mutationem*. His addit, voluntatis humanæ contrarietatem cum divina iisdem re-

rum

Digitized by Google

rum myſticarum ſcriptoribus vocari *Diviſionem:* uniformitatem autem utriusque appellari *Unionem*, quæ tam arcta fieri poſſit, ut anima omnem repugnandi pruritum atque conatum perdat, quod vocetur *Annihilatio* myſtica, mors, & diviſio, ſeu deſtructio propriæ voluntatis, ut homo nihil, præter id, quod Deus, velit & nolit. Præterea oſtenditur, omne hominis malum ortum eſſe ex proprietate, & Chriſtum veniſſe, ut illa vitia exterminaret per paupertatem Spiritus & voluntatis, quæ vera ſit *Disappropriatio* ſeu paupertas, non in ſola facultatum & opum abjectione conſiſtens, ſed inprimis in humili abdicatione, & demiſſione ſpiritus, judicii, ſcientiæ, propriæque opinionis. Eum videlicet in finem, ut Deus poſtliminio fiat per ſuum perfectum amorem *τὸ πᾶν* hominis, qui ſeſe Spiritui divino permittat regendum ducendumque. Hunc ſcopum & compendium totius Evangelii eſſe pronunciat, & conqueritur, ſacros monachorum ordines externæ dumtaxat formæ tenaces, hodie perparum, aut prorſus nihil habere internæ veræque paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſpiritualis, quas internas tamen virtutes primi ordinum familiarumque autores in animo habuerint, & ſectatoribus præſcripſerint, qui quidem paupertatis profeſſione non exigui proprietarii exiſtant.

Ad Matth. I, 18 notat, Chriſti nativitatem & conceptionem in anima hominis eodem modo fieri, quo facta legitur in Maria. Animam enim in nihilum redactam ſenſim paullatimque ſentire, ſe Jeſu Chriſto plenam, per operationem Spiritus S. qui per infuſionem novæ vitæ formet in ea Jeſum Chriſtum. Ad Capitis II v. 1 ulterius obſervat, animam, in qua Chriſtus naſcitur, eſſe debere *de Juda*, h. e. divinæ virtutis plenam: & Chriſtum omnium lubentiſſime naſci in animabus obſcuris, perinde ac olim Bethlehemi, & quidem *ſub regno Herodis*, eo videlicet tempore, quo calumniis tormentisque vexetur, annihiletur, crudeliterque affligatur. Ad Marc. VIII, 11 notat, prodigia & miracula poſſe homines decipere: Anti-Chriſtum quippe ſtupenda prodigia editurum eſſe. Fiduciam autem in Deum poſitam fallere nunquam. Commate 34 ejusdem Capitis memorat, neminem poſſe Chriſtum ſequi, niſi per viam continuæ perpetuæque abnegationis, per crucem, per patientiam & perſecutionem. Ad Marc. I, 5 putat, poſt dolorem de admiſſis

miſſis peccatis, confeſſionem peccatorum ſumme neceſſariam eſſe, qua facta, presbyter per abſolutionem baptizet animam & purificet eam ſanguine Chriſti. Qua occaſione Reformatos, quos fratres errantes appellat, de confeſſionis antiquitate & neceſſitate admonet, eamque utilem eſſe pronunciat ad deſtruendum internum hominis faſtum, & ad impediendum vitiorum curſum. Hæc quippe facilius admitti, quando non ſumus obligati ad ea confitenda. Ad comma 32 ejusdem Cap. ait, Chriſtum obſcuram amare noctem in edendis prodigiis, poſt occaſum Solis, quando anima eſt in ſtatu privationis & mortis. Ex Evangelii Lucæ initio contra eos, qui a Romanis placitis diſſentiunt, probare conatur traditionum autoritatem, quia Marcus & Lucas Evangelia conſcripſerunt ſecundum Apoſtolorum narrationem. Eos enim qui traditiones Eccleſiæ rejiciunt, non poſſe non ipſum Marci & Lucæ Evangelium rejicere, quippe qui non ſcripſerint, quod viderant, ſed quod ab Apoſtolis audiverant. Ad Luc. VI, 20 docet, ſummam vitæ felicitatem conſiſtere in paupertate, omniumque rerum, etiam præſtantisſimarum, defectu. Neminem magis felicem eſſe, quam pauperem, omnibus deſtitutum facultatibus, ac ipſa habendi voluntate. Talem enim nihil concupiſcentem, nec timentem, ut aliquid amittat, ſummum & inexplicabile poſſidere bonum, imo ipſum Dei regnum, cum Deus in tali homine perfecte regnet, & ille regnet in Deo, nec ulli rei amplius obnoxius agat cum Deo libere. Ad Luc. XVI, 9 monet, divitiis conciliari amicos, ſi iis recte utamur, ad Dei gloriam, & proximi utilitatem. Cogitandum non eſſe, nos opum noſtrarum poſſeſſores eſſe, ſed œconomos tantum, nec animum facultatibus debere eſſe affixum, ſed liberum paratumque ad opes, Deo jubente, deſerendas abjiciendasque. Ad Luc. XVI, 31 notat, homines qui non convertuntur per media ſalutis ordinaria, a Deo quotidie ſuppeditata, vix etiam converti per media extraordinaria. Propterea Abrahamum ea recuſaſſe epuloni. Ad Joh. I, 38 divinum admiratur amorem. Animam enim tam cito vix converti ad Deum, quam Deus convertatur ad eam, eique obviam procedat. Ad Cap. II, v. 5 inculcat, primam præparationem ad nuptias myſticas eſſe cœcam obedientiam divinis præceptis præſtitam. Id enim

Digitized by Google

omne, quod Deus præcipit, faciendum eſſe ſine reſpectu, & citra hæſitationem. Animam hujus dependentiæ abſolutæ inexpertem eſſe inidoneam ad nuptias ejusmodi ſpirituales. Ad Joh. IV, 23 Eccleſiam Romanam ab idololatriæ crimine defenſura, dicit, ſolum adorari Deum, ſanctos tantum honorari propter Deum. Sanctos enim non eſſe, niſi ex ſanctitate Dei, ita ut Deus ipſe honoretur in ſanctis. Non poteſt autem non fateri & deplorare hujus adorationis abuſum. Plerosque enim Dei prorſus obliviſci, & ad ſolos ſanctos converti, ita ut ab invocatione eorum omnia videantur dependere, quaſi ſancti ſint hominum Salvatores, qui tamen pro iis non ſint mortui. Doctiſſima *Guionia* improbat hunc abuſum, eumque oriri dicit ex ſtupore vulgi, qui non intelligat, quid ea de re doceatur, & in multos incidat errores, qui ipſi Eccleſiæ nequeant imputari, & tanquam ſeparationis cauſa a diſſentientibus allegari. Eccleſiam enim hisce abuſibus ingemiſcere, operamque dare, ut e medio tollantur. Se vidiſſe ait in urbe quadam permultos venerabili ſacramento, in altari expoſito, obvertere dorſa, adorantes divæ Virginis ſimulacrum. Hoc improbat Noſtra, & haud cunctanter affirmat, talem honorem ipſi virgini contumelioſum eſſe. Honorari quippe non poſſe cum neglectu filii. Ad Joh. XII, 4 αὐτοφιλίαν dicit gignere avaritiam, invidiam, aliaque mala, imo occultare ipſum malum ſub ſpecie boni. Inde infert, multas virtutes, quæ maximæ nobis appareant, ſplendidæque, horribilia aliquando vitia fore, & manifeſtatum iri. Animam quippe *proprietariam* in ipſa virtutis exercitatione & praxi, nullam veram exercere virtutem. Ad Act. II, 20, 21 obſervat, ſalutem univerſalem futuram eſſe ante extremum judicium, argumento ex Apocalypſi Johannea petito. Ad Cap. XVII, 23 oſtendit multos Chriſtianos, perinde ac olim Athenienſes, Deum verum, in animo noſtro habitantem, ignorare, & colere ignotum Deum. Ex qua ignorantia multa oriantur mala. Ad Rom. III, 25 docet, nos gratis absque ullo operum merito juſtificari, & absq; aliquo bono, quod ſit in nobis. Deo deberi per Jeſum Chriſtum omnem noſtram juſtificationem: fide opus eſſe, & fiducia in Deum, ad applicandum Chriſti meritum. Paullo poſt Cap. IV, 3 inculcat, opera Abrahamum nec ſanctificaſſe, nec juſtificaſſe, ſecundum teſtimonium Scripturæ,

quæ

quæ aſſerat, *fidem* Abrahamo imputatam eſſe ad juſtitiam. Ad 1 Cor. III, 2 *carnalem eſſe* exponit ſe ipſum adhuc amare, propriæ utilitatis ſtudioſum eſſe, idque probat ex ſeq. verſu. Per mortificationem Jeſu Chriſti 2 Cor. IV, 10 non intelligit afflictiones ſponte ſibi illatas, & auſteram vivendi rationem, ſed calamitates divinitus immiſſas. Ad Gal. V, 5 rurſus monet, propriis operibus neminem juſtificari, ſed veram juſtitiam recipi per fidem. Ad 2 ad Timoth. I, 9 obſervat, Paulum quavis occaſione operam dare, ut oſtendat nobis bonitatem Dei, qui nos vocet ad ſalutem per effectum ſui amoris, & non ob conſiderationem noſtrorum operum, & illius, quod nos ſumus. Ejus enim decretum, & vocationem ad ſalutem eſſe gratiam, per Chriſtum partam, nobisque datam ante ſecula. Sub finem univerſum hunc commentarium Romanæ Eccleſiæ examini atque judicio ſubmittit, obteſtaturque Lectores, ut loquendi formulas ad Theologiæ Scholaſticæ rigorem ne revocent, cum Theologia myſtica peculiares loquendi modos amet. Affirmat etiam, ſe nullo alio libro præter ſolam Scripturam uſam eſſe, nec relegiſſe meditationes, feſtinantiſſime ſcriptas, ut emendaret. Nos fatemur, multas præclaras meditationes huic operi ineſſe, illudque, ſi opiniones Pontificias, quæ ubivis immiſtæ ſunt, abjiciamus, ceteris Scriptis myſticis jure meritoque præferri poſſe.

SEBASTIANI LE ROUX, PASTORIS ECCLEſiæ de Andevilla in diœceſi Carnotenſi, Concordia quatuor Evangeliſtarum.

Pariſiis, apud Alexium de la Roche, 1712, 8 maj.
Alph. 1 pl. 6.

ARtis, ut vocat, ſingularis opus, cui per decem inſudaverit annos, Cl. Autor cum Orbe erudito communicat, omnes ſimul Evangeliſtas obtutui ſiſtens, quibus tamen προλήψεις & ὑστερολογίας liberali manu admetitur. Rubro partim, partim nigro charactere utitur; ſicubi plures eandem referant hiſtoriam, hos ſibi invicem a latere ponit, ut, ubi diſſidere videntur, clarius eluceſcat. Nigro quæ exprimuntur typo, ſeriem Evangelicam, ſenſumque expletiorem exhibent, rubicunda tantummodo ſupplent, faciuntque ſimul, ut quilibet ſcriptor Evangelii etiam ſeorſim legi

Digitized by Google

queat. Sicubi cohærentiæ cauſa inſerendum aliquid eſt, tum illud
in margine, addito aſteriſco, notatur.

pag.1. Initium capit Autor, qui ab induſtria laudandus potiſſimum
eſt, ab Exordio Lucæ cap. I, 1, cui initium Johannis illico ſubjun-
git. Joh. I, 1. Poſtea Evangeliſtas diligentiſſime quidem combi-
nat, modo conciliaret etiam ſubinde. Verba Luc. III, 23 more
20. plurimis recepto etiam vertit: Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi
113. annorum triginta. Pag. 113 famam de Servatore ad Herodem per-
latam meminit, qui de occiſione Johannis jam tum facta tunc ver-
114. ba fecit; & poſtea tamen ordine harmonico demum recenſetur,
164. qua ratione mulctatus gladio Johannes fuerit. Væ illud in Phariſæ-
os Matth. XXIII pronunciatum, advocato in ſubſidium loco Luc.
353. XI, 32, inter prandendum in domo privata prolatum aſſerit, alias-
que, quæ ultima vitæ Chriſti ſeptimana alias patratæ dicuntur,
197. actis Matth. XIX recenſitis anteponit. Cœnam Joh. XII, tum vero
etiam Matth. XXVI & Marc. XIV, unam eandemque credit, Chri-
ſti ſermones Joh. XIV, XV, XVI, XVII cœnæ Euchariſticæ poſtpo-
350. ſuit omnes. Ordinis minus obſervantes Evangeliſtas ſecure pronun-
ciat, Lucæque illud *κατεξῆς* ideo non de ordine capit, ſed per *ſigil-*
357, 358. *latim* & *diſtincte* exponit. Primo ingreſſus Chriſti die nullos, ſe-
cundo vero, memorante Marco, omnes expulſos venditores e
353. templo, ait, Matthæo duos dies contrahente in unum; unctionis
354. Bethanienſis relationem diſtuliſſe Matthæum, donec de cœna ex-
362. poſuit, Judamque cœnæ non interfuiſſe, conjicit. Com-
365. mentatores Catholicæ Religionis tantum commendat. Ma-
371. gos Matth. II ex Meſopotamia, Balaami patria, accerſit, cujus ſcili-
398. cet de ſtella oraculo fuerint excitati. Sabbathum Devteroproton
pro primo poſt Paſcha Sabbatho habet. Mariam Lazari Sororem,
395. peccatricem Luc. VII & Mariam Magdalenam unam eandemque, &
Barachiæ Matth. XXIII & Jeremiæ c. XXVII nomina librariorum
407, 420. oſcitantia irrepſiſſe, credit, Chriſtumque per cadaver Matth. XXIV
intelligere, recuſat, hoc ſaltim proverbio innuente: facile ſibi jungi
414. poſſe, quæ jungi ſibi natura poſtularet. In Feriam ſextam collocat
ultimum Chriſti Paſcha, & primo adeo Paſchatis die crucifixum me-
420. morat Servatorem, dum ſaltim ob victimas Paſchales, non ob
agnum jam tum comeſtum, in prætorio inquinari Judæi noluiſſent.

Horam

Digitized by Google

Horam crucifixionis, quæ apud Marcum & Johannem diverſa, conciliat, horis templi & tubis Grotianis aſſumtis. pag. 422.

Gallice quoque hanc Harmoniam edidit poſtea Pariſiis M DCC XII laudatus Autor, methodoque adhuc concinniori utitur, ut omnes ſimul Evangeliſtæ, & quilibet ſeorſim quoque legi facillime poſſint, ſolis, quæ in Editione Latina comparent, omiſſis Annotationibus, Criticis quippe iis, qui Latine ſcirent, relictis.

DIATRIBE HISTORICO-JURIDICA DE Receptione Juris Romani ejusdemque ac Legum Germaniæ Veterum, uti & Saxonici ac Suevici Speculorum, in foris uſu autoritateque præſenti, JOH. GEORGII de KULPIS ac ejus quorundam Sectatorum doctrinæ oppoſita.

Gothæ, ſumtibus Andreæ Schallii, 1713, 8.

Plag. 5.

AUtor Anonymus, quem ferunt eſſe J.C. *Heydelmannum*, Opuſculum hoc tripartitum fecit. *Prima* Sectio in genere de tempore, modo & cauſis recepti in fora Germaniæ Juſtinianei juris tractat; *ſecunda* receptionem illius in complexu factam probare nititur; *tertia* de autoritate ejus tum in ſe, tum intuitu reliquiarum veterum Germaniæ legum agit. Atque primam partem quod attinet, non invitus in *Lehmanni, Schilteri* aliorumque ſententiam ire videtur, qui Carolingorum etiam temporibus Juris Romani uſum quendam ſubſidiarium viguiſſe in Germania contendunt, quod uti de Romano jure proprie ita dicto intellectum tolerari quodammodo poteſt, ſic de Juſtinianeo acceptum, minime aſſerendum eſt: optandumque foret, Autorem hiſce appellationibus non promiſcue ubique uſum eſſe. Cumprimis in eo totus eſt, ut probet adverſus *Conringium*, ante Seculum XV jam tum jura Juſtinianea ſpeciem quandam legis apud nos induiſſe, quod & ante Noſtrum vero ſimile viſum fuit Illuſtri *Rhetio;* fatemur tamen argumentis prolatis haud ſatis roboris ineſſe ad ſententiam Conringianam refellendam. Id quidem extra dubium poſitum eſſe arbitramur, conceſſiſſe jam ante id Seculum plures Germanos addiſcendi juris civilis cauſa in Italiam, & ſufficiebat ſane ſolum *Jo-* pag. 5.

Digitized by Google

hannem Semecam, Præpoſitum poſtea Halberſtadienſem, hic nominaſſe, quem inter Azonis diſcipulos auſcultaſſe, & ob præclaram in utroque Jure eruditionem vel ab ipſis Italis magni factum fuiſſe, fide digniſſimis teſtimoniis conſtat. Minus enim firmum funda-
pag.15. mentum hanc in rem ab Authentica Friderici I *Habita* petitur, cum ea conſtitutio utpote in Roncaliæ Campis lata ad Germanos haud ſpectet, deinde hanc rationem politicam habeat, ne ipſi Itali neglecta Bononienſi Academia Pariſienſem peterent, quæ ad vetuſtum decus a Lanfranco circa A. 1030 reſtituta, ingentem Italorum Germanorumque multitudinem Seculo XII ad ſe trahebat, quod a doctiſſimis Viris *Carolo Sigonio* Hiſt. Bononienſi L. 3 ad A. 1158, *Bulæo* de Academia Pariſienſi Tom. II pag. 278 & *Antonio Gatto* in Hiſtor. Gymnaſ. Ticinenſis obſervatum accepimus. Notum autem eſt, ante Seculum decimum tertium ne quidem fama cognitam Juris Civilis profeſſionem Pariſiis extitiſſe; ut adeo Fridericiana conſtitutio non tam in ſtudioſorum juris, quam medicæ & liberalium artium, quæ duæ facultates Lutetiæ potiſſimum docebantur, gratiam condita credi debeat. Majoris momenti cen-
19. ſeri poteſt, quod *Rupertus Senior* Academiæ Heidelbergenſi jam A. 1386 de Profeſſoribus Juris Civilis proſpexiſſe perhibeatur. Verba Diplomatis ex *Ludovici Tolneri Hiſtoria Palatina* hæc adducuntur: *Quatuor in ea ſint Facultates: prima S. Theologia ſ. Divina; ſecunda Juris Canonici & Civilis, quas propter ſui propinquitatem pro una facultate diſponimus æſtimari; tertia Medicinæ; quarta Artiſtarum ſ. artium liberalium.* Arguit eo nomine erroris *Schilterum*, qui in *Diſſertat. de Inveſtitura Princip. Imp. cap. 3 §. 2* per totum Seculum XIV nullos Heidelbergæ Juris Civilis Doctores conſtitutos fuiſſe, pronunciaverat. Equidem ſi erravit *Schilterus*, fecit id, ni fallimur, autoritate *Magni Chronici Belgici* ductus: negamus tamen ex eo, quod Profeſſio Juris Civilis Heidelbergæ introducta ſit, ad vim legis, quam obtinuerit ea ætate Jus Juſtianeum apud Germanos, concludi debere. Habebatur enim illud ut medium excolendæ rationis & æquitatis, quo nomine in Aurelianenſem Academiam a *Philippo Pulchro* A. 1312 introductum eſſe, a *Johanne Tilio L. 1 de Republ. Gallica* & *Franciſco Hotomanno Anti-Tribon.* cap. 17 dudum obſervatum eſt. Commemoratu digna

ſunt

ſunt verba Confirmationis: *nonputet igitur aliquis*, inquit Rex, *nos recipere, vel Progenitores noſtros recepiſſe leges quaslibet, ex eo quod in diverſis locis & ſtudiis Regni noſtri per Scholaſticos legi ſinantur.* Videſis *Conringium de Orig. Jur. Germ. cap. 33.* Pergit Autor: *poſtquam Gregorius XI anno 1373 Speculi Saxonici uſum prohibuerat, quæ jura alia, præter Cæſarea ac Pontificia, libere potuiſſent obſervari?* At vero, ſi valere hæc deberent, Palatinatum ſaltem Saxonicum, non eas quoque terras, quæ jure Alemannico ſive Suevico, quod nunquam a Pontifice damnatum fuiſſe novimus, attingerent. Deinde Bulla iſta Gregorii quatuordecim tantum articulos reprobavit, ut adeo reliquis autoritas ſua conſtiterit. Porro non leges ipſæ aut Conſuetudines Saxonum, ſed collectio ſaltem, quæ ſub Speculi Saxonici titulo circumfertur, diris devovetur. Neque vero credibile eſt Saxones hoc fulmine valde terrefactos eſſe, qui αὐτονομίαν ſuam Pontificiæ poteſtati minime ſub ectam eſſe, palam profitebantur. Diſerte Rebkovius: *Papa non poteſt aliquo modo jus condere vel ſtatuere, per quod valeat Jus noſtrum, hoc eſt, ſtatutum Terræ* (Land-Recht) *vel Feudi Saxonicum deteriorari.* Et facile probari poteſt, ſpeculi hujus uſum poſt Bullam Gregorianam adeo non deſtiſſe, ut nova indies incrementa ceperit, & limites ſuos egreſſum in exteras etiam provincias penetraverit. Principium ſimiliter petunt, quæ Anonymus ex Conſtitutione Albertina de quatuor Circulis anno 1438 lata in medium attulit; in ea nimirum appellationem Gemeinen Rechten, quod contradiſtinguantur guten Gewohnheiten / innuere Jus Juſtinianeum: quaſi vero nullis ſcriptis legibus usque ad eum diem uſa ſit Germania, id quod aſſerere velle idem propemodum eſſet, ac omnem Hiſtoriarum fidem labefactare. Fortiſſimum haud dubie argumentum eſt, quod Seculo XIII lite de finibus regundis exorta inter Brandenburgicum & Magdeburgenſem Archi-Epiſcopum, Comes Schwartzburgicus Auſtregalis Judex auditis partibus non ante ſententiam dixerit, quam Juris Romani peritos conſcripſiſſet: itemque, quod Comes quidam Gleichenſis apud Lynckerum in Diplomate A. 1140 confecto Canonico & Civili juri, & hujus ſpeciatim beneficiis renunciet. Longe illuſtriora exempla hanc in rem accipere potuiſſet Anonymus a Clariſſimo JCto *Joanne Nicolao Hertio*, ſi doctiſſimam ejus *de Conſultationibus, Legibus & Judiciis in Specialibus*

Marginal notes: pag. 20. (beside "tor: poſtquam Gregorius XI…"); 21. (beside "ſtoriarum fidem labefactare…")

cialibus Rom. Germ. Imp. Rebuspublicis Diſſertationem §. 14 adiiſſet.
Tenendum tamen eſt, quæſtionem in eo verſari, an Seculo illo in
univerſum Jus Juſtinianeum receptum ſit? Quanquam igitur in
una vel altera Provincia ob deperditum Prudentiæ Legislatoriæ ea
tempeſtate ſtatum, vel quod ex compromiſſo partes eo regi vo-
luerint, vires ſuas exeruerit, inde tamen ad generalem approbatio-
nem minus tuto inferendum erit. Accedit quod formulis ejusmo-
di in præſenti negotio fides ſemper habenda non ſit, quod ad eas
ſcribendas adhibiti ſint plerumque homines Juſtinianei Juris ſcien-
tia leviter quidem tincti, legum autem patriarum & conſuetudi-
num domeſticarum profunda ignorantia laborantes, quibus uti
legem peregrinam invehere non licuit, ita ex eorum chartis de ſta-
tu legum æque difficulter, ac ex imperiti Notarii inſtrumento ina-
nibus ac pridem exoletis clauſulis referto, conjectura capi poteſt.
Certe univerſalem tum temporis receptionem nondum obtinuiſſe,
etſi huic clanculum introducta paſſim Juris illius obſervatio fores
demum aperuerit, vel ſola apud Goldaſtum Tom. I der Reichs-
Satzungen *Reformatio Friderici* III A. 1441 Ordinibus, ut vul-
go creditur, propoſita evincit. Sed hæc quidem *ὡς ἐν παρόδῳ*. In
pag. 27. eadem Sectione tria adhuc expendit Anonymus. Primo contra
Kulpiſium adſtruit Jus Juſtinianeum a Maximiliano I approbatum,
idque ex formula A. 1495 Cameræ Aſſeſſoribus præſcripta, quam
cum extare negaſſent *Kulpiſius* & *Thomaſius*, eandem ex *Dattio*
profert. Monet autem, de illius ingenuitate ideo dubitandum
non eſſe, quod in prima Receſſuum Compilatione non reperiatur,
cum ſufficiat, eam in vetuſtis exemplis Ordinationis Cameralis cir-
31. ca finem Seculi XV typis deſcriptis conceptis verbis legi. Secun-
do contra eundem *Kulpiſium* pugnare, conatur ſub nomine der ge-
meinen Rechten Jura Juſtinianea in Conſtitutionibus Imperii in-
35. telligi negantem, qua in re *Dattii* fere veſtigia preſſit. Tertio
laudati *Kulpiſii* pro obſervantia Legum Germanicarum pugnantis
ratiociniis obviam procedit. Atque hic quidem duo monita non
36. inviti admittimus. Unum eſt, quod licet plures apud *Meichsne-
rum*, *Gylmannum*, *Webnerum*, *Gailium*, *Mynſingerum*, in ſingula-
ribus item Provinciarum Civitatumque ſtatutis leges conſuetudi-
nesque occurrant, quarum natales non alibi rectius quam ex laciniis
illis

illis Veterum Germanicarum Legum repetas, inde tamen harum univerſalem obſervationem minus tuto præſumendam eſſe. Alterum eſt, quod etiamſi Carolinæ & ſequentium Imperatorum Regumque Conſtitutiones nulla lege expreſſa abrogatæ cenſeri queant, iis tamen non-uſum & contrariam per tot Seculorum decurſum conſuetudinem immane quantum derogaſſe; ut proinde eas evolviſſe, ad ſolidiorem rerum patriarum & morum hodienum vigentium cognitionem plurimum quidem faciat, iis tamen ut normæ promiſcue inniti velle, regulis fori noſtri non usquequaque conveniat.

Secunda Sectio Jus Juſtinianeum totum, & ut dicitur, in complexu, ſalvis tamen univerſalibus & particularibus Germaniæ legibus & conſuetudinibus, & qua circumſtantiæ factorum, quas ſupponit, contingere queunt, receptum demonſtrat, quæ ſententia quorumvis eſt ævi noſtri ſaniorum Jure-Conſultorum. Quemadmodum vero inde ultro ſequitur, fundatam eſſe intentionem ejus, qui illud pro ſe adducit, ita Anonymus Sectione tertia difficilem quæſtionem excutit: an, ſi contrariæ ſint Juri Juſtinianeo Veteres Germanorum leges & conſuetudines, Specula item Saxonicum & Suevicum, horum obſervatio docenda ſit? quam contra *Schilterum* aſſerere non dubitat. Equidem ſi de ſolis Carolingorum & inſecutorum Imperatorum Regumque Conſtitutionibus antiquis, quæ apud *Heroldum*, *Pithœum*, *Lindenbrogium*, *Baluzium* aliosque collectæ leguntur, quod magnam partem ſint particulares & ſingulis Provinciis latæ, ageretur, non magnopere refragandum putaremus: de Speculis vero, præſertim Saxonico, eadem temere affirmari nequeunt; neque id conficiunt rationes ab Anonymo in medium allatæ. Quod enim objicit, a nemine hactenus oſtenſum eſſe, ſpeculum Saxonicum Germaniæ mores univerſales complecti, id nec dictum a quoquam fuit, nec probare neceſſitas exigebat: cum ex ipſius *Rebkovii* compilatoris intentione ſatis pateat, illud non niſi ad Palatinatum Saxonicum pertinere. Fuiſſe autem quoad hunc univerſale, vel ex eo clarum ſit, quod opponatur alteri per Palatinatum Rheni Juri univerſali, Alemannico ſcilicet. Land-Recht L. 1 a. 19 Schwebiſch Recht zweiet ſich an nichts anders von Sechſiſchen Rechten / denn an Erb zu nehmen und Urtheil zu ſchelten.

ſchelten. Neque valde moratur, quod privata *Rebkovii* autoritate conſarcinatum ſit, cum illud non ut legem ſcriptam ſed ut conſuetudinarium jus in ſcripturam relatum & communi applauſu corroboratum intueamur: etſi forte in una vel altera Provincia ſucceſſu temporis per conſtitutiones ſtatuum Imperii vel ex toto vel ex parte exulare juſſum ſit. Res eo redit, Jus Juſtinianeum præſumtione quidem legis pollere, & allegantem conſuetudinem contrariam, eandem probare debere, aliter tamen rem ſe habere, ſi conſuetudo ſit notoria, quam in claſſem Speculum Saxonicum, quatenus lex Provincialis, vel ſpecialior Juris Juſtinianei receptio non obſtat, referendum eſſe exiſtimamus. Et hæc monere hac occaſione, pace Autoris, viſum fuit.

LE VITE DEGLI ARCADI ILLUSTRI.

i. e.

VITÆ ARCADUM ILLUSTRIUM A DIVERſis Autoribus ſcriptæ, & ex totius Academiæ decreto publici juris factæ, a JOH. MARIO CRESCIMBENIO, Canonico S. Mariæ Coſmedinenſis & Cuſtode Arcadiæ.

Pars II.

Romæ, ex officina Antonii Roſſi, 1710, 4.
Alph. 1 pl. 17 figg. æn. 12.

CUm de Arcadum celeberrimæ per Italiam Academiæ inſtitutis ſat multa diſſeruerimus Supplement. Tom. III Sect. X pag. 459 ſeqq. & primam quoque præſentis Operis Partem recenſitam dederimus Menſe Septembr. 1711 pag. 434, alteram etiam, poſtquam in manus noſtras incidit, Actis hiſce inſerere, e re duximus. Siſtit hæc duodecim Academicorum fatis jam functorum imagines & fortunam, *Leonardi de Capua*, *Pirrhi Mariæ Gabrielli*, *Gregorii Meſſerii*, *Vincentii a Filicaja*, *Nicolai Mariæ Pallavicini*, *Andreæ Peſchiulli*, *Caroli Cartarii*, *Benedicti Averani*, *Laureti Matthæi*, *Joh. Juſtini Ciampini*, *Dominici Cardinalis Tauruſii* & *Marcelli Severoli*, quorum cum plerorumque apud nos merita & præclare acta ignorentur, non ingratum Lectori fore confidimus, ſi enarrandis illis operam qualemcunque impenderimus. Atque

Atque prima quidem *Leonardi de Capua* inter Arcades *Alceſti Cillenii*, exarata eſt a *Nicolao Aminta*, Neapolitano. Fuit *Leonardus* Bagnoli oppido in Principatu ulteriori Regni Neapolitani anno ſuperioris Seculi ſeptimo decimo in lucem editus. Ubi primam ætatem inter liberales artes tranſegiſſet, Carminum in vernacula lingua non infelix conditor & ingenioſus autorum veterum caſtigator, animum provectioribus annis unice ad naturalis Philoſophiæ & medicæ artis arcana perſcrutanda appulit. Cum pleroſque nimia in *Ariſtotelem*, *Galenum* & *Hippocratem* ſuperſtitione ferri animadverteret, ille excuſſo priſtinæ credulitatis jugo novam apud ſuos philoſophandi rationem iniit, & perlectis magna induſtria *Paracelſi*, *Helmontiorum*, *Carteſii*, *Gaſſendi*, *Hobbeſii*, *Williſii*, *Boylii* aliorumque doctiſſimis obſervationibus, veterum pariter & recentiorum ſyſtemata examinare, & jungendo Medicæ arti profundiorem Matheſeos & Anatomices peritiam, vera a falſis ſecernere inſtituit. Excitaverat eum in finem Parthenopoli, qua in urbe ſedem fortunarum ſuarum fixerat, Academiam *Inveſtigantium*, qui ſtatis temporibus in Palatio *Andreæ Concubleti*, *Marchionis de Arena*, confluentes ea, quæ in Philoſophicis rebusque Medicis obſervaſſent, in commune conferebant. Erant inter Academicos tum temporis *Johannes Alphonſus Borellus*, *Lucas Antonius Porcius*, *Johannes Baptiſta Capuccius*, aliique multi. Primus qui ex his Meditationes ſuas in ſenatu Academicorum expoſitas evulgavit, fuit *Cornelius*, cujus *Progymnasmata Phyſica* Venetiis 1663 typis deſcripta proſtant. Inter ſcripta *Leonardi* principem locum tenet *Parere diviſato in otto ragionamenti, ne' quali partitamente narrandoſi l' origine e il progreſſo della Medicina, chiaramente l' incertezza della medeſima ſi fa manifeſta*; quo libro cum origines artis ſuæ, ſyſtemata varia, errores, incertitudinem liberalius detexiſſet, invidiam usque adeo non timuit, ut hortante *Chriſtina* Sueciæ Regina (cujus cumprimis gratia floruit) A. 1689 alium quoque librum emitteret, quo fallaces medicaminum vires mentitasque operationes excutiebat. Celebratur etiam vita *Andreæ Cantelmi*, Popolitani Ducis, ab eodem nitidiſſime conſcripta & A. 1693 typis impreſſa. Clauſit demum ſupremum diem d. 17 Jun. 1695, ſeptuageſimum ſeptimum ætatis annum agens.

Digitized by Google

Proximus ab hoc eſt *Pirrhus Maria Gabriellus*, ab Arcadibus *Euphiſius Ciitoreus* nuncupatus; cujus memoriam poſteris commendavit *Creſcentius Vaſellus*. Exceperunt naſcentem Senæ d. 1 April. 1643, ſuſtulit Pater *Johannes Gabriellus*, qui ſub auſpiciis Philippi IV Hiſpaniarum Regis plurium annorum ſtipendia in Belgio meruit. Dederat initio urgentibus neceſſariis Jurisprudentiæ nomen, ſed cum mentem philoſophandi libertate captam intra tam anguſtos cancellos detinere non poſſet, vertente anno Medicam artem, non vulgari quidem methodo, quæ ea tempeſtate traditis Galeni & Arabum fere circumſcribebatur, ſed in auxilium vocata ſolidiori Anatomiæ, rei herbariæ, Mechanices & Chymiæ ſcientia excolere ſatius habuit. Anno nonageſimo primo in urbe patria *Academiam Phyſico-Criticam*, ſolvendis Quæſtionibus naturalibus difficilioribus intentam, fundavit, quæ allectis in ſocietatem undique Viris egregia doctrina præſtantibus, tandem in coloniam Arcadum abiit. Ipſe inſtrumentorum Mechanicorum inſignis artifex, Antliam Boylianam multis acceſſionibus locupletavit & correxit, ut nova videri poſſet; ejusdemque ope multa hactenus ignorata detexit, quæ integro Volumine complecti animum induxerat, promiſeratque in Epiſtola ad *Petrum Biringuccium* Comitem A. 1704 Senis exarata, niſi mors, quæ illum d. 19 Decembr. 1705 occupavit, egregios conatus antevertiſſet.

Sequitur vita *Gregorii Meſſerii*, cui nomen inditum eſt *Argei Carconaſii*, literis conſignata a *Cajetano Lombardo*, Neapolitano. Ortus is fuit ignobili Provinciæ Hydruntinæ oppido, *Torre di ſanta*
pag. 49. *Suſanna* dicto, Novembri menſe A. 1636, ut adeo in errore verſentur *Mabillonius* & *Carolus Suſanna*, quorum ille in *Itinere Italico* Brundiſinum, hic in vita *Caroli Buragna* Tarentinum credidit. Literas Græcas, quas ſine Magiſtro didicit, poſtliminio velut Neapoli reſtituit, & ſtipendio regio conductus magna nominis celebritate ibidem docuit. Prodiit ex ejus Schola præter quamplures, qui Italiam hodie nominis ſui fama implent, elegantiſſimus Jurium interpres *Joh. Vincentius Gravina*. Philoſophum in omni vita induit, homo perquam frugalis, qui rariſſime carnibus, ſemper fere fructibus & oleribus veſceretur: ad hæc parciſſimi ſomni, quem ultra ſex horas nunquam educebat. Animus illi fuit contemtor

divitia-

Digitized by Google

divitiarum, qui bona ſua egenis erogaret, & jacturam facultatum ſuarum, *Banco dell Annuntiata* A. 1702 irreparabili totius Regni diſpendio rupto, æquiſſimo animo ferret. Deceſſit d. 19 Febr. 1708 apoplexia tactus, exuviis *Pontani Mauſolæo*, quod vivus optaverat, illatis.

Quarta in ordine nobis ſiſtit *Vincentium Filicajam*, Senatorem Florentinum, *Polibum Emonium* appellatum, cujus deſcriptionem debemus *Thomæ Bonaventuræ*, Florentino. Natus is Florentiæ d. 30 Decembr. 1642 ex nobiliſſima familia, Patre *Braccio Filicaja*, Senatorio Viro, ab eodem Piſas diſcendæ Civilis Prudentiæ cauſa miſſus, omnem fere in Theologiæ, Philoſophiæ & Poetices Latinæ æque ac vernaculæ ſtudiis perficiendis operam abſumſit. Poſt quinquennium ibidem exactum laurea Doctorali ornatus in Patriam rediit, ubi poſt plures annos in literario otio honeſte transactos, demum ob eximias dotes, quæ in eo effulgebant, a Magno Principe in Senatorium ordinem cooptatus eſt. Ex Carminibus ejus illud cumprimis magni fit, quod in laudem Chriſtianorum Heroum cecinit, qui profligatis & ad internecionem cæſis infidelibus, Vindobonam gravi & diuturna obſidione liberarunt. Illud cum initio amicorum manibus tereretur, mox in Magni Ducis adſpectum productum adeo ei ſe probavit, ut ipſis Principibus, quorum præclara facinora complectebatur, transmittendum cenſeret: nec celabant in reſponſoriis ad Principem literis *Leopoldus* & *Carolus* Lo- pag. 70.
tharingiæ Dux, quam ex ejus lectione voluptatem percepiſſent. Dignæ præſertim lectu ſunt Literæ, quas ad *Filicajam* dederunt *Johannes* III Rex Poloniarum & *Chriſtina* Sueciæ Regina admirationis & benevolentiæ Regiæ pleniſſimas, quæ integræ hic leguntur. Italica Poemata ipſo curante prodierunt Florentiæ 1707 & deinde 71 ſeq.
Piſtorii & Bononiæ; Latina, ſi nondum edita, brevi lucem exſpectant. Sublatus e vivis die 24 Septembr. 1707. Exequias iverunt Academiæ *della Cruſca*, *Apatiſtarum* & Arcadum, quarum omnium ornamentum fuit ſingulare.

Quinta exhibet *Nicolaum Mariam Pallavicinum*, Societatis Jeſuiticæ Presbyterum, inter Arcades *Salicium Boreum*, a *Paulo Antonio Appiano*, patria Aſculano & eidem Ordini adſcripto, expoſita. Editus is familia Patricia Genuæ 1621, mature in Collegium Socio-

Digitized by Google

rum Jeſuitarum delatus,ejusque membrum factus A.1638, ſucceſſu temporis magno cum applauſu Theologiam ibidem docuit. Mortuus Romæ d.15 Decembr, 1692 id poſt fata conſecutus eſt, ut in Faſtis Arcadum *Famoſi* encomio mactaretur. Scripſit nonnulla, in quibus plerique ingenium magis, quam limam agnoſcunt. Recenſentur a Biographo illius *Gregorio Tavmaturgo* Rom.1649, cujus vitam valde juvenis compilavit: *le moderne proſperità della chieſa*,Rom.1688, 4,quem librum Leopoldo Imperatori ſacrum voluit: *l'evidente merito della Fede Cattolica ad eſſer creduta per vera*, ibid. 1689,4, *le Grandezze della Madre di Dio*,ib.1690,4,*Conſiderazioni ſopra l' eccellenze di Dio*,ib.1693.4, *l' eterna felicità de Giuſti*,ib.1694,4, *Difeſa del Pontificato Romano & della Chieſa Cattolica* tribus Tomis fol.ibid.1686,*l' introduzione alla difeſa della Providenza Divina*
pag.105. ib.1679, fol. Sed & alia Scriptor noſter commemorat Opera pene ad umbilicum perducta, nondum carceribus ſuis emiſſa.

Sexta eſt *Andreæ Peſchiulli*, cui Arcades proprium fecerunt nomen *Mari Pholæti*, ſtudioſe collecta ab Abbate *Dominico de Angelis*, patria Lucenſi. *Peſchiullus* equidem merito ſuo infelicibus Literatis accenſeri debet, quem iniqua ſors plus ſimplici vice calamitatibus maximis immerſit & ſubmerſit pene. Natales ei dedit Corilianum, non ignobile Provinciæ Salentinæ in Neapolitano Regno oppidum, ultimo Decembris Anno 1601. Magnam gratiam promeruit *Hieronymi Montii* Coriliani Marchionis, quo ad plures abeunte filii *Ferrantis Montii* infelicibus fatis implicitus eſt. Hic enim ex Belgio, in quo militiam ſecutus erat, Neapolin redux factus, dum tumultuantem plebem demulcet, Pro-Regis & Optimatum invidiam ſibi contrahit,&ab iisdem perduellionis reus actus e Sicilia, in quam fuga ſe receperat, retractus, Neapoli in foro ſecuri percutitur. *Peſchiullus*, qui ei a ſecretis & conſiliorum particeps fuerat, quod ſibi etiam inſidias ſtrui deprehenderet, Hidruntinæ navi impoſitus clam Corcyram petiit, inde Venetias delatus *Johanni Franciſco Loredano* innotuit inque deliciis fuit. Sed poſt brevem moram Genuam profectus, *Anfrani Franzonii*,a quo ſingulis menſibus viginti quinque ſcutatorum penſione donabatur, & *Pauli Baſadonnæ*, clariſſimorum Senatorum, inuſitatam liberalitatem expertus eſt. Ille tamen nec hic diutius ſubſiſtendum ratus,
Romam

Digitized by Google

Romam adit, ibidemque Humoriſtarum & Peregrinorum Pariſienſium Acedemiis inſeritur. Neque hic tamen fortunarum ſedem, quam quærebat, invenit, omnibus quidem, inque his ipſo Pontifice Alexandro VII, præclaram ejus eruditionem, & eam, qua pollebat, in Latino & vernaculo ſermone poetandi felicitatem ſuſpicientibus, illo interim cum contumaci egeſtate, familiari & fere epidemico literatorum hominum morbo, conflictante. Adjutus tamen aliquantiſper *Leonis Allatii*, quo familiariter utebatur, munificentia, ab eo moriente legato quinque ſcutatorum in ſingulos menſes honoratus fuit. Obiit demum nonagenarius d. 9 Januar. 1691. Erat in eo inſignis rerum naturalium & Jurisprudentiæ cognitio, quas tamen ut tractaret, nunquam potuit adduci. Græce & Latine doctiſſimus fuit. Latino & vernaculo verſu ita ludebat, ut facile omnes antecelleret, interim Alchymiæ plus, quam fortuna pateretur, addictus. Prodierunt pauca admodum illius Poemata: *lo Specchio de Principi*, Rom. 1668,4, *il Titi*, Genuæ 1648,4, *il Sennacheribbe*, ib. 1657,12, *il Polluce*, ib. 1652. Sed plura longe ſunt Latino & Italico Poemate confecta, quæ lucem nondum adſpexerunt, a Biographo autem ſigillatim recenſentur, ex quibus hæc ſaltem indicaſſe ſufficiat: *de Pamphiliorum Principum ſtemmate* Carmen: *Allatius æger & convaleſcens*, Epiſtola ad *P. Aproſium de Intemelio*; *Diſcorſi Accademici e Orazioni*, *Lettere Storiche*, *Critiche & Philoſophiche*.

Septima ſpectat ad *Carolum Cartarium*, Urbevetanum, Jure-Conſultum clariſſimum, ab Arcadibus *Philemonis Clarii* encomio decoratum, concinnata ab *Antonio Zampierio*. Obtigit noſtro Pater *Julius Cartarius*, celebris JCtus, cujus ſunt *Deciſiones Criminales Fori Archi-Epiſcopalis Mediolanenſis*, Rom. 1676 typis vulgatæ, quique editioribus Eccleſiaſticæ Ditionis muneribus, ſedentibus Paulo V, Gregorio XV & Urbano IIX Pontificibus perfunctus, Senatoria tandem Urbis dignitate decoratus, A. 1633 ætatis 75 obiit. Natus tam illuſtri Patre *Carolus* Bononiæ 1614, ubi legitimæ ſcientiæ ſtadium præeunte *Hieronymo Lampugnano*, qui in Urbe jura interpretabatur, emenſus eſſet, A. 1638 ab Urbano IIX Coadjutor in Præfectura Archivi Apoſtolici, quod in mole Hadriani aſſervatur, *Johanni Baptiſtæ Confalonerio* datus eſt; quo extincto plenam adminiſtra- pag. 133.

Digitized by Google

miniſtrationem obtinuit, etſi ei ſenio confecto, invito & reluctanti ſufficeretur *Raphael Fabrettus*, ætate haud inferior, & qui tum ſeptuageſimum annum jam prætervectus eſſet. Hoc præſtanti munere ornatus A. 1642 poſt mortem *Antonii Cerri* in numerum Advocatorum Conſiſtorialium relatus eſt, quos inter poſt aliquot annorum decurſum Decanatum obtinuit. De dignitate hac, quæ inter præcipuas Aulæ Romanæ habetur, præter ea, quæ a Biographo adducuntur, multa notabilia occurrunt apud *Tiberium Decianum in Apologia ad Alciatum* & *Petrum Franciſcum Roſſium*, cujus ficto ſub nomine *Joſephi Hortenſii* circumfertur *Defenſor redivivus, ſeu de ſacra Conſiſtorialis Aulæ Advocati origine ac munere* tractatio. Habuit *Carolus* ex priori matrimonio filium *Antonium* doctiſſimum & magnæ expectationis Juvenem, qui poſtquam *Prodromum Gentilium*, & *Europæ Gentilitiæ* T. I (ſequentibus prelo quidem paratis, ſed nondum editis) luci expoſuiſſet, inverſo naturæ ordine ante Patrem rebus humanis exemtus eſt Romæ 1685, ætatis anno quarto & trigeſimo. Vivendi finem fecit *Carolus* A. 1697, annum agens octogeſimum quartum. Multa edidit cum ſua, tum aliorum, multa quoque affecta reliquit & inedita. Inter ea,
pag. 138. quæ publica fecit, numeratur *Syllabus Advocatorum Conſiſtorialium* ad Alexandrum VII Pontificem A. 1656, lacinia prolixioris, quod meditabatur, operis, in quo vitam, gentem, fata, jura, prærogativas, Orationes denique in publicis & ſecretioribus Conſeſſibus ab iisdem habitas recenſere deſtinaverat. Sed res intra propoſitum ſubſtitit. Ejusdem porro ſunt *Pallade bambina*, ſive Catalogus rariorum Opuſculorum quas poſſidet Bibliotheca Altieriana, cujus ille curam gerebat: Judicium de Opere *Joh. Laurentii Lucheſini: demonſtrata impiorum inſania*], inſcripto: *Memorie della Citta di Comacchio*, in ſerta *Supplemento Hiſtoriæ Comaclenſis Joh. Franciſci Ferri*, qui notas quoque ſuas adjecit:
141. item *la Roſa d' Oro* A. 1681, quam roſam Pontifex Dom. Lætare ſolemni formula conſecratam Principibus perſonis utriusque ſexus in ſignum gratiæ & memoriam æternæ felicitatis verbis conceptis offerre conſuevit. Inter ἀνέκδοτα referunt Lucubrationes *delle Famiglie Romane, l' Ateneo Romano, de Romana Rota Auditoribus, de Camera Apoſtolicæ Clericis, de alma Urbis Senatore & Hiſtoria Romana*,

mana, *Ephemerides Romanæ Curiæ* ab A. 1642, *Coſmografia Genealogica-Iſtorica dello Stato Eccleſiaſtico*, aliaque.

Subjungitur octavo loco vita *Benedicti Averani*, apud Arcades *Corylei Naſſii*, fœtus *Antonii Mariæ Salviani*, Florentini. Fuit ei natale ſolum Florentia d. 19 Jul. A. 1645, humaniores literas & præſertim Græcas, quas ſine Magiſtro didicit, Piſis docuit. Obiit V. Kalend. Jan. A. 1707.

Excipit hanc *Laurentii Matthæi*, patria Reatini, cui in ſocietate Arcadum nomen *Laurindi Acidonii* ceſſit, vita, quam dedit nobis *Hieronymus Vincentinus*, itidem Reatinus. Primam lucem adſpexit *Reati* clariſſima Umbriæ urbe d. 4 April. A. 1622, denatus ibidem d. 24 Jul. A. 1705. Summis in patria Magiſtratibus functus, erepta uxore, ſacro ordini adſcriptus eſt: perveniſſetque ob inſignia merita ad Epiſcopale faſtigium Salamine, niſi Innocentio XI ſcrupulum moviſſet, ipſum uxoratum quondam fuiſſe. Magnum nomen indeptus eſt ob poeticam facultatem, quam, ut decebat hominem eccleſiaſticum, non ludicris ſed ſacris carminibus impendit. Laudatur illius *Salmiſta Toſcano*, qui aliquoties Maceratæ, Placentiæ, Bononiæ & Vindobonæ, jubente Auguſta Eleonora, quæ impenſius Laureti Cantionibus delectabatur, recuſus prodiit: Ad ejusdem Principis mandatum Canticum Salomonis octo Eclogis vernaculo idiomate compoſitis incluſit. Proſtant etiam illius *Innodia ſacra*, nec non *Teorica del verſo volgare*, & pag. 181. *Pratica di retta Pronunzia*, *con un Problema delle Lingue Latina e Toſcana in Bilancia*, Venet. 1695, 12 in proſa, quo libro artem Poeſeos Italicæ tradere inſtituit. At plura ſunt, quæ aut imperfecta reliquit, aut abſoluta quidem in ſcriniis heredum adhuc deliteſcunt, quæ apud Biographum legi poſſunt. 182.

Pretium operi facit ſummi & vel ex Actis noſtris notiſſimi Viri, *Johannis Juſtini Ciampini*, inter Arcades *Inmonis Orei* nomen ferentis, memoria, quam condigno elogio exornare ſuarum partium eſſe credidit *Vincentius Leonius*. Ortus eſt Romæ d. 13 April. A. 1633, Patre *Antonio Ciampino*, Cive Romano, & *Margaretha* Matre, ex nobili Tagliettorum proſapia deſcendente. Mors patris præmatura puerum vix ephebos egreſſum aliquamdiu ſub cura & oculis conſtituit fratris natu majoris *Petri Ciampini*, a quo

Digitized by Google

in diſciplinam traditus *Petro Gentili*, Proſommiſtæ, & *Franciſco*
Barberino, Cardinali & Eccleſiæ tum temporis Vice-Cancellario a
ſecretis Conſiſtorii,ab eo ſtylum Romanæ Curiæ hauſit, tamque fe-
liciter magiſtri ſui favorem aucupatus eſt, ut ab eo d. 4 Maj. A.
1650 in munere Proſommiſtæ collega adoptaretur. Secretarius
deinde & Minutiſta Brevium ſummi Pontificis creatus, pluribus-
que in Aula Romana Prælaturis auctus, denatus eſt Romæ d. 12 Jul.
A. 1698. Prout ille horas ſubceſivas optimis quibusque artibus
conſecraverat, ita in bonis literis excolendis & juvandis omnem
propemodum ætatem trivit. Conſpicuum eum fecit ſumma re-
rum hiſtoricarum omnis ævi, & antiquitatum ſacrarum pariter &
profanarum profundior cognitio, cui accedebat rerum naturali-
pag.251. um & mechanicarum peritia haud vulgaris. Sunt enim illius
Diſcorſo tenuto da N. N. nell' Academia Fiſicomatematica Romana
in occaſione della Cometa apparſa il meſe d' Agoſto dell anno 1682 &
oſſervazioni ſopra di eſſa fatte in Roma 1682, 4, nec non *Invenzio-*
ni di Tubi ottici, dimoſtrate nell' Academia Fiſicomatematica Ro-
mana l' anno 1686, quas ſub ficto nomine *Caroli Neapolitani*, Rom.
236. 1686, 4, excudi fecit. Idem quoque, cum Innocentius XII Cen-
tumcellenſem portum omnibus nationibus communem facere
decreviſſet, operas ſuas lubens locavit, eumque mediante magni-
fico Trajani aquæductu, quem priſtinæ integritati reſtituit, ſalu-
bribus aquis inſtruxit. Palatium illius patebat omnibus, quicun-
que inter literatos nomen aliquod meruiſſent. Habebat in eo Bi-
bliothecam copioſam & ſelectam, & antiquiſſimis & optimæ notæ
Codicibus manu exaratis refertam. Reliquiarum antiquarum
tantus ubique apparatus, ut pene omnia ædium loca illis replerentur.
tur. Tres Academiæ eidem natales ſuos acceptos ferunt. Prima
fuit *Conciliorum, Canonum, Theologiæ myſticæ, ſcholaſticæ & moralis*,
211. primum aperta d. 30 Jul. 1671, quo ipſo curas *Clementis XI* antever-
tit, qui pridem talem erigere Academiam animo conceperat.
215. Secunda ſub auſpiciis *Chriſtinæ* Sueciæ Reginæ rebus Mathematicis,
Mechanicis, Anatomicis & Philoſophicis intenta, & ab inſtituti
ratione *Phyſico-Mathematica Romana* dicta, primordia cepit anno
1677. Conveniebant Academici initio ſingulis diebus Dominicis,
poſtea calendis cujusvis menſis in palatio *Ciampini*, tamq; fœcunda
doctiſſimis

doctiſſimis fœtibus excludendis Societas hæc fuit, ut Borello *de motu Animalium*, Fabretto *de Aquis & Aquaductibus veteribus Romæ*, aliis de aliis diſſerendi ſcribendique materiis occaſionem ſuppeditaverit. Tertia *Nocturna* fuit, eodem propemodum tempore cum præcedenti nata, Sociis diebus ſingulis, exceptis Mercurii & Sabbathi, in ejus Palatio veſperi congregatis, & de materiis, quæ rem literariam attingunt, conſultantibus. Fuerunt tum ex illorum numero *Laurentius Zaccagnius* Bibliothecæ Vaticanæ cuſtos, *Juſtus Fontaninus, Joh. Vincentius Gravina* & *Carolus Turnonius*, poſtea Cardinalis & a Latere Legatus ad Chinenſium Imperatorem. De ſcriptis, quæ in publicum emiſit, jam dicere nihil attinet; magis e re eſt eorum indiculum pertexuiſſe, quæ parente optimo orba, in hunc diem cum tenebris conflictantur, digna, quæ ultimam licet manum non experta, qualicunque etiam habitu induta in ſcenam prodire jubeantur. Sunt autem *de ſacris profaniſque Calicibus: de ſacris indumentis: de ſacrarum Imaginum uſu: de Terræ motibus: de ſacris profaniſque dypticbis:* Continuatio *Muſei di Medaglie da Martino V ſino al Pontefice Innocenzo XI, deſcritto dal Padre Filippo Odam ſino ad Innocenzo X: Horæ Geniales ſive Conjecturæ Kempenſes: dell' iſtituzione de' Cavalieri dello Speron d' Oro: Sacra Roma legatio Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. D. Joannis Laudi pro Canonizatione S. Laurentii Juſtiniani: de dignitate & præſtantia ſecularis & inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo de Urbe: Sacrarum imaginum A. 1689 repertarum explicatio, cujus occaſione Formoſi Sanctiſſimi Pontificis vita ex variis Autoribus nova methodo eſt concinnata: Lettera a Monſignor Nicolini, col diſtinto ragguaglio de ſucceſſi della ripulſa alla dignità Cardinalizia fatta dagli eminentiſſimi Signori Cardinali Taja e Ricci: Familiaris Epiſtola ad Reverendiſſ. P. D. Benedictum Bacchinum &c. in qua nova quædam philoſophia demonſtratur, cujus occaſione vita & nonnulla præclara geſta regnantis Pontificis Innocentii XII breviter enarrantur: Indices Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum ſacrorum & variorum ex Anaſtaſio Bibliothecario ac aliis Autoribus collecti: Diſcorſo de l'origine della Regalia nel Regno di Francia: Index rerum præcipuarum, quæ in ordine Romano a Cencio Camerario deſcripta indicantur: excerpta Eccleſiarum in partibus infidelium ordine alphabetico: excerpta Eccleſiarum* pag. 219.

Digitized by Google

rum in Indiis orientalibus & occidentalibus ordine alphabetico : Epiſcoporum cœtus ex Proviſionibus a lit. A ad F: Bibliotheca Scriptorum Vitarum Summorum Pontificum & aliorum Antiſtitum. De editis eum vel ex Actis noſtris conſtet, dicere ſuperſedemus.

Undecimum locum occupat *Dominicus Tauruſius*, qui ab Arcadibus *Egerii Daſei* cognomen retulit, cujus memoriam ad poſteros transmiſit *Nicolaus Simonius*, Beneventanus. Natus is ex nobiliſſima apud Urbevetanos gente Ferrariæ d. 28 Jan. 1638, eo tempore, quo pater ejus Auditorem Rotæ ibi agebat. Fuit ex potentiſſimis ſeculi ſui oratoribus, qui in Conſiſtorio Pontificis maxime arduas actiones magna oris facundia & rationum pondere non ſine ſucceſſu tractare conſueviſſet. Cauſas inter oppido multas egit *Joſephi Clementis* Bavari in Electorem Colonienſem evecti, & Marchionis *Cornelii Frangipani* perduellis de non confiscandis bonis ejus extra ditiones Auſtriacas ſitis. Ad Purpuram tandem & Epiſcopatum Ferrarienſem aſſumtus undecimo Regiminis ſui menſe vix inchoato deceſſit 6 Kal. Jan. 1697.

Ultimus ordine, ſed laude haud quaquam poſtremus ſemet nobis offert *Marcellus Severolus*, dictus *Elcinus Chalidius*, vel uno hoc feliciſſimus, quod virtutum ſuarum præconem nactus ſit Virum præſtantiſſimum *Joh. Marium Crescimbenium*. Dedit illi Roma natales A. 1644, mortem attulit dies 12 Decembr. 1707. Maximus ſemper habitus eſt inter ætatis ſuæ Advocatos Conſiſtoriales, ſive eloquentiæ flumen ſpectes, ſive ſelectiſſimarum doctrinarum abundantiam. Invidia tamen æmulorum effecit, quo minus ad eum dignitatum gradum eniti potuerit, quem virtus & eruditio ipſi parabant. Plura ab eo reſponſa compoſita ſunt, quæ apud alios Autores inveniuntur, digna ut in unum Volumen cogerentur.

HISTORIA CHIRURGIÆ ANTIQUA, Autore ANDREA OTTOMARO GOELICKE, Med. D. & in Fridericiana Regia P. P.

Halæ Magdeburgicæ, in officina Rengeriana, 1713, 8.
Alph. $\frac{1}{2}$.

INduſtriam, quam in condenda Medicinæ Hiſt. haud ita pridem collocare cœpit Cl. Gœlicke, ſtrenue continuaturus ad Chirurgiæ

giæ hiſtoriam exponendam ſe nunc confert, poſtquam in præfatione vulgi judicia ſpreverat, ſciolorumque calumnias, quas Hiſtoriæ Anatomiæ occaſione in eum evomuerunt, removerat, ſuumque conatum ſtudioſos Chirurgiæ in Anatomicis & Chirurgicis inſtruendi ab omni ignominia vindicaverat. Placuit autem ipſi univerſam Chirurgices hiſtoriam duabus diſtinctis partibus comprehendere, in quarum priore Scriptores antiqui a primis artis natalibus ad ſeculum usque decimum quintum (rectius decimum ſextum dicendum) incluſive, poſteriore vero recentiores exhibentur. In hac Hiſtoria Chirurgiæ antiquæ, quam jam commendamus, expoſita, quam externa hæc Medicina præ interna habet, ex ipſius antiquitate evidentia, efficacia, neceſſitate & prærogativa, declarataque varia methodo, qua hactenus Scriptores Chirurgiam docuerunt, eandem tractandi rationem ſecutus eſt, qua jam in Hiſtoria Anatomiæ uſus fuit. Promiſcue enim & indifferenter recenſet omnes illos Scriptores, qui vel ſolam organicam vel una cum illa etiam pharmacevtico-medicam Chirurgiæ partem vel artem obſtetriciam, vel vulnerum renuntiatoriam, vel coſmeticen, vel medicinam militarem, vel quicquid demum huc revocari poteſt, pro ingenii ſui modulo pertractarunt; & eo quidem ordine recenſet, ſicuti naturali temporis ſerie ipſi occurrerunt, ſemper tamen inter diverſas rationes neceſſarium ordinem obſervans. Exordium dicendi facit de Chirurgia Arabum atque Ægyptiorum, hinc, cum præſertim omnis medendi peritia ad Græcos tranſierit, ad eorundem Chirurgiam progreditur. Quod vero Hiſtoriam Scriptorum Chirurgicorum recentiorem ſeculi potiſſimum ſuperioris, & in quo nos vivimus, attinet, eam ſeorſim pertractare conſultius duxit, quia majorem materiæ molem hæc ſubminiſtrabit, quam omnia præcedentia ſecula ſimul ſumta.

PROSTASIS AD EXCEPTIONES CL. VARIGNONII Libro de infinitis infinitorum ordinibus oppoſitas circa magnitudinum plusquam-infinitarum WALLISII defenſionem & anguli contactus cum infinite parvo ad centrum oſculantis circuli conſtituto comparationem; Autore D. GUIDONE GRANDI, Camaldulenſi, M. D. He-

truriæ Theologo & Mathematico, in Piſana Univerſitate Phil. Publ. Profeſſore, Regiæ Societatis Sodali.

Piſis, apud Franciſcum Bindum, 1713, 4.

Plag. 5.

EX Actis Anni ſuperioris p. 155 & ſeqq. itemque p. 221 & ſeqq. conſtat, quænam controverſia inter Viros celeberrimos *Varignonium* atque *Grandum* circa ſpatia plusquam infinita *Wallifii* vigeat. Contendit loco citato *Varignonius*, omnem controverſiam eſſe ex illarum genere, quas logomachias appellant eruditi, cum ſpatia *plusquam infinita Grandiana* non eadem ſint, quæ *Wallifiana* a *Varignonio* rejecta. Id vero pernegat Cl. *Grandus* atque adeo diſtinctius eam evolvere conatur. Monet igitur, triplicem diſputationem inſtitui poſſe, nempe 1 an ſpatia plusquam infinita *Wallifiana* ſint mere finita & tantum complementa quædam ſpatiorum ſimpliciter & abſolute infinitorum, ut Cel. *Varignonio* videtur in Actis A. 1712 p. 158 & 159; an vero usque adeo infinita ſint, ut ipſismet ſpatiis hyperbolæ *Apollonianæ* abſolute infinitis ſint infinities majora: 2 an hanc ſpatiorum hyperbolicorum menſuram ex negativis expreſſionibus recte collegerit *Wallifius*, an vero inde potius cum *Varignonio* areas finitas, inverſo duntaxat ſitu ad oppoſitam ordinatæ partem jacentes colligere debuiſſet: 3 an ejusmodi infinitæ magnitudines, quæ aliis abſolute infinitis infinities majores exiſtunt, *plusquam infinitæ* commode vocentur.

Quæſtionem tertiam tanquam indignam, quæ a Mathematicis ſerio agitetur, ſe plane intactam reliquiſſe, nec ab exceptionibus *Varignonii* vindicaſſe fatetur, præſertim cum is ab initio non ſatis diſtincte expoſuiſſet contradictionem, quam ſibi in appellatione *plusquam infiniti* deprehendere videtur. Nunc vero ad ea, quæ apertius eam in rem propoſuit loc. cit. pag. 161, reponit, plusquam infinita *Wallifiana* excedere omne infinitum inferioris gradus, ſed non omne infinitum abſolutum, conſequenter non eſſe (quod *Varignonius* veretur) quiddam plusquam ſua ipſorum definitione comprehenſum, ſed plusquam quod comprehenditur definitione infinitorum ſimpliciter talium. Quare cum ipſe *Varignonius* loc. cit. pag 160 admittat notionem unius infiniti alio infinities majoris tanquam veram ac realem; nullam ſane ap-

ne apparere rationem, cur eam peculiari hoc vocabulo ſignificari permittere nolit. Suſpicatur autem, forte elegantiam linguæ Gallicæ non ferre hanc phraſin, cui Itali jam a vetuſtiſſimis temporibus aſſueverint, cum *Petrus Bembus* Cardinalis in colloquiis ad Aſulum Caſtrum compoſitis ſub initium libri ſecundi eadem uſus fuerit. Suſpicionem auget, quod *Joannes Martinus*, qui juſſu Ducis Aurelianenſis *Bembi* tractatum in ſermonem Gallicum tranſtulit, ſenſum detorquere maluerit, quam voce *plusquam infiniti* uti. Ipſam Cl. *Fontenellii* plusquam infiniti deſcriptionem *Varignonio* pag. 160 probatam nullam in hoc vocabulo contradictionem arguere; ſed id ipſum ſignificare, quod in ſua plusquam infiniti definitione expreſſerit, cum ad amuſſim quadret in infinitum ſuperioris ordinis. Miratur ergo, quod *Varignonius* afferat pag. 156, plusquam infinitum *Grandianum* eſſe diverſum a *Walliſiano*. Aut igitur, inquit, fateri debet *Varignonius*, mancam & imperfectam eſſe ejusmodi deſcriptionem, ſi aliud quidpiam *plusquam infiniti* nomine intelligendum eſſe contendit; aut oſtendere tenetur, in quo diſſideat ab idea *plusquam infiniti* a me propoſita. Explicationem deſcriptionis *Fontenelliana* rejicit, tum quod in hac nusquam exprimatur, *quaslibet* infinitas magnitudines a plusquam infinita ſuperari debere, tum quod ea admitti non poſſe ipſi videatur, niſi *Fontenellium* ſibimet ipſi contradicentem arguere volueris. In voce *inexhauſtionis*, qua utitur *Varignonius* pag. 161, latere æquivocationem arbitratur. Cum enim *infinitum non poſſe exhauriri* dicatur, ſubintelligi debere, *per quotlibet numero finitas qantitatis finitæ exceptiones:* manifeſtum enim eſſe, infinitum utique exhauriri poſſe vel finitum infinities, vel infinitum aliquod aliquoties ſubtrahendo. Ipſo igitur *Priſciano* non diſſentiente, quantitatem aliquam, quæ exhauriri nequeat, aliam abſolute infinitam inferioris ordinis aliquoties ſubtrahendo, *plusquam inexhauribilem*, conſequenter *plusquam infinitam* dici poſſe illius intuitu, quæ per finitæ ſubtractionem finitam exhauriri nequit. Nec *Fontenellium* ab hac appellatione abhorrere poſſe, qui in Hiſt. Academiæ Regiæ A. 1699 p. 94 *edit. Bat.* eclipſin Lunæ totalem cum mora *plusquam totalem* appellaverit. Enimvero merito dubitatur, an Geometra perſpicaciſſimus *Varignonius* odio plusquam Vatiniano (quemadmodum Noſter contendit)

Digitized by Google

tendit) proſequatur *plusquam infiniti* nomen & ob id bellum quoddam grammaticale indixiſſe cenſendus ſit Geometræ merito ſuo in Artem celebri *Wallisio.* Vide Acta A. 1712 pag. 162 & 163. Miſſis itaque, quæ circa vocabulum tam operoſe inculcat R. P. *Grandus*, ad primam quæſtionem digredimur.

Circa hanc vix ullum controverſiæ locum relictum eſſe ſibi perſuadet *Grandus*, cum *Varignonius* ipſe aperte faſſus ſit, pag. 159 loc. cit. arearum hyperbolicarum a *Wallisio* conſideratarum alias eſſe aliis infinities majores. Atque hinc ipſum nimis præfidenter p. 157 ſcribere pronunciat, quod hyperbola *Apolloniana* potiori jure magis infinita dici deberet, quam *Wallisianæ* hyperbolæ, eo quod illa ſpatium utraque ex parte infinitum exhibeat, hæ vero una duntaxat ex parte infinitum, ex alia finitum proferant. Negat autem ex formula *Varignoniana* ita clare varietatem ordinis infinitorum perſpici ac in apodicticis ſuis demonſtrationibus, quia, ſuppoſita x infinita, ejus poteſtas ab exponente $n:(m+n)$ indicata nunquam unam integram dimenſionem præ ſe ferre poſſit. Et fruſtra ſibi perſuadere *Varignonium* ait, ex ejusmodi formulis ſponte profluere infinita ordinis ſuperioris ad illud, quod ſimpliciter & abſolute infinitum unius demenſionis conciperetur: concedit tamen, infinita multa diverſorum ordinum intermediorum inter finitum & infinitum unius dimenſionis hinc proditura. Nec valere exceptionem *Varignonii*, quod altior infinitas unam duntaxat curvarum partem reſpiciat, non vero alteram, quæ finitæ prorſus menſuræ; ipſum enim *Wallisium* in Arithmetica infinitorum prop. 104 & 105 dudum hoc agnoviſſe, adeoque reprehendi non poſſe, quaſi ſpatium ab ipſo pro area plusquam infinita deſignatum ne quidem ſimpliciter infinitum ſit, ſed tantum finitum. Enimvero cum *Varignonius* ex negativa expreſſione colligit, eum ſpatium finitum, quod ab altera parte jacet, non vero infinitum, quod *Wallisius* eadem denotari putavit, deſignare; vix ea ſibi opponi poſſe admiſſurus videtur. Unde merito ad quæſtionem mediam pedem promovet Noſter, an *plusquam infinitatem* ex negativa expreſſione recte inferat *Wallisius*, an potius cum *Varignonio* inferre debuiſſet, eadem indicari areas infinitas ad oppoſitam ordinatæ partem jacentes.

Equi-

Digitized by Google

Equidem hanc ad ſe non pertinere ſub initium fatetur, cum de hoc controverſiæ puncto nihil pronunciare ſit auſus, ſed tantum ſimpliciter indicium negativæ quantitatis a *Walliſio* propoſitum retulerit, exiſtentiam autem ſpatiorum plusquam infinitorum aliunde probaverit, & ſine ratione *Varignonium* jactare, quod non demonſtraverit, quæ ſibi nunquam demonſtranda aſſumſit; monet tamen, ipſum *Walliſium* Oper. Mathem. Tom. II fol. 286 dudum obſervaſſe, expresſionem negativam ſenſu ſuppoſitioni contrario interpretandam eſſe, & jam ante *Varignonium* enodationem myſterii in quantitatibus plusquam infinitis reperti per contrariam poſitionem magnitudinum negativarum dediſſe *Sluſium* in Miſcellan. cap. 5, *Davidem Gregorium* in Exercitat. de dimenſione figurarum, *Gregorium Cheynaum* in Methodo inverſa fluxionum ad probl. 1 poſtſcripti n. 2, *Newtonum* in Analyſi per æquationes infinitas reg. 1 n. 4 aliosque. Concedit nimirum, id fluere ex methodis *Leibnitii* aliorumque Geometrarum; negat tamen iſtiusmodi inverſionem arearum ob negativas expreſſiones admitti in *Walliſiana*. Rationem hanc reddit, quod progreſſus Arithmeticæ infinitorum *Walliſiana* poſtulet, ut diviſo axe figuræ in particulas innumeras ab ipſo *o* arithmetice creſcentes ordinatisqve ad diviſionum puncta ſectionibus figuræ baſi parallelis, quæ creſcant aut decreſcant a vertice juxta rationem aliquam abſciſſarum utcunque multiplicatam aut ſubmultiplicatam, comparando poſtmodum hanc ſeriem ad ſeriem ultimo termino æqualium terminorum, ſemper reſultet ratio unitatis ad indicem, propoſitæ ſeriei unitate auctum. Addit, terminum homologum quantitatis negativæ non eſſe aream hyperbolicam, quam prætendit *Varignonius* invertendam ad parallelogrammum inſcriptum, quemadmodum jam in libro ſuo de infinitis ordinibus infinitorum pag. 86 oſtenderit. Satis autem ſe mirari non poſſe fatetur, qui absque novæ analyſeos principiis latentem in altioris gradus hyperbolis altioris etiam infinitatis gradum ſubodorari & ex negativa illa expreſſione plusquam infiniti exiſtentiam deducere regulamque generalem in ſchol. prop. 101 dare potuerit *Walliſius*, quam nullius falſitatis convincere posſit *Varignonius*. Minime vero hinc conſequi abſurdum, quod ob $1:-1=-1:1$ ratio majoris inæqualitatis æqualis ſit rationi mino-

Digitized by Google

ris inæqualitatis, uno alteroque exemplo docere conatur. Si enim ponamus, 10 libras Florentiæ æquivalere 81 libris alterius civitatis puta Madriti, veram eſſe hanc analogiam: ut decem libræ Florentiæ ad novem libras Madriti, ita reciproce novem libræ Madriti ad decem libras Florentiæ, quia factum extremorum, hoc eſt, 100 libræ Florentinæ, æquatur facto mediorum, ſcilicet 81 libris Madritenſibus, ex hypotheſi. Non tamen hinc conſequi, rationem majoris inæqualitatis 10 ad 9 æqualem eſſe rationi minoris inæqualitatis 9 ad 10: nam in prima ratione terminos comparari ſecundum multitudinem librarum, in altera ſecundum pondus, adeoque utramque eſſe majoris inæqualitatis.

Quod alteram attinet controverſiam de æqualitate anguli contactus & infinite parvi ad centrum circuli oſculantis (de qua vide Acta Anni ſuperioris p. 163 & ſeqq.); concedit equidem R. P. *Grandus* circulum & forma & magnitudine æquivalere polygono infinitorum laterum; ſed negat, hanc æquivalentiam usque ad angulorum iſtorum æqualitatem extendi debere. In comparatione nimirum angulorum infinite parvorum *NTF*, *NTG* & *NCT* non licere linearum *NT*, *FT* & *GT* ſitum confundere & alteram pro altera ſurrogare, quia cum *NC*, *CF* & *CG* proportionales ſint, etiam earum differentiæ *NF* & *FG* iisdem *CF* & *CG* aut *NT* & *GT* proportionales exiſtunt. Angulum contactus nunquam angulo centrali æquari, porro ex *Wallisii* defenſione Tractatus de angulo contactus c. 2 ſtabilit.




Fig. 1.

Nec neceſſarium judicat cum *Varignonio* comminiſci portentum (quod vocat) trium tangentium ad idem circuli punctum, a quo abhorreat, ipſo judice, etiam methodus infiniteſimalis nullis paradoxis indigens, quæ communi Geometrarum methodo repugnent. Neque etiam diverſitatem ſe agnoſcere fatetur, quæ inter circulum ubique curvum & inter circulum infinitilaterum intercedat; ſed ſemper arbitratum eſſe, unam eandemque figuram hisce vocibus ſignificari. Sed ut *Varignonio* ſatisfacturus

rus

Digitized by Google

rius exemplo aliquo oſtendat, fallere hypotheſin *Varignonianam*, ubi de abſolutis quantitatibus determinandis agitur; tale profert.




Fig.2.

Sit, inquit, *PM* altitudo, per quam,, grave decidens ſibi eam velocita-,, tem acquireret, qua ſupponitur,, deſcribere circulum *GMN*, aut,, aliam curvam, quam hic circulus,, oſculatur in puncto *M*. Itaque in,, latuſculo *GM* polygoni infiniti-,, lateri, ſub cujus forma circulus,, ille concipitur, ultra perimetrum,, curvum directe producto, ſuma-,, tur *MO* dupla *PM* & centro *M*,, radio *MN* contigui latuſculi de-,, ſcribatur arcus circuli *NL*, ac jungantur ad centrum radii *MC*, *CN*.,, Quoniam ergo *MCN* evadit ſimile triangulum ipſi *NML*, poſito,, $MC = r$ & $MN = dx$, fiet $NL = dx^2 : r$. Sit inſuper $PM = a$;,, adeoque $MO = 2a$; erit tempus deſcenſus per *PM* = tempori mo-,, tus æquabilis per *MO*, eadem velocitate per deſcenſum ex dicta al-,, titudine concepta. Sed tempus per *MO* ad tempus per *ML* erit in,, ratione ſpatiorum $2a : dx$. Ergo & tempus per *PM* ad tempus per,, *ML* ſive ad illud per *LN* (quod tranſigitur interim a vi centripeta,, retrahente mobile ex directione *ML* in aliam *MN*, dum circulum,, deſcribit, vel quod percurreretur a vi centrifuga, ſi mobile, quod,, circuit, ſibi relictum, pro curva *MN*, tangentem *ML* deſcriberet,, ex puncto *N* ad *L* interim aſſurgendo) erit in ratione $2a : dx$, quo-,, rum temporum duplicata ratio nempe $4a^2 : dx^2$ erit (ex theoria,, deſcenſus gravium) eadem ac ratio ſpatiorum interim a gravita-,, te tranſmiſſorum. Quare ſi primo tempore peractum ſpatium,, erat *PM* ſive *a*, tempore infinite parvo (quo vis centrifuga move-,, ret per *NL*) fieret vi gravitatis ſpatium $dx^2 : 4a$ & ideo vis centri-,, fuga ad vim gravitatis cum ſit in ratione ſpatiorum iisdem infini,, te parvis temporibus ab initio motus tranſmiſſorum, erit ut *NL*,, id eſt (ex hypotheſi *Varignonii*) $dx : r$ ad $dx^2 : 4a$, nempe ut $4a$,, ad r, ſive ut a ad $\frac{1}{4} r$: id quod eſt contra *Hugenium*, *Hoſpitalium*,, & alios demonſtrantes, vim centrifugam eſſe ad vim gravitatis,,

 ut

ut *a* ad $\frac{1}{2}r$. Hinc adeo manifeſtum videtur *Grando* fallere hypotheſin *Varignonii* de æqualitate anguli contactus & anguli infinite parvi ad centrum circuli oſculantis. Etſi adeo radii circulorum oſculantium per eam optime determinentur, non tamen ideo in omni caſu legitimam eſſe. Fallacem enim inveniri, quoties latuſculum *GM* productum *pro una tangente curvæ* accipitur; locum vero eidem eſſe, quoties nihil referat, an illud latus habeat tangentis poſitionem, an duntaxat eidem infinite proximam, ita ut potius ſecantis infinite parvæ ſpeciem ſubeat. Nec ſibi in animo fuiſſe eam generatim culpare; ſed tantum monere tyrones, ne cum *Varignonio* verum angelum contactus indiſcriminatim pro angulo infinite parvo ad centrum conſtituto acciperent. Ceterum confidit fore, ut *Varignonius*, cujus non ultimum admiratorem ſe profitetur, in his acquieſcat & operam ſuam utilioribus veritatibus detegendis addicat, nec ab aliis ſpeculationibus, quas præ manibus habet, perficiendis revocetur.

LETTERA SCRITTA A SU' ECCELLENZA IL Sig. BERNARDO TREVISANO Nobil. Patrizio Veneto, da ALESSANDRO MARCHETTI, Publico Profeſſore delle Scienze Matematiche nella Celebre Univerſità di Piſa &c.

i. e.

ALEXANDRI MARCHETTI, IN PISANO Lycæo Publ. Mathematum Profeſſoris, Epiſtola ad Per-Illuſtrem BERNARDUM TREVISANUM, Patritium Venetum, qua verum eſſe oſtenditur, quod P. Mag. D. GUIDO GRANDUS in ſecunda libri editione de Quadratura Circuli & Hyperbolæ dictiones Inſtantiæ & Reſponſionis mutaſſe, quas ut ex Manuſcripto prædicti libri ſui, cum prima vice imprimeretur, deleret, hortatus ipſum ſit MARCHETTUS, pro ratione muneris ſui Cenſoris S. Officii, promittiturque ſolide confutatum iri, quicquid contra eundem MARCHETTUM ab ipſo ſcriptum ſit in reſponſione ſua Apologetica &c.

Piſis

Digitized by Google

Piſis, apud Franciſcum Bindi, 1713, 4.
Plag. 1.

HÆc Cl. Marchetti epiſtola operi cuidam Cl. P. Grandi recens edito in anteceſſum oppoſita donec ampliorem, quam promittit, ejusdem confutationem compleverit, tota oſtendit, ut Lectori perſuadeat, verum eſſe id quod pag. 14 prioris epiſtolæ ſcripſerat; dictiones ſcilicet, quibus P. Grandus objectionem aliquam circa infinitas cifras numerum producentes, ſibi ipſi motam, cum prima vice tractatus ejus de *Quadratura Circuli & Hyperbolæ* imprimendus eſſet, expreſſerat & quam objectionem una cum reſponſione ejusdem Grandi pro munere ſuo cenſoris S. Officii ſupprimere hortatus ſit Marchettus, quamque reapſe ſuppreſſerit Grandus, prorſus diverſas eſſe ab illis dictionibus, quibus Grandus eandem objectionem cum reſponſione in ſecunda ejusdem de *Quadratura Circuli & Hyperbolæ* editione propoſuerit. Pollicetur inſuper Marchettus, ſe non ſolum ad ſingula Grandiani ſcripti capita ſigillatim eſſe reſponſurum, omnesque falſas eſſe propoſitiones oſtenſurum, quibus Grandus opus ipſius de *Reſiſtentia Solidorum* carpere tentaverit, ſed etiam Grandum ipſum manifeſtiſſimos errores commiſiſſe.

NOVA ANALYSIS PLANO-GEOMETRICA ex ſolo calculo detecta & expedita a FERDINANDO ERNESTO Comite ab HERBERSTEIN.

MEthodus, quam Geometris hoc Schediasmate propono, nova eſt, atque ab illa diſtincta, quam Hugo de Omerique ſub finem ſeculi præteriti Gadibus publicavit. Quanquam enim negari non debeat, inſignem hunc Analyſtam Geometriæ præclaris adminiculis opem tuliſſe non contemnendam; in propatulo tamen eſt, illum arrepta occaſione ex ſolutionibus Problematum via Analyſeos ordinariæ expeditis, ad ſyntheſin ſe convertiſſe, atque inde contigiſſe, quod ſuperata tandem difficultate in concinnas brevesque Problematum ſelectorum conſtructiones, earundemque demonſtrationes feliciter inciderit. Analyſin manuducere ad ſyntheſin, nemo Geometra hactenus dubitaverat: at rationum compoſitarum aliarumque difficultatum ſcopulos, qui Jaſonio remige erant ſuperandi, horrebant ad unum omnes. Deſiderabatur


ſcilicet Analyſis, quæ neglectis ejuscemodi ſyrtibus, facili ductu Geometris ad ſyntheſin aditum patefaceret: quo in conatu an ſcopum attigerit noſtra hæc methodus, an ſecus, ex gemino ſubjecto paradigmate, quorum primum *lib. 3 prop. 2 Analyſeos Geometricæ* ſolvit laudatus Hugo, ſententiam ferant acutiſſimi almæ Geometriæ Cultores. Secundi problematis duplicem concinnavi Analyſin; ut ex earum poſteriori eluceſcat, quantum nova hæc methodus conferat ad plures incognitas facili negotio extirpandas. Sit itaque

Problema I.

Datam rectam in duas partes ſecare, quarum quadrata æqualia ſint dato plano.

Analyſis Hugonis.

Fig. 1.



Eſto data AB dividenda in X, ut quadrata $AXXB$ æqualia ſint quadrato datæ PQ. biſecetur AB in M.

ſint igitur $axa + xbx = pqp$

ſed p.9 2di El. $axa + xbx = 2ama + 2mxm$

Ergo $2ama + 2mxm = pqp$

& dividendo $ama + mxm = \frac{1}{2} pqp$ Ergo ſolutum.

Ulterius enim progredi non licet, cum quantitas ignota mxm æquari poſſit quantitati cognitæ. Unde problematis conſtructio patet, & etiam determinatio. Nam ſi a dimidio quadrati pq auferri non poſſit quadratum am, problema erit impoſſibile.

Analyſis nova.

Sit recta $AB = a$, $PQ = b$ $AX = x$ ergo $XB = a - x$

$$a^2 : b^2 = a^2 : a^2 + 2x^2 - 2ax$$


$$a^2 : a^2 - b^2 = \frac{a^2}{2} : ax - x^2$$ Ergo ſolutum.

Patet igitur exceſſum, quo quadratum datæ rectæ AB ſuperat quadratum rectæ PQ, eſſe duplum quadrati æqualis rectangulo ſub ſegmentis AX & XB.

Pro-

Problema II.

Fig. 2.



Datis perpendiculo *BD*, & ratione quadrati ſegmenti *AD* ad quadratum baſis *AC*, conſtruere Triangulum rectangulum.

Eſto $BD = p$, ratio data $= m : n$, $AC = x$, $AD = y$, $BC = z$ $AB = \sqrt{x^2 - z^2}$

Analyſis I.

$m : n = y^2 : x^2$

fiat $m : n = p^2 : q^2$

$p^2 : q^2 = y^2 : x^2$

$p : q = y : x$

$q - p : p = x - y : y$

$q - p : p = xy - y^2 : y^2$

$xy - y^2 = p^2$

$q - p : p = p^2 : y^2$ Ergo ſolutum.

Anal. II.

$m : n = y^2 : x^2$

$x : \sqrt{x^2 - z^2} = z : p$

$x^2 : x^2 - z^2 = z^2 : p^2$

$x^2 : xy = z^2 : p^2$

$x : y = z^2 : p^2$

Eſto $p : z = z : \omega$

Ergo $p\omega = z^2$

$x : y = p\omega : p^2$

$x : y = \omega : p$

$x^2 : y^2 = \omega^2 : p^2$

$x^2 : y^2 = n : m$

$m : n = p^2 : \omega^2$ Ergo ſolutum.

JOANNIS HENRICI ACKERI COMMENTArius de Vita ac fatis ſummi JCti GEORGII FRANTZKII.

Rudol-

Digitized by Google

Rudolſtadii, literis Henrici Urbani, 1713, 4.
Plag. 11.

AUtor ſcriptis hactenus pluribus editis clariſſimus, optimi Præceptoris ſui memoriam renovaturus, vitam ejus ſtylo perelegantí ac jucundo eademque methodo conſignare inſtituit, qua J. Lipſius vitam expoſuit L. Annæi Senecæ. Nos ſtrictim illius legemus veſtigia. Natus fuit Frantzkius Leobſchützii in Ducatu Jægerndorfenſi A. 1594 d. 15 April. patre Georgio mercatore & matre Margaretha Reimannia. Hinc adoleſcens ut ab aliis ita imprimis a Jacobo Schickfuſio, gymnaſii Brigani Rectore, probe literis imbutus, A. 1612 in Francofurtanum ad Oderam & anno ſequenti in Regiomontanum Athenæum profectus eſt, & triennio fere humanioribus literis, poeſi imprimis & eloquentia, excolendis abſoluto, ad juriſprudentiam, a qua pene abhorrebat, Conſult. Wegneri conſilio ſe contulit, nec in compendiis hæſit, ſed ipſos veteris juriſprudentiæ theſauros evolvit. Jenenſem deinde Academiam petiit, ubi in numerum Candidatorum receptus, in ſtudio philoſophico, hiſtorico, & theoria juris ſtudioſæ juventuti ſedulus prævivit, & poſtea dignitatis Academicæ inſignia eodem, quo matrimonium cum nobiliſſima Virgine, Anna Maria Wexia, Cancellarii Altenburgenſis filia, contraxit, die ibidem accepit, quo honore ornatus, ad obeundum in patria Syndici munus non aſpernandis quidem conditionibus eſt vocatus, aſt tenerrimo tamen vitæ Academicæ amore ductus, curiæ provincialis advocatis adjungi Jenæ maluit, donec Rudolſtadii Conſiliarii ſplendidiſſimi munia obiret, atque inſimul Comitibus Schwartzburgicis operam ſuam per complures annos fideliter commodaret. Tandem in aula Vinarienſi Sereniſſimis fratribus, Wilhelmo, Alberto, Erneſto, & Bernhardo, fuit a conſiliis, & poſt diviſas ſingulari fato terras in aula Erneſti Pii ſummam tribunalis Politici & Eccleſiaſtici curam geſſit, ac præterea ab invictiſſimo Imperatore Ferdinando III Comitis Palatini dignitatem, acceptis ſine ullo ſumtu codicillis, obtinuit. In conciliandis Principibus fuit utique feliciſſimus, Scholarumque decus ſimul commendatiſſimum ſibi habuit. Ceterum ſcripta varia, ut commentarium in 4 libros Inſtitutionum, commentarium in viginti & unum libros Pandectarum juris civilis, varias item Reſolutiones

ſolutiones

Digitized by Google

ſolutiones juris, tractatum de laudemiis, exercitationes juridicas, reſolutionem famoſiſſimæ legis *Gallus*; diſputationes de conſtitutionibus Principis, de obligationibus in genere &c. poemata, epiſtolas, & orationes reliquit, demumque ἄτεκνος anno 1659 d. 15 Jan. hora matutina ſeptima tumore hydropico correptus, diem ſupremum obiit. Hæc paucis per compendium recenſere lubuit, omiſſis, quæ paſſim non injucunde inſperguntur, ſingularibus vitæ fatis. Illud unum adhuc monemus, in eo eſſe nunc doctiſſimum Autorem, qui ſemper aliquid parit eximium, ut Galeni libellum de affectibus edat, cui exornando Notas manu ſcriptas e Bibliotheca ſua inſtructiſſima communicavit Vir Celeb. Godofredus Thomaſius.

שלימות הכתוב מסופקת

i. e.

SINCERITAS SCRIPTURÆ V. T. PRÆVALENTE Keri vacillans. Præmiſſa, ad explorandos eruditorum animos, mox ſecuturæ ſinceritati Scripturæ V. T. Maſora throno θεοπνευςίας mota, triumphanti, a JOH. ANDR. DANZIO, S. S. Th. D. ejusque & Sacrar. ac Oriental. Lingu. P. P. Ord. Facult. Phil. Sen. & h. t. Decano.

Jenæ, ſumpt. Joh. Felicis Bielkii, 1713, 4.

Plag. 16.

Ex quo tempore literæ Hebrææ profligatis tenebris renatæ, & ſacer codex admirando Eccleſiæ Chriſtianæ lumine lectus eſt, quæſtio de variantibus lectionibus moveri cœpit, in codicibus Hebræorum inventis, & Keri & Kethib vocatis. Quidam, qui p. 95. utramque lectionem bonum ſenſum exhibere obſervarunt, utrumque interpretatione exprimendum eſſe exiſtimarunt. Alii prævidentes duos illos ſenſus ſibi frequenter eſſe contrarios, maxime ſi לך & לא occurrat, alteram tantum retinuerunt lectionem, altera rejecta, ſive hæc Keri ſive Kethib fuerit. Alii denique imprimis 86 & 92. Judæi Keri marginale præferunt ſemper τῷ Kethib, quod vitio laborare exiſtimant. Cl. vero Danzius, cujus de Hebræa literatura me-

 rita

rita Orbis eruditus celebrat, ſententiam novam amplexus eſt, quæ
Kethib ubique præfert τῷ Keri, prolixe demonſtraturus, ſenſum,
quem Kethib fundit, certiorem eſſe altero, qui ex Keri hauritur, ea
nixus ratione, quod Keri Maſorethis adſcribendum, quorum au-
toritatem divinam, quibusdam perſuaſam, non agnoſcit. An-
tequam itaque librum edat, in quo ſenſum τῦ Kethib per totum
codicem conſtantem fuſius aſſerat, prodromum edidit, in quo do-
pag.7. cet ſinceritatem Scripturæ vacillare, ſi Keri prævaleat. Videamus,
quomodo ſententiam ſuam proponat. Supponit ante omnia θεο-
13. πνευςίαν Codicis Hebræi, quam conſenſu Chriſtianorum & Judæ-
orum ex Miſchna, Gemara, Rabboth, & Abarbanele, qui alias Jere-
26. miæ errores in dicendo tribuit, defendit. Deinde removet ver-
ſiones imprimis LXX quibus θεοπνευςίαν denegat, ut & Pentateu-
chum Samaritanum, quem turpiter corruptum & Chriſto & Pro-
38. phetis contrarium eſſe affirmat. Porro Cl. Vir Scripturam *non*
ſolum infallibilem in rebus ſed & accuratam in locutione, ab omni
41. ſolœciſmo immunem nec ambiguitati ſtudio conceptæ obnoxiam
eſſe aſſerit, & tam antiquos, quam recentiores Scripturæ hoſtes,
Manaſſem, Achaſum, Antiochum Epiphanem, Julianum Apoſta-
tam, Muhammedem, Atheos, Naturaliſtas, Spinozam, Pontifici-
os, Joh. Morinum, R. Simonium, Lud. Capellum &c. rejicit.
48. Imprimis Bellarminum & Maraccium notat, qui ex Keri & Kethib
63. corruptionem textus originalis inferunt, amanuenſium erratis ad-
ſcribendam, ad quam removendam Proteſtantes timide reſpondiſſe
exiſtimat. Pleroſque enim Lutheranos ſtatuiſſe dicit, in textu quas-
dam voces eſſe mendoſe ſcriptas, ſed in margine emendatas, uti ex
Fabric. Partit. Cod. c. III & Glaſſ. Phil. P. I. n. 2 conſtat, quos tamen
excuſat, quod ab aliis præoccupati de omnium locorum conſerva-
tione deſperaverint. Sic neque Reformatos negare aſſerit, errata
quædam & ſphalmata in textum Hebræum irrepſiſſe vel injuria tem-
porum, vel librariorum incuria. Quo vero admiſſo neque Athe-
orum inſultui, nec Pontificiorum, Capelli & Simonii conatui, ne-
que Spinozæ protervíæ ſatisfieri putat. His rationibus motus
eſt Clar. Danzius, ut inquireret in Kethib, cogniturus, num vere
in eo ſphalmata invenirentur; omnibus vero examinatis locis, in
quibus Kethib & Keri reperitur, obſervavit, nullum in ullo Kethib

errorem

Digitized by Google

errorem occurrere, ſed ſenſum ubique ſalvum eſſe, ſi interpres ſepoſito Keri literas rite examinet. Quam ſententiam ex parte confitentur plures noſtratium, Waſmuth, Laur. Fabric. Pfeifferus, Quenſtedt, Lutherus, Majus, Hardtius, aliique plures. Hoc itaque negotii Cl. Vir in Maſora throno mota in ſe ſuſcepit, ut omnia codicis loca, in quibus Keri & Kethib occurrit, examinet, vocesque Kethib appellatas, & hactenus ab interpretibus plerumque neglectas, reſtituat, ſenſumque contextui conformem oſtendat. pag. 75.
Hæc ut rectius intelligantur, obſervandum, Cl. Danzium ſupponere, fuiſſe olim autores Esdra ejusque ſociis recentiores, qui ſuis rationibus moti voces aliquot in codice Hebræo poſitas in alias voces mutare auſi ſint. Hos Cl. Vir Maſorethas appellat, quorum gloſſemata, nobis Keria appellata, throno movere ſtudet, quippe quæ nemo, niſi inſcius & invitus in θεοπνευςίας throno collocavit. 85.
Hactenus plerisque ea inſedit opinio, Keri & Kethib duas eſſe diverſas lectiones, ex quibus illa in interpretatione præferenda, quæ antiquarum verſionum LXX Chaldæi & Vulgati autoritate, & ſenſus evidentia probatur. In hanc ſententiam illi imprimis conceſſerunt, qui ſuppoſuerunt, Keria ſeu lectiones marginales vel ex quodam antiquo ſed privato codice, vel ex recepta antiquorum lectione eſſe collectas, margini adſcriptas, & ad poſteros propagatas. Kethiba vero eſſe lectiones in codice publico & non punctato inventas, ſed ob librariorum incuriam aut temporum injuriam antiquiſſimis Judæis ſuſpectas viſas, adeoque in alias voces mutatas. Quæ ſententia interpretibus libertatem concedit eam eligendi lectionem, quam criticæ regulæ approbant, ex quo ſequitur, quandoque Keri, quandoque Kethib in mendo jacere, ſalva tamen Scripturæ integritate. Quæ aliorum ſententia Cl. 87.
Viro non placet, qui potius aſſerit Kethiba omnia recte ſe habere, & divinitus inſpirata eſſe, Keria vero omnia tantum eſſe interpretationes, ab hominibus inventas, adeoque in criticorum ſubſellia collocandas. Ne vero quis putet, ſententiam, quæ lectiones Keri cum punctis ſuis rejicit, & in earum locum lectiones Kethib reſtituit, punctorum vocalium veritatem deſtruere; neutiquam. Contrariam Cl. Viri mentem pag. 87 legimus, ubi ſupponit, Esdram, qui codici Hebræo vocales addidit, eas etiam vocibus Kethiba dictis

Digitized by Google

genuinas ſubjeciſſe. Deinde ſucceſſiſſe viros pios & religioſos, qui interpretationis gratia Keri cum ſuis vocalibus adjecerunt margini. Porro placuiſſe maxime hunc explicandi modum ſeu potius accommodatam emendationem omnibus Judæis, ut vocales ex Keriis ſeu vocibus marginalibus ipſi textui inferrent, & vocibus Kethibis ſubjicerent, ablatis punctis ab Esdra ſubjectis, quæ quivis linguæ gnarus facile reſtituit. Tandem ſecutos eſſe librarios, qui ignorarunt ejusmodi Keria eſſe tantum interpretationes, ſed exiſtimarunt eas exhibere verum Scripturæ ſenſum, qui ideo commodioris lectionis gratia etiam literas Keriorum ex margine in textum ipſum retulerunt, rejectis in marginem literis Kethiborum. Unde factum, ut non ſolum in quibusdam codicibus Keri in textu & Kethib in margine legatur, ſed etiam verſiones antiquæ, quarum autores in hujusmodi codices inciderant, Keria haud raro expreſſerint. Nulli dubitamus Max. Rev. Danzii labores interpretibus fore gratiſſimos & utiliſſimos, ex iis enim cognoſcemus, quomodo Kethiba non omnibus perſpicua legenda ſint, & quem ſenſum referant: ſperamus etiam eum caute proceſſurum, nec omnia Keria promiſcue rejecturum, nota enim eſt regula, ſecundum quam Maſoretæ quasdam voces ſcriptas conſtituerunt, patet illa ex Tract. Sopherim fol. 44 col. 3, ubi fatentur, ſe duorum codicum lectionem retinuiſſe, & alteram unius codicis rejeciſſe, quæ regula facillime in errores ducit. Quod ſi ſecundum eandem regulam Kethiba conſtituerunt, merito ſuſpecta haberentur. Kethiba quoque a Talmudiſtis allegantur, quæ in codice non comparent, v.g. ex Pſ. XCV, 5 ירדן pro ודיו vide Jalk. Sim. Part. II fol. 52 a. Sic עיני pro עינו Zach. II, 12 vid. Rabboth fol. 128, 4. Sed hæc levioris momenti ſunt. Certum vero eſt, quasdam utique voces in quibusdam codicibus in textu ſcribi, quæ in aliis in margine leguntur, & Keriis annumerantur, uti ex lectionibus oriental. & occidentalium & collatione antiquorum codicum conſtat. Ex quo colligitur, in codice LXX Kethiba fuiſſe, quæ hodie in margine legimus. Uti vero non omnia Keria improbamus, ſic plurima, maxime recentiora, nec antiquis interpretibus LXX Chald. Vulgato probata removenda putamus, Scripturæ integritatem non tantum in Kethibis, ſed quandoque in hodiernis Keriis conſervatam eſſe exiſtimantes.

Digitized by Google

ספר זה ינחמנו חלק ראשון והוא מדרש המכילתא וגו׳

h. e.

LIBER SEH JENACHAMENU, PARS PRIMA, quæ continet allegoricam explicationem Mechilta, quam compoſuit Vir divinus R. ISMAEL, qui tempore R. AKIBA ingreſſus eſt Paradiſum. Cum commentario R. MOSIS Fil. R. ZEBI.

Amſtelodami, anno ſupp. min 472 h. e. anno Chriſti 1712, fol. Alph. 1 pl. 10.

NOvam editionem antiquiſſimi commentarii Mechiltæ procuravit R. Moſes Halberſtadienſis, commentario illuſtratam. Rarus erat liber, & Venetiis apud Danielem Bombergum anno 305 h. e. anno Chr. 1545, & anno 280 vel Chr. 1520 Conſtantinopoli excuſus, una cum duobus aliis ejusdem antiquitatis libris Siphra & Siphre, qui in hac nova editione non comparent, fortaſſe tamen proxime ſequentur, quia in titulo promiſſi. In lectione obſervavimus, Autorem libri frequenter allegare loca Scripturæ aliis verbis, quam in hodierno codice leguntur v. g. fol. 26 col. a loco: tunc locutus eſt Joſua ad Dominum ליהוה, legitur in Mechilta: tunc locutus eſt Joſua in facie Domini, לפני יהוה. Sic 2 Paral. XX, 21 בצאת legitur בצאתי & loco ואמרים legitur אמר &c. quæ docent, hæc aliaque hujus generis ex memoria & ſenſu eſſe allegata, ipſo codice non inſpecto, quod etiam a Patribus factum alii obſervarunt. De Autore Mechiltæ diſſentiunt Judæi. Nam R. Abrah Ben Dior in Kabbala aſſerit R. Chijam, R. Hoſchajam & R. Simeonem Fil. R. ſcripſiſſe Mechiltoth; Autor vero Zeda ladarech in præfat. dixit Rab compoſuiſſe Mechiltam. Plerique ſequuntur Autorem Schalſcheleth Hakkabala, qui R. Iſmaelem commentarium allegoricum in Exod. ſcripſiſſe teſtatur.

VOYAGE DU TOUR DE LA FRANCE.

h. e.

DESCRIPTIO ITINERIS PER GALLIAM;

 Autore

Digitized by Google

Autore HENRICO de ROUVIERE, in curia Pariſina Conſiliario Regio, & Pharmacopola ordinario.

Pariſiis, apud Steph. Ganeau, 12 maj
Alph. 1 pl. 10.

AUtor hujus itineris in Mathematicis, Medicis & Chymicis verſatiſſimus jam anno 1708 ediderat Tractatum lingua vernacula conſcriptum: *Reflexions ſur la fermentation, & ſur la nature du Feu; fondées ſur des Experiences nouvelles.* In horto vero Pharmacopolarum Pariſino curſum chymicum magna cum omnium admiratione confecit, omnes quippe operationes feliciter producens, explicans, & ad ſingulas objectiones exactiſſime reſpondens. Is A. 1703 & ſequenti per præcipuas Galliæ provincias iter ſuſcepit, ejusque rationem parenti miſſis literis reddidit. Has ipſe quoque poſtea relegit, & prælo jamjam paravit, morte vero præventus eam ſpartam Vallemontio reliquit. Deſcribuntur vero in his Epiſtolis pleraque ſuccincte, quæ in itinere poſſunt ab erudito obſervari, ita tamen, ut multa jam ab aliis quoque memorata heic videas. Nos ergo miſſis aliis judicia quædam de eruditis viris prolata proferemus, tum phyſica, curioſa & miſcella quædam memorabimus.

pag. 60. Kœnigius Baſileenſis Medicus a vaſta eruditione & ſtupenda memoria commendatur, ut qui vere Chronicon aliquod ſuperiorum temporum nominari queat. In chymicis magna ejus laus eſt, ob quam etiam ſub Avicennæ nomine in Collegium Naturæ Curioſorum cooptatus eſt. De Jo. Jac. Hoffmanno, Lexici Univerſalis autore, mira ſunt, quæ referuntur, ſed a nobis jam non memoranda. Genevæ celebratur Turretinus junior, non ignobilis inter Reformatos Theologus, cujus bibliotheca decem & octo librorum millia poſſidere dicitur. Pictetus totus igneus eſt, loquendoque pariter & ſcribendo multum valet, magno præcipue cum ſucceſſu ſacras conciones habens. Ibidem memorantur duo Medici, Clericus & Mangetus, qui conjunctis operis plura in uſum Medicorum congeſſerunt opera, ex quibus præcipue commendantur *Bibliotheca Medica practica*, 4 voluminibus in folio conſtans, *Bibliotheca* item *Anatomica*, & alia quæ *Pharmaciæ & Chymiæ Scriptores* enarrat

ibid.

146, 150.

157.

enarrat, quarum utraque duos tomos implet. Gregorius Leti, notus hiſtoricus, ex noſtri Autoris mente, aptius cogitata ſua Italice ſermone vulgari, cui jocos immiſcebat, quam ſcriptis explicabat. Ex centum fere voluminibus, quæ infinito labore congeſſit, non niſi *Vitas Sixti V* & *Philippi II* Noſter laudat. In Genevenſi hiſtoria mordax eſt, ita tamen ut inter ſpem metumque verſatus plurima ad affectuum horum imperium conſcripſerit. Joannes Montlucius ſeculo XVI Viennæ in Delphinatu erat Epiſcopus. Is primum inter Jacobinos nomen profeſſus ſuadente Margarita Navarræ Regina in aulam ſe contulit, nec id ſine ſucceſſu. Quinque enim Galliæ Regum legatus fuit Conſtantinopoli, Venetiis, in Anglia, Scotia, Polonia, & paſſim etiam alibi. Religionem Lutheranam circa ejus reſtaurationem amplectebatur, Calvini quoque partes aliquando ſecutus, in quibus tamen velandis ſollicitus fuit, ut a nemine illarum rerum cauſa ſuſpectus haberetur. De Petrarchæ & Lauræ amoribus in Valle clauſa peractis prolixus eſt Noſter, & ſingula fere eorum momenta, additis quoque in hanc rem Petrarchæ poematibus, refert, ſed nos hæc miſſa facimus. Michaeli Noſtradamo eas, quibus vulgo mactatur, laudes non concedit, ſed eum potius inſignis ſtoliditatis arguit cum maxima impudentia conjunctæ.

pag. 163. 261. 311. 394.

Sed ſatis de his, ad reliqua pergendum eſt. Argentorati Schaidius memoratur Medicus non incelebris, in cujus theatro plurima curioſa ab Autore noſtro ſunt inſpecta. Inter quæ eſt papilionis quoddam genus, quod *Folia ambulantia* vulgo vocant. Hoc enim vermiculi genus aliquanto poſt nativitatem tempore in plantam convertitur, pedesque & alas in terram immittit: ut rariora alia taceamus. Solodurenſis civitas a pietate & egregia diſciplina mirum in modum laudatur, quæ ibi tanta cum ſollicitudine exercentur, ut malis hominibus ne locus quidem in eadem concedatur. Haud procul urbe ea pratum eſt, cujus gramen ſi removeas, cubi apparebunt teſſeris luſoriis per omnia ſimillimi, & eundem quoque uſum præſtantes. Numerus quippe ſenarius primo, quinarius ſecundo, & quartus denique ternario ex aſſe eſt oppoſitus. Autori noſtro ex ebore vel oſſe formati videbantur, & inter alios eidem unus exhibebatur, qui una tantum ſui parte perfectus erat. Quæ res utique

46. 98.

utique altioris eſt indaginis & Phyſicorum illuſtrationem meretur.
pag. 140. Genevenſium quoque Reſpublica a laborum patientia, morumque
205. innocentia commendatur. Lugduni in Galliis Autor noſter Dominum de Pugeais convenit, qui propter excellentiſſima de magnete experimenta ſummam magneticæ philoſophiæ laudem acquiſivit. Is pulcerrimis & pretioſiſſimis inſtructus magnetibus, demonſtrationibus ſuis omnes fere in ſtuporem conjicit. Opera ab ipſo edita duo referuntur: *Experiences ſur l' Aimant*, & *Lettres écrites à un Philoſophe ſur le choix d' une hypotheſe propre à expliquer les*
410. *effets de l' Aimant*. In Nemauſenſium antiquitatibus delineandis prolixus eſt Noſter, quas tamen omnes memorare non li-
420. cet. Monte Peſſulano laudatur hortus botanicus, qui non raris ſed uſualibus tantum plantis eſt inſtructus, id quod potiſſimum e re eſt ſtudioſæ juventutis, quum raræ plantæ oſtentationis magis
486. quam utilitatis cauſa comparentur. Sub finem operis lepida de quodam Eremita narratur hiſtoria, quem in Burdegalenſi hoſpitio ſors Noſtro obtulerat. Is primo immotus plane videbatur, a reliquis autem hoſpitibus ad convivium invitatus & vino calefactus, tam multa effutire cœpit, ut omnes in ſui admirationem converteret. Tandem Autori ſchedulam quandam dono dedit, ea conditione atque lege, ne eam ante craſtinum diem inſpiceret. Quam cum ſtatuto tempore perlegeret, invenit in ea deſcriptam methodum transmutationis Lunæ in Solem, ſive ar-
501. genti in aurum, quam Autor integram hic inſeruit. Poſtera vero die Eremita ille, quamvis ſedulo inquiſitus, nusquam apparuit.

NOVA LITERARIA.

PAriſiis nova editio Gloſſarii *Ducangii* procuratur, quam eo acceptiorem futuram ſperant, quo plures ipſius Autoris obſervationes & notæ illi accedent. Ibidem opus Genealogicum mox proditurum ferunt, quo Genealogiæ eorum omnium, quorum in S. Literis fit mentio, exponuntur. Exſpectantur & ibidem *Rolini* verſio Gallica Quintiliani, notis eruditis, quæ artem rhetoricam explicabunt, illuſtrata, nova item editio verſionis Herodoti autore *du Ryer* ſubinde emendatæ, nec non Hiſtoriæ mundi autore *Chesnau* locis pluribus inſigniter auctæ.

Digitized by Google

A C T A
ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Decembris Anno M DCC XIII.

M. PHILAGRII LE ROY, R. SOCII SORBONICI, Philoſophia Radicalis Eclectica, inter Peripateticos & Antiperipateticos media ex ſelectiſſimis autoribus compilata & juxta ordinem alphabeticum digeſta in Tractatus L, omnibus Philoſophis, Medicis & Theologis uberrimam præbens materiam meditandi de Natura ejusque autore Deo.

Antverpiæ, apud Joannis Meurſii hæredes, 1713, fol. Alph. 8 plag. 4.

QUoniam Autor, qui ſub ficto *Philagrii le Roy* nomine latere voluit, cum Philoſophia Scholaſtica recentiorum in phyſicis præſertim placita combinare ſibi propoſuit, & idem fuit *Joannis Baptiſtæ du Hamel* inſtitutum, cum Philoſophiam Regiam Burgundicam conſcriberet; hujus potiſſimum veſtigiis inſiſtit, quemadmodum ipſe in præfatione fatetur, uſus editione altera Pariſina anni 1681. Vocat autem Philoſophiam ſuam radicalem & juxta ordinem alphabeticum Tractatus digerit, exemplo D. *Joannis Mariæ Sbogaris*, Clerici Regularis Congregationis S. *Pauli*, qui A. 1698 *Theologiam Radicalem* eadem methodo digeſtam Pragæ edidit. Ut eclecticam vocaret, ſe excitatum ſcribit exemplo Viri illuſtris, *Chriſtiani Thomaſii*, qui in Introductione ad Philoſophiam aulicam profitetur, ſe non nova condere dogmata, ſed ex aliis meliora & veriſimiliora velut flores excerpere, reliqua ſecundum propriæ rationis ductum addere, ita tamen ut lectores non adſtringat ad dogmata ſua quaſi ſola veritati convenientia, ſed aliter ſentiendi libertatem relinquat. Sibi enim

Digitized by Google

eodem modo nec antiqua ſordere, nec nova contemni. Ut autem oſtendat, ſe jure ab *Ariſtotele* in multis recedere, varia Patrum aliorumque Doctorum Eccleſiæ Romanæ ſiniſtra de *Ariſtotele* judicia cumulat. Ita *Franciſcus Mayronius* Scotiſta *Ariſtotelem* imperitiſſimum vocat Metaphyſicum: nec injuria id fieri Autor obſervat, cum in totis undecim libris nonniſi proœmia condat, in duodecimo Metaphyſicam tot ferme hæreſibus maculatam tradat, quot ſunt dogmata. *Ambroſius* in libro de officiis eundem reputat Epicuræis deteriorem & in Exaemer. 4 ſtudioſum impugnandæ veritatis, *Vincentius Ferrerius* dixit *Ariſtotelem* & *Averroem* phialam iræ Dei projectam ſuper aquas ſapientiæ Chriſtianæ, unde factæ ſint amaræ ſicut abſinthium. *Juſtinus* Martyr perhibet, ſe in gentiliſmo quæritantem veritates veras in impietatem a Peripateticis tractum fuiſſe & a ſolis Platonicis in arcana fidei Chriſtianæ catechizatum eſſe. Noſter nullam hæreſin eſſe pronunciat, quæ non in *Ariſtotele* fulciatur, & ſtulte ſciolos putare oſtendit, *Ariſtotelem* aut alium Philoſophum eſſe ab Eccleſia authorizatum: magnam enim fuiſſe ſeculi ruditatem, cum in ſcholas intruderetur. *Thomam Aquinatem* expoſuiſſe *Ariſtotelem*, ut tempori ſerviret, quoniam ejus ævo adeo invaluerat doctrina *Ariſtotelis* & *Averrois*, ut ſtultus putaretur, qui illis contradiceret. Eundem Theologiam ex dictis *Ariſtotelis* declaraſſe, ad hominem tantummodo oſtenſurum, quod Ariſtotelica Philoſophia non modo non evertat Theologiam, ſed poſſit ipſam confirmare. Quæ bona quidem intentio ſucceſſu optato fuerit deſtituta: cum enim non modo Græci & Arabes, ſed etiam Chriſtiani dixerint, *Thomam* Latinum non intellexiſſe *Ariſtotelem* Græcum, vel torſiſſe; ex ſuſpicione contra *Thomam* natum eſſe *Machiavellismum* (quem radicem vocat religionis ſtatus) & thronos Regum populorumque capita occupaſſe. *Thomam* vero non fuiſſe Peripateticum probat, quod aliter doceat, cum *Ariſtotelem* exponit; aliter, cum ex propria ſententia loquitur. Adducit tandem, quæ de ſtatu *Ariſtotelis* in altera vita apud P. *Chryſoſtomum Henriquez* & *Jacobum de Paradiſo*, Doctorem Theologum & quondam Profeſſorem Ephoridiæ, ordinis Carthuſianorum, legit. Prior ſcilicet in ſuo Faſciculo lib. 1 diſtinct. 32 cap. 6 ex vita S. *Bonifacii*, Epiſcopi Lauſanenſis, ex Ordine Ciſtercienſi

ſtercienſi aſſumti, refert, cum is anxius de morte *Ariſtotelis* æternæ ſæpe oraſſet Deum, ut, ſi fieri poſſet, animæ illius miſereri dignaretur, vocem de cœlo ad eum dixiſſe: *Ceſſa, ceſſa jam & noli orare pro anima ejus, quia non fundavit Eccleſiam meam, ſicut Petrus & Paulus, nec legem meam.* Hic ex *Jacobo de Voragine* narrat, *Ariſtotelem* poſt mortem apparuiſſe cuidam diſcipulo ſuo, qui requiſiverit, quid ageret? an adhuc diſputaret? cui reſponderit, ſe nihil modo ſcire niſi pœnas, quas ſentire cogeretur. Noſter itaque abjiciens *Ariſtotelicum* jugum ex celebrioribus Philoſophorum voluminibus centonem quaſi (ipſa Autoris verba recitamus) conſuit & utplurimum ipſis Autorum verbis loquitur, licet non ſemper citatorum. Illud autem conſtanter pro norma habuit, quod monet P. *Honoratus Faber*, eum errare non poſſe errorem catholicum, qui doctrinam ſuam doctrinæ Patrum & Conciliorum conformet. Illis enim plus ſapere velle manifeſtam arguit, judice Noſtro, inſaniam & arrogantiam. Tractatus, qui in hoc Opere continentur, inſcribuntur de accidente, actione, aere & æthere, alteratione, amore, analogis, æquivocis & univocis, angelis, anima vegetativa & ſenſitiva, atque mente, anima mundi & archæo, aqua, arte in genere, & Chryſopœia, arte ſyllogiſtica, atomis & corporum effluviis, brutis, cauſis ſecundis, cauſa prima, cœlorum ſiderumque influxu, colore & luce, corpore phyſico & continuo, Deo ut ente neceſſario, diſtinctionibus, duratione, elementis, ente & categoriis, fato & fortuna, formis earumque origine, generatione & corruptione, gravitate & levitate, habitibus, homine, ideis, loco, logica, metaphyſica, meteoris, motu, naturæ mirandis, propoſitionibus, qualitatum natura & origine, relatione, ſcientia, ſemine, ſenſibus externis, ſubſiſtentia, terminis philoſophicis, venenis, vita, unione, univerſalibus, voluntario & libero: paſſim tamen inſeruntur adhuc materiæ aliæ, e. gr. de auro volatili ſeu fulminante, figura, inſtinctu, magnetismo, modis, nutritione, quantitate, prædeterminatione phyſica, mercurio, primalitatibus, raro & denſo, ſanguine & ſero, ſympathia & antipathia, veritate, unione. Sed ut de his ſpecialiora proferamus, e re Lectoris vix eſſe videtur.

Digitized by Google

TRACTATUS DE MYSTERIIS ET ANNIS Chriſti, Diſſertationibus dogmaticis & chronologicis, nec non obſervationibus hiſtoricis & criticis, juxta germanam Divi Thomæ mentem illuſtratus; Autore R. P. F. IGNATIO HYACINTHO AMAT DE GRAVESON, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo.

Romæ, excudebat Franciſcus Gonzaga, 1711, 4.
Alph. 3 pl. 16.

REv. Autor, cum demandata ipſi fuiſſet provincia exponendi ſingulis diebus in ſchola Caſanatenſi (quæ a Cardinali Hieronymo Caſanate fundata eſt ad explicandam ſummam Theologiæ S. Thomæ in Conventu Minervitano Fratrum Prædicatorum) textum S. Thomæ, tertiam aggreſſus Summæ S. Thomæ partem, cum in ea pervenit ad quæſtionem vigeſimam ſeptimam, a qua usque ad ſexageſimam Thomas diſſerit de Myſteriis Chriſti, deſtitutum ſe ſenſit ducibus. Nam *omnes*, inquit in Præfatione, *D. Thomæ interpretes, qui de Verbi divini incarnationis myſterio in viginti ſex prioribus tertiæ ſummæ partis quæſtionibus longo latoque calamo ſcripſerunt, triginta tres ſequentes quæſtiones, in quibus Myſteria Chriſti explicantur, vel ſilentio penitus obvolverunt, vel de illis adeo jejune & frigide tractarunt, ut Theologiæ Profeſſores nihil ferme inde depromere aut expiſcari poſſint.* Quare miſſis & valere juſſis Theologis ſcholaſticis, quos ait nihil aut parum ſubſidii in hiſce enucleandis quæſtionibus ſuppeditare, celebriorum ex recentioribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptorum, Theologiæ item dogmaticæ, diſciplinæ Criticæ & Chronologiæ ſacræ peritorum opera conſuluit, & hinc conſilium cepit concinnandi diſſertationes dogmaticas & chronologicas de myſteriis & annis Chriſti, quibus triginta tres illæ quæſtiones tertiæ partis Summæ S. Thomæ illuſtrarentur. Prima igitur agit *de matrimonio Mariæ* cujus *cap. I*, miſſis inſulſis de Maria
pag. 2. fabulis, docet, Mariam ante legationem Gabrielis verum cum Jo
10. ſepho iniiſſe matrimonium. Judicet Lector, quomodo ad factas ex Scriptura S. objectiones reſpondeat. Ad Lucæ I, 27 ubi Maria diſerte dicitur *deſponſata* fuiſſe viro, cum ad eam veniret Gabriel angelus, reſpondet, Lucæ II, 5 Mariam etiam dici *deſponſatam* Joſe-

pho,

pho, quo tempore tamen jam erat uxor ipſius. Verba Mariæ Lucæ I,
34, ubi ea dicit, ſe *non noſſe virum*, adeoque gravidari non poſſe, ita
παραφράζει: *Virum* (ſupple *meum*) *non cognoſco, ſed habemus ma-*
trimonium citra concubitum conjugalem. Ad Matth. I, 18, ubi Ma-
ria ex Spiritu S. concepiſſe dicitur, *antequam convenirent*, ipſa ſcili-
cet & Joſephus, reſpondet, τὸ *convenire* hoc loco ſignificare *con-*
cumbere. Ex quo tamen ſequi negat, Joſephum cum ea coiiſſe
poſtea: immo *cap. II* contendit, Mariam perpetuo manſiſſe virgi- pag.19.
nem, tam in partu, quam poſt partum: eam ſcilicet clauſis uteri
virginalis repagulis peperiſſe, Chriſtumque eodem modo foras
prodiiſſe, quo poſt reſurrectionem obſeratis foribus ad diſcipulos
penetravit: ac poſt id tempus quoque virginitatem ſervaſſe: id
quod probat (1) ex verbis Ezech. XLIV: *Porta hæc clauſa erit &*
non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus
Iſrael ingreſſus eſt per eam, (2) ex traditione SS. Patrum. Fortaſſe
hæc argumenta paucis ſatis valida videbuntur, immo fortaſſe nimiæ
curioſitatis eſt, arcana matrimonii rimari. Tutius eſt cum S. Ba-
ſilio, cujus verba Noſter etiam adducit, dicere: *Non liquet, nec hæc*
quæſtio ad fidem pertinet. Diſſert. II eſt de circumſtantiis & prodigiis 31.
conceptionis Chriſti, quibus probatur, eam fuiſſe plane miraculo-
ſam & ſupranaturalem. Obiter etiam judicat, de die conceptio- 38.
nis Chriſti traditionem Eccleſiæ ſervandam eſſe, ex qua Chriſtus
conceptus ſit d. 25 Martii. *Tertia* de ſtemmate Chriſti agit, quod 51.
ſcilicet ex tribu Juda genus duxerit. *Quarta* conciliatur ἀντιλο- 67.
γίαι, quæ Matthæum inter & Lucam eſſe videtur in deſcribenda
genealogia Chriſti. Ubi miſſis recentiorum conciliationibus,
ſententiam Julii Africani, omnium antiquorum Patrum autoritate
munitam, defendit. *Quinta* evincitur, in putatione annorum, ab 89.
Orbe condito ad Chriſtum natum decurſorum, ſequendam eſſe
textus Hebræi & Verſionis vulgatæ chronologiam, non LXX inter-
pretum. *Sexta* eſt de anno Chriſti natali. Hic ſtatuit, Chriſtum 113.
natum eſſe anno XL imperii Auguſti, anno XLI Juliano, anno IV
Olympiadis 193, anno regni Herodis 36, Urbis Romæ conditæ
749, periodi Julianæ 4709, integro ante æram vulgarem quadrien-
nio, Coſſ. Auguſto Cæſ. & L. Cornelio Sylla. *Septima* capite I 137.
docet, vaticinium Jacobi: *Non auferetur ſceptrum de Juda, &c.*

Digitized by Google

fuiſſe impletum in nativitate Chriſti. Id probat unico, ſed efficaciſſimo, ut putat, hocce argumento: Patriarcha Jacobus hoc vaticinio prædixit, venturum Meſſiam eo tempore, quo, poteſtate Judæorum deficiente, ſceptrum, hoc eſt, regia vel ducalis dignitas ad alienigenam tranſiſſet. Atqui Chriſtus eo natus tempore eſt, quo regia dignitas Judæis ablata ad alienigenam, nempe Herodem,
pag. 154. tranſivit. Cap. II ex circumſtantiis nativitatis Chriſti probat,
168. ipſum eſſe verum Meſſiam a Prophetis prædictum. *Octava* diſſertatio eſt de manifeſtatione nativitatis Chriſti, de Magis, & de ſtrage infantum. Refutatis igitur fabuloſis prodigiis, e. g. quod ipſa nocte nativitatis Chriſti Romæ ſubito corruerit templum pacis, item quod oraculum Delphicum Auguſto Imp. reſponſum reddere noluerit, ob natum ſcilicet puerum Hebræum, &c. accedit ad Magos, quos ſtatuit tres tantummodo fuiſſe, quia ſcilicet tria tantum munera Chriſto infanti obtulerint. An vero Reges fuerint, quæque ipſorum fuerint nomina, incertum eſſe largitur. Cete-
186. rum contendit, veniſſe eos ex Arabia felice. *Nona* de circumciſione agit aliisque legalibus, circa puerum Jeſum obſervatis. Ubi allatis rationibus, cur Chriſtum circumcidi conveniens fuerit, et-
196. iam de præputio Chriſti, quod adhuc in terris exſtare dicitur, diſſe-
201. rit. *Decima* diſquirit, quoto ætatis ſuæ anno Chriſtus ſit baptizatus. *Undecima* eſt de circumſtantiis baptiſmi Chriſti, & de illius
229. vita ante baptiſmum. Ubi hoc unum ex Scriptura S. reſponderi poſſe dicit: *erat ſubditus parentibus ſuis*, nihilque niſi commune & ordinarium in puerili diſciplina, vita & converſatione ſua geſſit, ut hoc pacto verum ſe hominem eſſe magis comprobaret, ſummæque humilitatis nobis præiret exemplum. Probabile tamen eſt ipſi,
236. eum fabrilem artem exercuiſſe. *Duodecima* diſſerit de tentatione
241. Chriſti in deſerto, deque illius vita poſt baptismum. Hic ad quæſtionem: quomodo diabolus in monte excelſo omnia regna mundi Chriſto monſtrarit? reſpondet, totum ſumi pro majori parte, quatenus videlicet partem illorum oſtenderit & id, quod maxime eximium in illis eſt, vel quatenus partibus orbis Chriſto commonſtratis ediſſeruit diabolus, quæ ſingularum gloria eſſet, qui ſplendor, quæ opulentia. Hoc modo Moſi oſtenſa legitur *Deut. XXXIV* tota terra Iſraelis ex monte, ex quo tamen non patuit illi proſpectus in ſingulas, ſed in aliquas duntaxat illius terræ partes.

Diſ-

Diſſert.XIII de doctrina Chriſti, *XIV* de miraculis a Chriſto editis diſſerit, *XV* de anno, die, hora & loco paſſionis ſeu mortis Chriſti. Hic *Cap. I* agit de initio & fine LXX hebdomadum Danielis, quarum initium affigit ſeptimo anno Artaxerxis Longimani: *Cap. II* oſtendit, Chriſtum mortuum eſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio ineunte, æræ vulgaris vigeſimo nono. *Diſſert. XVI* de morte Chriſti diſputat, & an is pro omnibus omnino hominibus ſit mortuus. Hic Thomiſtarum, Janſeniſtarum & Moliniſtarum expendit ea de re controverſiam. Inter hæc contendit, ſeculo V re vera exſtitiſſe Prædeſtinatianos hæreticos, ſed paucos & obſcuri nominis viros, & qui in ſectam minime coaluerint: Semipelagianos vero, ut collatam in ſe ab Auguſtini diſcipulis hæreſeos ſuſpicionem propellerent, inde occaſionem arripuiſſe, omnes Auguſtini doctrinæ defenſores ſub invidioſo Prædeſtinatianorum nomine traducendi. Simul indicat, Sirmondiani de hæreſi Prædeſtinatiana libri tria priora capita falſum docere. *Diſſert. XVII* inquirit, an fides in Chriſtum fuerit omni tempore neceſſaria, & an ſola fides in Chriſtum habeat vim juſtificandi ſeu nobis applicandi merita Chriſti, ut efficaciter proſint ad ſalutem. Hic ſtatuit, (1) fidem in Chriſtum mediatorem omnino fuiſſe omni tempore neceſſariam ad ſalutem, ac proinde philoſophos ethnicos, licet ſecundum rectæ rationis præcepta vixerint, æternam ſalutem adeptos non fuiſſe: id quod probat ex conſenſu S.Scripturæ & Patrum Eccleſiæ. (2) Fidem in Chriſtum eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad juſtificationem, in eam tamen ſolam non debere refundi totam vim juſtificationis. Noſtratium dogma, qui fidem illam appellant fiduciam de ſingulari miſericordia Dei, qua in Chriſto Mediatore cor hominis acquieſcit, & propter ipſum ſibi condonata eſſe peccata certiſſime confidit, impium vocat: quod judicium erranti antagoniſtæ pro manſuetudine Chriſtiana libenter condonamus. Ipſe ex ſcito Eccleſiæ ſuæ contendit, fidem eſſe aſſenſum præſtitum iis omnibus, quæ ſunt divinitus revelata. *Diſſert. XIIX* tota contra Socinianos diſputat, paſſionem Chriſti eſſe cauſam ſalutis noſtræ per modum proprie dictæ redemtionis, ſatisfactionis & ſacrificii: ad ultimum tamen concedit, Thomam ſuum ſequens, non fuiſſe ſimpliciter & abſolute neceſſarium, ut Chriſtus pateretur pro

pag. 251. 270. 293. 319. 350. 353. 381.

libe-

Digitized by Google

liberatione generis humani, ſed Deum hominibus citra ullam ſa-
pag.405. tisfactionem condonare peccata potuiſſe. *Diſſert. XIX* expendit,
an Chriſtus eo, quo mortuus eſt, anno Paſcha cum Judæis celebra-
rit. Relatis quatuor diverſis ſententiis, ipſe ſtatuit, Chriſtum
comediſſe omnino agnum paſchalem die decimo quarto menſis
Niſan in ſecundis veſperis: eodemque die & Judæos illo anno Pa-
ſcha peregiſſe, defendit contra P. Mauduit, Congregationis Ora-
torii presbyterum, qui docet, Judæos illo anno Paſcha diſtuliſſe in
diem decimum quintum primi menſis, id eſt, usque ad veſperam
431. illius diei, quo Jeſum cruci affixerunt. *Diſſert. XX* agit de dolo-
ribus, quos Chriſtus moriendo pertulit, & de circumſtantiis paſſio-
nis ejus, præſertim de cruce, cui ſuffixus fuit. Hæc in duo capita
diſcerpitur, quorum priore oſtendit, Chriſtum in paſſione ſua cum
in corpore, tum in anima acutiſſimos perſenſiſſe dolores, ſimulque
præcipuas ipſius paſſionis circumſtantias refert & explanat: po-
ſteriore docet, conveniens fuiſſe, ut in cruce Chriſtus moreretur,
ac denique contendit, ſalvificam, ut loquitur, crucem adorandam
eſſe cultu latriæ reſpectivæ, id eſt, crucis lignum eſſe adorandum
tanquam contactu corporis Chriſti conſecratum, ejus ſanguine ir-
462. rigatum, & redemtorem noſtrum repræſentantem. *Diſſert. XXI* eſt
de ſepultura Chriſti ejusque ad inferos deſcenſu. Ubi inter alia
& hoc Thoma duce defendit, divinam naturam nec ab anima, nec a
corpore, nec a ſanguine Chriſti fuiſſe in triduo mortis ſeparatam.
490. *Diſſert. XXII* de reſurrectione, aſcenſione & ſeſſione Chriſti ad
dextram Patris dogmata Eccleſiæ proponit & propugnat. *Diſſert.*
522. *XXIII* eademque ultima de Chriſti poteſtate judiciaria agit, nec ſo-
lum de privato judicio cujusque animæ ex corpore excedentis, ſed
& de generali judicio orbis univerſi. Inter alia defendit, infan-
tes ante baptismum morientes perpetuæ damnationi, citra tamen
pœnam ſenſus, addictum iri. Simul refutat dogma de millenario
Chriſti hiſce in terris regno, per *mille annos* Apoc. XX intelligens
totum illud tempus, quod a morte & aſcenſione Chriſti usque ad fi-
546. nem mundi effluet. Sententiam igitur Joannis hanc eſſe putat:
Juſti regnaturi ſunt in cœlis per totum illud temporis intervallum,
quod a Chriſti in cœlos aſcenſione usque ad finem mundi & ad judici-
555. *um generale decurret.* Abſolutis ita diſſertationibus, ſequitur

Appara-

Apparatus chronologicus ad comparandam faciliorem notitiam eorum, quæ dicta ſunt in præmiſſis diſſertationibus de annis nativitatis, baptismi & mortis Chriſti. Tribus ille conſtat capitibus. Primo agitur de cyclis Solis, Lunæ & Indictionis: ſecundo de periodis cum Græcis, tum Latinis, quæ ex cyclis ſunt conflatæ; tertio de nobilioribus æris & epochis ſive Græcis ſive Latinis. Addidit Canonem chronologicum ab orbe condito usque ad adſcenſionem Chriſti per ſex mundi ætates digeſtum: itemque brevem & chronologicam deſcriptionem hiſtoriæ ſacræ a nato Chriſto usque ad ipſius adſcenſionem. pag. 580. 601.

C. A. H. NOTÆ CRITICÆ AD PSALTERIUM Salomonis, & ad Petri Cluniacenſis Carmen de Miſſa.

CL. *Fabricius*, vir meritis in rem literariam inſignis, hoc anno edidit *Codicem Pſeudepigraphum Veteris Teſtamenti*, itemque *Bibliographiam antiquariam.* Huic ſubjecit carmen *de Miſſa* adhuc *ἀνέκδοτον.* Illi inſeruit ὑποβολιμαῖον *Pſalterium Salomonis.* In utroque non nihil mendarum cum deprehenderim, eas hic loci placet & indicare & tollere. Judicet Lector, judicet ipſe *Fabricius*, noſtramque induſtriam boni conſulat. Primo loco perluſtrabo illud *Salomonis Pſalterium. Pſal. II, 13 pag. 920* legitur: *πᾶς ὁ παραπορευόμενος εἰσεπορεύετο κατέναντι τοῦ ἡλίου.* Obſcura eſt hujus loci ſententia, quæ & interpretem fugit. Nec ſatisfacit *Fabricius*, pro *παραπορευόμενος* ſubſtituens *παραπορευόμενος.* Nam, ut taceam, inuſitatum eſſe id verbi, ne ſic quidem fluit oratio, ſed adhuc hæret. Videbatur mihi legendum *παρανόμως*, eaque in conjectura me confirmabat *Pſalmi V ſectiuncula 21 pag. 931*, ubi commemorantur *ὁδῶν παρανόμων*, ſubjunctis iisdem, quæ ſuperiore loco adduntur, verbis: *κατέναντι τοῦ ἡλίου*, pro quo *Pſal. IIX, 8 pag. 940* legitur: *ἐναντίον ἡλίου*, & hoc ipſo *Pſalmo II, 14*: *ἐπέναντι τοῦ ἡλίου*, i.e. *non in occulto, ſed palam & in conſpectu omnium, ſine ullo pudore.* Verum nec hæc ratio ſanat reſtituitque corruptam ſententiam. Scilicet autor hujus Pſalmi hic deſcribit hominum ad peccandum impudentiam. Unde addit: *ἐνέπαιζον ταῖς ἀνομίαις αὐτῶν*, quæ hunc in modum transfero: *peccata ipſis erant*

ludus jocusque, ſie trieben nur Spott und Schertz mit ihren Sünden. Cum igitur præcedentia & ſubſequentia verba fiant de ſcortatione, ſequitur, ut is corruptorum verborum ſenſus ſit: *Unusquisque ad ſcortum ingrediebatur ſine verecundia in conſpectu omnium.* Hinc ita reſcribendum duco: Πᾶς ὁ καταπορνευτόμενος εἰσεπορεύετο, *omnis, qui ſcortaturus erat, ingrediebatur*, ſubaudi, *ad ſcortum* vel εἰς τὸ πορνεῖον. Conf. *Pſ. IV, 6 p. 928.*

Pſal. IV, 2 pag. 928 deſcribuntur peccatores occulti, qui verbis magnam crepant ſanctitatem, aliorumque vitiis non ſine ſupercilio inſultant: quod genus hominum etiam Apoſtolorum princeps inſectatur *Rom. II, 21, 22 & 23.* Hujus igitur farinæ homo hic loci vocatur περισσὸς ἐν λόγοις, περισσὸς ἐν τῷ ζηλῶσαι (ſic enim lego pro ἐν σημειῶσαι,) ὑπὲρ πάντας, *qui oratione ad ſanctitatem compoſita perpetuo utitur, nec mediocrem zelum præ ſe fert in omnes peccatores.* Ac ſtatim verſu ſubſequenti dicitur ejusmodi homo primum quaſi lapidem (utor formula Chriſti ex *Johan. IIX, 7*:) conjicere in ſceleratum hominem ὡς ἐν ζήλῳ, cum tamen ipſe (hoc enim ſtatim additur) reus ſit flagitiorum omnis generis. Aut vehementer fallor, aut autor hujus Pſalmi correcta a me verba depromſit ex *Num. XXV, 11*, ubi de Pinehaſo itidem legitur: ἐν τῷ ζηλῶσαί μου τὸν ζῆλον.

Pſalmo eodem v. 7 pag. 929 poſt ὁσίων figi debet στιγμή, ac pro τὴν ζωὴν legendum eſt ἡ ζωή. Id fieri jubet verſus 17, quem ubi adieris, de meæ emendationis veritate vix ac ne vix quidem dubitabis. Verſus itaque hic ita reddendus erat: *Tolle, Deus, eos, qui cum ſanctis vivunt ſanctitate ſimulata. Vitam talis homo degat in carnis corruptione* (id eſt, gravibus morbis, vid. *1 Corinth. V, 5*) & *paupertate.*

Pſalmus V, 1 hoc habet exordium: Κύριε ὁ Θεὸς αἰνέτω τῷ ὀνόματί σου. Interpres ita reddidit: *Domine Deus, laudetur nomini tuo.* Sed quid hoc ſibi vult? Deus ſane quidem eſt αἰνετὸς, & ſic diſerte vocatur in hoc libro *Pſal. III, 2 pag. 925*, & *Pſal. IIX, 40 pag. 944.* Aſt id huc non quadrat. Ego non dubie reſcribo: αἶνος τῷ ὀνόματί σου, *laus ſit nomini tuo*, & quidem quod additur, ἐν ἀγαλλιάσει, *in exultatione.* Confirmor inde, quod *Pſ. XV, 5 p. 955* pariter lego αἶνον ἐν εὐφροσύνῃ καρδίας, *laudem Dei in lætitia cordis.*

Pſalmo

Pſalmo eodem v. 9 pag. 933 abundat vocula μὴ, qua expuncta ita fluit oratio: *Et ſi nos ad te converteris, non repugnabimus, ſed ad te veniemus.* Ἐπιςρέφω enim hic loci ſignificat converſionem hominis peccatoris ad meliorem vitam: quo ſenſu & in titulo *Pſ. VII p. 937* legitur ἐπιςροφή.

Pſalmo VII, 4 pag. 937 mendum arguit ſententiæ obſcuritas, & verborum compoſitio plane inepta. Rogatur Deus *v. 3, ut pro ſua voluntate nos caſtiget, nec tradat gentibus. Nam* (ita *v. 4* pergit interpres,) *ſi miſeris mortem, cum mandato illi de nobis: quoniam tu miſericors, & non iraſceris, ut conſumas nos.* Græca ſic habent: Ἐὰν γὰρ ἀποςείλῃς θάνατον, σὺν ἐντολῇ αὐτῷ περὶ ἡμῶν. Tota verborum ſeries exigere videtur, ut hoc modo legamus: Ἐὰν ἀποςείλῃς θάνατον, συν εντέλλου αὐτῷ περὶ ἡμῶν, hoc eſt *ubi mortem miſeris, mandatum ſimul illi da de nobis*, ſcilicet, ut nobis parcat. Alluſum videtur ad hiſtoriam illam, quæ exſtat *Exodi XII, 23:* item ad locum Davidis *Pſal. XCI, 11:* Ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ.

Pſal. IIX, 31 pag. 943 pro ἐδικαιώσαμεν reſcribendum eſſe δικαιώσομεν, monet vel verſus ſequens 38, & ipſa orationis ſeries, quæ futurum tempus exigit.

Pſal. IX, 10 pag. 946 κατ' ἄνδρα converſum eſt *juxta virum*, nullo certe quidem ſenſu. Ceterum cave mendi ſuſpectus tibi ſit hic locus. Quid enim ſignificet illa formula, jam ſupra docui in his Actis p. 401.

Pſalmi X verſ. 1 p. 947 peſſime habitus eſt ab interprete. *Beatus vir* (inquit) *cujus recordatur Dominus in reprehenſione, & qui deviarit a via malitiæ in flagello, & ut mundetur a peccato, quo non ſit plenus.* Pro καθαρισθῆναι lege ἐκαθαρίσθη, quod reſpondeat præcedenti ἐκυκλώθη, & ita Græca redde: *Beatus eſt vir, cujus Dominus recordatur per reprehenſionem,* (id eſt, eum caſtigando paterne,) *quique reducitur a via malitiæ* (id enim ſignificat τὸ ἐκυκλώθη, docente ad h. l. Cerdano,) *per flagellum, & mundatur a peccato, ne menſuram peccandi impleat.*

Pſalmi XVI inſcriptio hæc eſt pag. 957: εἰς ἀντίληψιν, quod redditum: *in adjutorio.* Ipſe Pſalmus jubet legi: εἰς ἀνάληψιν Confectus enim eſt in illud Dei beneficium, quo Salomonem mu-

Digitized by Google

lierum illecebris depravatum *recepit* Deus in gratiam. Statuunt enim Judæi, Regem illum tandem acta pœnitentia ſalvatum eſſe. Vide *Galatinus de Arc. cathol. verit. lib. VI c.13*, & *Fabricius* noſter inf. p. 1060 ſqq.

Antequam *Codicem Fabricii pſeudepigraphum* e manu deponam, obiter tollam alia quædam menda, quæ ibidem in *Hiſtoria Aſſeneth, uxoris Joſephi*, pag. 777, 778 deprehendi. Nimirum ſic lege: *Non decet virum colentem Deum viventem - - oſculari mulierem alienigenam oſculantem idola ſurda & muta, & manducantem a menſa eorum panem angoris* (editum eſt *anchonis*,) *& bibentem de ſpondis eorum calicem angoris*, (editum eſt *anedras*,) *& unguentem ſe oleo miſeriæ*. (editum eſt *in ſcrutabili*.) Poſt *calicem angoris* additum eſt *calicem occultum*. Sed hoc manifeſtum eſt gloſſema, adeoque delendum. Ceterum de *calice angoris* conf. Jerem. XXV, 15; Eſa. LI, 17 & 22; Ezech. XXIII, 33.

Progredior ad *Petri Cluniacenſis* Carmen *de Miſſa*. Hic ſtatim primo verſu pro *priorum* reſcribendum eſt *piorum*. Vid. v. 315. Corruptus quoque eſt verſus 31. Ita enim editus eſt:

Ille ſtat a dextris, quam quæſiit autor, inanes
Execrata Deos gens quaſi dextra fuit.

Lucem ad emendationem præferunt verſus 57 & 58:

Ad lævam legitur, quia, qua tranſivit, aberrans
Et velut a læva gens idolatra fuit.

Quare ſuperiora ſic emendo:

Ille ſtat a dextris, quoniam, quæ ſanctior eſt gens, ſc. Judaica,
Execrata Deos, gens quaſi detra fuit.

Sanctior pro Sancta. Sic & *v. 94*: itemque *v. 85 devotior* pro *devota*. Verſus 73 & 74 ita ſunt editi:

Quaque probant opifex & ſignifer & caput idem, ſcilicet Chriſtus,
His opus, his proceres, his ſua membra favent.

Primum legendum eſt *probat:* de uno enim Chriſto ſermo eſt. Non te, Lector, moretur, quod ſequitur vocalis. Id enim vitii in hoc carmine vel centies deprehendes. Unum afferam exemplum, idque propterea, quia legitur in elegantiſſimo totius hujus carminis diſticho & prorſus meliori ſeculo digno, v. 332.

His

His precibus Patrem dediſcere judicis iras,
Et flecti conſtat, & meminiſſe patris.

Sed etiam in pentametro vulnus obſervo. Quod ut fiat manifeſtius, ſcias, tribus nominibus in hexametro poſitis reſpondere tria nomina *correlata*, quæ vocant ſcholaſtici, in pentametro poſita. Monachi enim poetæ in hoc carminis genere ſitam eſſe credebant non vulgarem elegantiam. Bis idem venuſtatis genus ſecutus eſt noſter hoc eodem in carmine. En v. 69 & 70.

Ordo bonus, quoniam cum rex vocat atque magiſter,
Reſpondet miles diſcipulusque: ſequor.

En militem regi, diſcipulum magiſtro reſpondentem. Sic ſupra v. 15 & 16:

Hunc deſideriis, hunc laudibus, hunc prece multa
Præſuſpiravit, extulit, expetiit.

Scilicet *præſuſpiravit deſideriis*, *extulit laudibus*, *expetiit prece multa*. Jam redeo ad locum ſuperiorem, in quo *opifici* reſpondet *opus*, id eſt, creatura, *capiti membra*, *ſignifero proceres.* Sed hi quidem poſtremi male. Nondum habeo certum, quid reſcribam. Vitium video, medicinam viderit acutior. Fortaſſe ſcripſerat autor *populus*.

Verſu 75 & 76 legitur:

Sic confeſſa fidem pia plebs orare monetur,
Ut ſit in hac (fide) *ſtabilis, & ſuper aptet opus.*

Lego *ſuperaddat*, quod & reperitur v. 92. Significat, fidem declarari oportere bonis operibus. Adi Paulum Galat. V, 6.

Pergo ad v. 90.

Altari dat ſe, dat ſua: tu neutrum?

Quis dubitet, opus hic eſſe ope medica? Lego:

Altari dat ſe, dat ſua dona ſacro.

Donorum quippe mentio v. 80, 82, 85, 86. Liceat exponere ſequentem verſum 92:

Vel fertur vinum, cui ſuperaddis aquam.

Innuit, vinum eucharisticum aqua permiſcendum eſſe. Clarius mentem exponit ſuam poeta v. 101:

Admixtum vino laticem miraris?

Verſ. 126 typothetæ vitio legitur *tripli* pro *triplici*. Sed hoc leve eſt. Major ineſt difficultas in v. 130. Sed ea evaneſcet, ſi

Digitized by Google

pro *gratior una* legeris *gratior ara*. V. 156 pro *ſupplens* legendum eſt *ſupplex*. Vid. v. 339, ubi recurrit. V. 159 pro: *fiunt auctior & actus idem*, reſcribe: *fiunt actor & actus idem*. Innuit ſacerdotem, qui in hac quaſi comœdia miſſatica *actor* eſt, Chriſtus vero in ea *agitur*. Innuit porro unionem myſticam, quam vocant theologi. Statim v. 160 pro *cœtibus* apparet reponendum eſſe *actibus*.

Actibus bis mentis dum vox, dum vita miniſtri, id eſt, Sacerdotis,
Concordant.

V. 257 ſine ſenſu ita fluit:

Nam quotiens fuſi verbo cruce mente retractat,
Hunc ſpecie totiens in ſacroſancta gerit.

Non vereor, ne errem, ſi hunc reſcribam in modum:

Nam quotiens fuſum in cruce (ſcilicet ſanguinem)
verbo & mente retractat, id eſt, *repetit*.

Perge v. 259:

Quippe velut quidam cruor eſt meminiſſe cruoris.

Pro *eſt* male editum eſt *&*. Leviuſculum eſt, (ſed tamen annoto,) quod v. 270 & 275 ſcribendum erat contracte *ſacrifici* pro *ſacrificii*. Sic apud Phædrum *lib. I fab. XVII v. 1* metrum exigit, ut pro *maleficii* contracte legamus *malefici*. V. 454 typothetæ vitio legitur *apcificant* pro *pacificant*. V. 549 rurſus, uti v. 1, pro *priorum* lego *piorum*. Ceterum ſequentis verſus:

Terra caro, cœlum ſpiritus accipitur;

hæc eſt ſententia: per terram caro, per cœlum Spiritus ſignificatur & innuitur. V. 569 pro *infactio* legendum eſſe *confractio*, & v. 601 pro *lena lenta*, quis addubitet? Sed ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ.

PRÆLECTIONES POETICÆ IN SCHOLA naturalis Philoſophiæ Oxonii habitæ; Autore JOSEPHO TRAPP A. M. Colleg. Wadh. Socio & Prælectore publico lecturæ Poeticæ, a viro inſigniſſimo D. HENRICO BIRKHEAD Coll. omn. anim. olim Soc. in Univerſ. Oxonienſi nuper fundatæ. Vol. I

Oxonii,

Oxonii, e theatro Sheldoniano, impenſis Bernh. Lintott, Bibliop. Londinenſis, 1711, 8.
Plag. 8.

CUm a venerabili domo Convocationis Oxon. ad lecturæ Poeticæ, quæ ars ante certo quaſi Lare Oxonii caruerat, munus obeundum primus electus eſſet Autor clariſſimus, id ſibi negotii continuo datum eſſe credidit, ut, quam nactus fuerat provinciam, pro virili ornaret, eoque Prælectiones ſuas Poeticas ſive varii thematis diſſertationes exiguis libellis comprehenſas ſubinde in lucem edere conſtituit; quarum primitiæ primo hoc volumine exhibentur. In hac igitur de re Poetica materia multum quidem aliorum judicio aliquid & ſuo tribuens, poeſin in genere ſingulasque illius ſpecies evolvere; varias ſtylorum elegantias, varia eorundem vitia exponere; reconditiſſimos animi flexus inveſtigare; minutiſſima ingenii momenta expendere; circa res tam delicatas verum a falſo ſecernere; quomodo a ſe invicem diſcriminentur, & quibusdo cauſis legentes atque audientes delectent, vel admiratione feriant ac percellant, oſtendere luculenta & jucunda oratione conatur. *Primo* loco comparet inauguralis Oratio, qua poſt decantatas Birkheadii, qui primus hanc artem Oxonii dotavit, aliorumq; tanti beneficii promotorum laudes, dari omnino hujus etiam artis diſciplinam jam olim ab Ariſtotele fundatam, fallique eos qui theatris ſolummodo convenire Poeticen, a ſcholis autem effrænata quippe licentia luxuriantem ablegandam arbitrentur, perhibet, & ineſſe quidem illi furorem, at divinum neque a ratione deflectentem. Impietatem huic arti aliquos tribuere, quæ non Deo ſolum grata ſit, ſed & ab eo infuſa dicatur, cuique non magis quam ipſi religioni eſſe fraudi debeat, quod temporis decurſu æque ac illa fabulis contaminata, vel immundis interdum turpium ſcriptorum carminibus conſpurcata fuerit; cum ipſa, quoties proprio impulſu agit, nativa caſtitate, pura & intaminata veras virtutis illecebras aperiat, honeſti amore mortalium animos accendat, atque optimi maximi Numinis opera deſcribat, & laudes celebret. Alios tanquam nugatoriam ac pueris relinquendam illam deſpicere, cum eum, qui in hoc ſcribendi genere feliciter verſari velit, non ſummo ſolum ingenii acumine, elegantia & fulgore præſtare, ſed & ſubactiſſimo judicio

Digitized by Google

judicio maturum atque omni literaria ſupellectile inſtructum eſſe oporteat, quod Homeri, Horatii, Virgilii, Lucretii aliorumque exempla doceant. Illis igitur, qui pulcherrimæ artis penitius naturam inſpexerint, conſtare, illam in ſe complecti, quicquid in oratione ſoluta vel grande vel venuſtum eſt, atque ornamentis inſuper ſuis & ſibi propriis discriminari. Neque quicquam illius dignitati ex eo decedere, quod tanta ſit ubique ſcriptorum turba nauſeam doctis omnibus moventium, qui Poetæ ſalutari affectant; ingentem hunc ac deteſtandum nominis abuſum eſſe, cujus honor nulli niſi cui mens divinior osque magna ſonaturum ſit, debeatur. Sed merito diſciplinis omnibus vel Ciceronis judicio anteferri, quæ utile dulci tam admirabili temperamento miſceat, ad virtutem & res arduas animos incitet, illuſtrium virorum exempla immortalitati conſecret, Heroasque non celebret modo ſed & revera (non nuda fictione) efficiat. Summus quippe mentis humanæ vigor, qui omnes ipſius nervos intendit, eidemque univerſam literaturam mera dulcedine conditam imprimit, & jam facetis Epigrammatum ſalibus, jam elegiarum dulcedine delectat, jam mordaci Satyræ alterius lepore, alterius furore, utriusque acumine pungit & acuit, jam audacibus Odarum in rebus deſcribendis coloribus, ſublimioribus conceptibus, exquiſitiſſima elegantia, amœna in carminibus Lyricis varietate, mira cogitandi luxuria, & iſta tam accurato judicio temperata Dramatica mundi in compendium contractione, vitæ morumque & conſuetudinum humanarum exactiſſima pictura tumultuantium in potentioribus animorum, viciſſitudinis fortunæ, mirandorum luctuoſorumque eventorum, ſuppliciorum ſceleris & virtutis præmiorum, immo & bonorum nonnunquam infortunii Tragica repræſentatione animam paſcit, atque ita ſæpe afficit, ut cum iſtis ridere, cum his flere videatur; inprimis autem in Epico poemate, ultimo humanarum virium labore & ſtudiorum meta, infinita fere copia, ſublimitate & excellentia hominem ultra ſe collocat, & præſtantiſſimorum in ſingulis hiſce Poetarum, faceti Martialis, ingenioſi Catulli, profluentis Ovidii, uberis Tibulli, docti Propertii, animoſi atque ad furorem usque audacis Juvenalis, lepida urbanitate, mordaci riſu ſeveraque ſimul & jucunda virtutis diſciplina in ſermonibus æq; ac epiſtolis ſuis clariſſimi Horatii, preſſa

ſtyli

ſtyli elegantia, ingenii judiciique copia inque imaginibus hominum ac humanæ vitæ repræſentandis exquiſitiſſimi Terentii, cothurnati Sophoclis, vigentis ac fulminantis Euripidis, Virgiliique in humiliore Eclogarum venuſtate ſimplicis, Georgicorum elaborata & caſtigatiſſima elegantia formoſi, in divina denique Æneide ſupra humanam fere facultatem conſummatiſſimi lectione, admiratione ac imitatione humanam eloquentiam ad ſummam ἀκμὴν perducit.

Prælectione *ſecunda* & *tertia* de natura & origine Poetices in genere agit, in eaque univerſalem ejus ideam ac totum illud, quod omnibus ejusdem partibus commune eſt, ob oculos ponere ſtudet; cumque a nemine, ne Ariſtotele quidem, accurata ejus definitio concinnata fuerit, ipſe, rejecta Voſſii ac Dacierii inadæquata deſcriptione, Poeticam *artem* dicit, *quicquid eſt vel mente comprehendi poteſt, metricis numeris imitantem vel illuſtrantem, voluptatis hominum atque utilitatis gratia.* Quæ dum fuſius explicat Noſter, ſubinde quoque, ut Poeſis cum Pictura, Hiſtoria ac Muſica conveniat, eleganter docet. Voluptatis Poeticæ momenta præcipua ad numeroſam verſuum harmoniam ſenſibus maximopere abblandientem, ad rerum imagines ingenioſe pulcreque depictas & mentibus vivide, ſubito & ex improviſo impreſſas, ad elegantem verborum apparatum, quibus iſtæ veſtiuntur ac ornantur, ad imitationis amorem omnibus hominibus inſitum, ad novitatis ac varietatis ſtudium verſatili cogitationum flexu & inopinatis earum diverſionibus imprimis gaudens, ad affectuum denique commotionem, quæ quo concitatior eo jucundior plerumque ſit, & quod mirum ex ipſa miſericordia, terrore ac triſtitia delectationem eliciat, accurate refert, & pluribus profundius inquirendis occaſionem ſuppeditat. Dignitatem vero Poeticæ, ex ejus antiquitate primoque in religione uſu (unde & Religionis filia Poeſis audiat) quod hymni feriales in Dei honorem præcipue poſt meſſem finitam & primitias oblatas ab hominibus decantati ſint, repetit. Hinc factum eſſe exiſtimat, ut primi ejus Autores lateant, Græcis pro jactabundi ingenii ſui indole Orpheo, Lino & Muſæo triumviris apud ſe natis (quos tamen nunquam extitiſſe, non propria ſed communia nomina ab antiqua Phœnicum lingua derivanda Voſſius cenſet)

 inventæ

Digitized by Google

inventæ Poetices gloriam vindicantibus; aliis, quod vero ſimilius Autori videtur, cum Voſſio a paſtoribus vel agricolis Poeſin inventam, & primitus quidem in Græcia circa montes fonteſque, Heliconem, Parnaſſum, Aganippen, Hippocrenen, Pirenen alioſque celebratam, & longe antiquioribus temporibus non modo ante bellum Trojanum, ſed etiam ante Cadmi, a quo Græci literas accepere, in Bœotiam adventum, atque adeo cum mundi prope incunabilis, i. e. circa, tempora quibus Jubal Adami trinepos αὐλητικῆς καὶ κιθαριστικῆς autor floruit, ortam exiſtimantibus; cum imitationis atque harmoniæ ſtudium a natura hominibus inſitum adeoque coævum ſit, unde & conatus quidam & rudimenta Picturæ, Muſicæ Poeſeoſque apud barbaras quaſcunque & incultas gentes invenire liceat. Quo loco & illud adverſus Strabonem Autor obſervat, ſi cum ſoluta oratione Poetice conferatur, eam ſine dubio tempore ac natura priorem eſſe, celebreſque vates prius quam claros Oratores in hiſtoria literaria celebratos inveniri. Ad quæſtionem, naturane an induſtria in Poetica plus valeat? cum Horatio accurate reſpondet:

Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium, alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice:

indeque dicterii, *Poetas naſci non fieri*, illum eſſe ſenſum, in Poeſi vim naturæ potius exigi & plus valere, quam artis cultum & laborem, licet utrumque ad præclarum vatem efformandum neceſſario exigatur. Inde denique ex parte factum eſſe judicat, quod vatibus inſpiratio quædam ſeu afflatus divinus tribueretur: præcipuam autem hujus rei cauſam furorem iſtum, ſeu impetum plusquam naturalem Græcis ἐνθουσιασμὸν dictum, quo Poetæ a ceteris ſcriptoribus diſtinguantur, habendum eſſe. Quanquam enim ii a Deo re ipſa agitati non fuerint, neque hodie agitentur; Ethnicos tamen id revera credidiſſe, inde ſingularem iſtam reverentiam Poetis, quos ſacros ac divinos nominabant, tribuiſſe, Muſarumque, Apollinis aliorumque Numinum invocationem uſurpari cœpiſſe. Ultimo, in quo conveniant & differant ars Poetica & Oratoria, Noſter indicat, & cum utraque eodem fere argumentorum ſententiarumque pondere utatur, ita tamen eas diſtinguit, ut illam

præter

præter metricos numeros, ſtylum prorſus peculiarem, fictionem, effuſiores deſcriptiones, furorem Poeticum & licentiam Oratoribus denegatam admittere oſtendat.

Prælectione *quarta* univerſam ſtyli Poetici rationem explicare ſtudet, de cogitationum venuſtate alio loco acturus. Stylum vero Poeticum a nudo ſermone ita diſcrepare docet, ut plurimas locutiones apud Poetas uſitatiſſimas fateatur & imprimis elegantes, quæ ſcriptis Proſaicis uſurpatæ etiam Grammaticæ leges violent, nec ſine ſolœciſmo admitti poſſint. Quarum cum multa ſint exempla perpetua obſervatione ad certas regulas reducenda, nonnulla eorum ſpeciminis loco in medium profert. V. g. α) *Adjectiva & participia ad ſitum vel partem corporis ſpectantia eleganter regere accuſativum nominis ſequentis imitatione Græci idiomatis*; quo illa pertinent: ſtratus membra ſub arbuto, ære caput fulgens, lacerum crudeliter ora &c. β) *Adjectiva neutrius generis numero ſingulari interdum etiam plurali pro adverbiis uſurpari*; ut: triſte micans, dulce ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem, Cometa ferale rubens, torva tuentem &c. γ) *Multa adjectiva Poetico prorſus loquendi modo regere genitivum*; melior dextræ, pubes læta laborum, egregius linguæ, pravus togæ, inglorius auſi, fortunatus laborum &c. vel *infinitivum:* Orpheus blandus ducere quercus, ſuperare pugnis nobilis, celer ſequi, doctus Phœbi dicere laudes, cantare periti &c. δ) *Adjectiva numerum ſeu multitudinem denotantia una cum ſubſtantivis ſuis ſingulari numero efferri*, populus frequens, multa roſa, innumera ovis, licet illi plurima manet lacryma &c. ε) *Quædam adjectiva, quæ vulgari ſermone ſubſtantivis ſuis conveniunt, in genus neutrum & numerum pluralem converti, ſubſtantiva autem in caſum genitivum*: ultima mundi, ardua montis, cuncta terrarum, ſtrata viarum, opaca locorum.

Hujus vero diverſitatis cauſam Autor partim ad *peculiarem quandam Poetis cogitandi rationem*, quæ ſcribendi loquendique etiam ſibi proprios modos poſtulet, partim ad *ſtyli Poetici breviſſimis cancellis conſtricti difficultatem*, cujus incommodo iſta dictionis diverſitate ac licentia aliquo modo ſubveniri æquum ſit, referendam cenſet. Poſt dictionem ejusmodi omnino Poeticam iſtas etiam locutiones conſiderat, quæ licet non omnino ſint Poeticæ,

 carmi-

carminibus tamen multo potius quam libero ſermoni conveniant, & Oratoribus caute ac parce adhibendæ ſint: v. g. campus pinguis ſanguine, vela vento turgida, duces honeſto pulvere ſordidi &c. quæ ſi frequentius in oratione occurrant, inter ambitioſa nimis ornamenta immo vitia referantur. Prætermittimus alia hic pulcre obſervata.

His illa ſubjicitur *Prælectione quinta* obſervatio: *figurativas locutiones, præcipue metaphoricas, multo in Poeticis quam Proſaicis ſcriptis frequentius occurrere, iisdemque multo ſatius convenire.* Qua occaſione de Rhetoricorum libellorum, qui juvenum vulgo manibus terantur, uſu Autor monet, non opus eſſe, ut ars acuendis adoleſcentulorum ingeniis deſtinata tam ſalebroſa methodo tractetur, cum uſu hæc omnia attentaque bonorum Autorum lectione melius rectiusque quam doctrina percipiantur ac diſcantur. Dum vero res easdem diverſis ſæpe verbis non ineleganter a Poetis exprimi obſervat, quantum ea in re Virgilius & Ovidius differant, oſtendit, quorum ille mira arte eundem conceptum ſpeciebus diverſis diverſa earum adjuncta referendo menti repræſentet, hic vero rem ideamque eandem ſub eadem ſpecie verbis ſolum immutatis decies exhibeat, iſtaque copia ſtylum laxet atque enervet, ut recte de ejus ſtylo dici queat, quod is de Narciſſo perhibet:

inopem me copia fecit;

quanquam plurima quoque in illo laude digniſſima & ipſi Virgilio haud indigna reperiri exemplis doceat. Porro quanquam eorundem verborum ingrata auribus animisque legentium repetitio ſollicite cavenda Poetis ſit, delectare volentibus; non minori tamen cura providendum, ne, quod multis accidit, vocum varietati ſtudendo obſcuri fiamus, & a vera ſignificatione verba detorqueamus, monet. Inde Virgilium & optimos quosque Poetas eadem vocabula repetere, quam voces ſenſu non ſuo uſurpare malle. Ceterum in verſibus componendis magnam ſonorum rationem habendam, nec minus ut aures demulceantur, quam ut ingenium ac judicium delectentur, ſtudendum: nec verſus inopes rerum, nugasque canoras proponendas, nec res ſolas neglecta ſonorum diſpoſitione attendendas. Quod monitum a plurimis Anglorum Poetis, in quibus Coulejum nominat, qui ſoli cogitatio-

num

num venuſtati ſtudebant, inſuper habitum queritur: nuper tamen Drydeni opera Poeſeos Anglicanæ numeros harmoniam ac ſtylum accuratiorem redditum, idque effectum, ut illa ceteris omnibus Europæ gentibus palmam præripere ſibi videatur. Et quantum quidem elegantiæ carminibus afferat verborum juſta diſpoſitio, vel ex illo Virgilii verſu evincit:

Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo,

quem multum in pejus immutatum iri putat, ſi ita efferatur:

Abſtulit atra dies, & acerbo funere merſit.

Neque enim illi optimi Poetæ, qui æquabili ſemper curſu fluunt, cum ſæpe aliquid aſperitatis exigatur, eoque fallantur, qui Ovidium & Claudianum, quod in ipſorum verſibus minus aſperitatis reperiatur, Virgilio præſtare exiſtiment: qui ſtudio id agat, ut jucundum verſuum tenorem nonnunquam aliquantulum immutet, & aliquid aſperitatis admiſceat, ut iſta varietate ſe magis animo legentium inſinuet.

Prælectione ſexta de verſibus iſtis mutilatis, qui in Æneide paſſim occurrunt, agit, & quanquam illos conſulto a Poeta admiſſos, ut ſtylo Poetico venuſtatem quandam afferant, non pauci credant; ipſe tamen hiatus iſtos indicia potius eſſe operis imperfecti, a Virgilio, ſi vita fuiſſet, implendi, exiſtimat. Georgica certe, quæ emendatiora vulgo cenſent, nullum ejusmodi truncatum carmen habere, neque Scriptorum hodiernorum, qui in eo Virgilium pariter imitantur, tolerandam licentiam eſſe. Non minoris quoque illos audaciæ inſimulandos, qui eadem Virgilii autoritate freti quantitatis leges nimis arroganter violent: cum in longo, laboris pleno, ſummæque dignitatis opere non permiſſa tantam ſed elegans etiam licentia ſit modeſte uſurpata. De Epithetorum deinceps uſu monet, ſupervacua eorum turba nihil fere vitioſius eſſe: ſupervacua autem habenda, niſi ſubſtantivis ſuis ideas penitus novas & diſtinctas addant, vel ea ſaltem explicent, ornent, illuſtrent. Prioris generis in iſtis occurrere:

Sæpe in honore Deum medio ſtans hoſtia ad aram
Inter *cunctantes* cecidit moribunda miniſtros;

& quibusdam interpoſitis:

Digitized by Google

Labitur infelix ſtudiorum atque *immemor* herbæ
Victor equus.

Alterius pluſcula e Virgilio exempla profert, quale illud:

Timidi damæ cervique *fugaces*
Nunc interque canes & circum tecta vagantur.

Hinc *Ærariis Poeticis* & ſimilibus libellis, qui a pueris ad hiatus ſupplendos conſulantur, prorſus rogo damnatis, Noſter ipſe leges in Epithetis deligendis obſervandas raroque aut nunquam violandas conſtituit. Illorum etiam κακοζηλίαν taxat, qui tanta ſuperſtitione Homerum venerantur, ut vitia etiam illius imitanda ducant, &, quod in Virgilio ac Horatio nonniſi rariſſime, frequentius in Homero fit, redundantia Epitheta adhibere amant. Quo loco & voces *meus, tuus, ſuus,* per nonnullorum ignaviam ita perperam uſurpari, indignatur. Quam in rem citatis aliquot Ovidii carminibus, in verſibus præcipue pentametris, eas ad ultimum pedem conſtituendum maxime inſervire notat, quo quidem languidius ac inſulſius vix quicquam fingi poſſet. Neque tamen illorum arrogantiam probat, qui in Epithetis nimis parci ſunt, eoque non exiguam Poeticæ venuſtatis partem amittunt, cujus tam ſtudioſus Virgilius fuerit, ut haud multos in eo verſus Epithetis ſubſtantiva ſua illuſtrantibus carentes, aliquot etiam pluribus refertos invenire liceat, ut in illo:

Monſtrum horrendum, informe, ingens &c.

Et: Loricam ex ære rigentem
Sanguineam, ingentem - - -

Prælectione denique *ſeptima* ſtyli Poetici ſpecies recenſet, & in quo quæque conſiſtat, cui materiæ ac poemati applicanda ſit, docet. Sublimem igitur ſtylum, cui proprium eſt res conceptusque grandes ac magnificos dictione non vulgari, verborum majeſtate, pompa ſonoque exprimere, Poemati præcipue Epico, deinde Odarum nonnullis, proxime ab his Tragœdiæ, Satyræ etiam ſeveriori, omnibusque minoris notæ carminibus heroicum quiddam vel tragicum ſapientibus, imo & Georgicis ac Philoſophicis quodammodo convenire. Comœdiam humiliorem & Satyram paſtoralem carminis ſublimitatem minime decere, nec niſi pauciſſima Autorum loca hic excipienda; in Elegis raro admodum par-

ceque

ceq; adhibendam. Audacem ſtylum Noſter figurativum metaphoris hyperbolisque abundantem dicit: in quibus niſi cura ſumma judiciumque adhibeatur, tum ſtylum ventoſum, turgidum & ridicule grandiloquum oriri perhibet, ejusque aliquot e Claudiano exempla profert. Oppoſitum ſublimi ſtylum humilem recte uſurpari oſtendit, quando familiari facilique loquendi modo exprimantur communes vitæ humanæ conceptus: cujus ſtyli Comœdiæ Terentianæ, Horatiique Satyræ ac Epiſtolæ exempla innumera ſuppeditant, perperam vero adhiberi oſtendit, quando res naturæ vel ſublimis vel ſaltem non vulgaris ſermone repente atque inhoneſto, ut Ovidiana exempla quædam commonſtrant, exprimantur. Aliam deinde hujus ſtyli ſpeciem, quam acrem vel mordacem dicit, Satyræ potiſſimum convenire, ſed in Virgilii quoque Eclogis atque imprimis illis:

Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cera
Juncta fuit? non tu in *triviis*, indocte, ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

ob verborum acrimoniam, & contra in iſto Virgilii:

Qui Bavium non odit, amet Tua carmina Mœvi,

ob conceptuum acumen locum habere declarat. Floridum ſtylum, qui tropis & figuris, præcipue metaphoris, exornatur, obſervat, quodvis Poematum genus admittere, eoque multum commendari, ſublimioribus tamen præcipue Odis Epicoque Poemati convenire. Varias deinceps de aliis ſtyli ſpeciebus obſervationes brevibus ſubjungit: perſpicuum ſemper eſſe laudabilem, obſcurum & injucundum ſemper vitioſum; facilem vero & durum, brevem & prolixum, laxum & preſſum, celerem & tardum, dulcem & mollem, aſperum ac ſalebroſum, interdum recte, interdum perperam uſurpari, prout materiæ ſeu argumento, quod ſcribendo ornare Poeta ſuſcepit, conveniant vel minus. Aſpero ſpeciatim ac duriori verbis antiquis & deſuetis parce & caute interſperſis majeſtatem quandam, Tragœdiæque ac Epico Poemati gravitatem & ſublimitatem conciliari. Elegias inprimis & quædam Paſtoralia Poemata ſtylum prorſus mollem ac dulcem exigere. De Comœdiæ vero ſtylo adnotat, illum non eſſe Poeticum ſed elegantiſſimum potius Proſæ genus; cum Comœdiæ ſermo ſit familiaris & ad vi-

tam

tam communem ſpectans, nihilque Poeticum ſtylus veteris Comœdiæ habeat, præter pedes ac menſuras a ſoluta oratione parum diſcrepantes, rerumque fictarum inventionem artificioſamque diſpoſitionem. Sub finem hujus prælectionis quædam de neceſſitudine nexuque inter venuſtatem dictionum & venuſtatem conceptuum profert: fierique poſſe negat, ut quis dilucide vel ornate ſcribat, niſi eodem modo ſimul cogitet, vel ut qui dilucide ornateque cogitat, eodem modo non ſcribat, id quod obiter pluribus finem explicat.

CENTURIA II QUÆSTIONUM, IN QUIbus variæ Juridico-Politicæ, nec non Jocoſeriæ, ad theoriam æque ac praxin accommodatæ Materiæ mediæ pertractantur, & ad uſum quotidianum Deciſionibus & Obſervationibus nonnullis non paſſim obviis decenter illuſtrantur, a D. CHR. FRID. PLATHNER.

Goslariæ, impenſis Jo. Chriſtoph. König/ 1713, 4.

Plag. 18.

PRimæ Quæſtionum Juris Centuriæ, de qua in Actis A. 1711 M. Nov. pag. 520 diximus, ſecundam nuper ſubjunxit Autor Cl.
pag. 7. e qua nunc pauca velut in tranſcurſu enotabimus. Qu. 3 fœminam, quæ marem rapuit, pœna raptus teneri putat, quia delictum hoc eodem animo & affectu a fœmina perpetretur, quo fuit a maſculo commiſſum, delicta autem impunita manere haud debeant.
43. Qu. 30 Moriones a ſummorum Principum conſortio removendos eſſe aſſerit, per Ord. Pol. anni 1530 art. 36, his inſuper ductus rationibus, quod ſtultis illudere peccatum ſit, quaſi cœco illuſeris, Exod. IV, nec Regem Deo acceptum in ſacro Cod. invenias, qui eos in delitiis habuerit; impium vero, illis delectatum, reprehendi ab Oſea VII, 5; adverſariis etiam, qui verba Eccleſ. IX: *Stultitia melior interdum ſapientia*, ut & Davidis exemplum coram Achiſcho inſanientis objiciunt, apprime reſpondet, illud de pravis mundi opinionibus intelligendum eſſe monens, hoc autem Davidi non exprobrari, imo imbecillitati potius, qua hominem ſe eſſe noverat,
48. imputari dictitans. Quæſtionem 35, an conducat, ut immediatæ Imperii Civitates in clientelam & protectionem potentioris

Digitized by Google

ſe dedat, diſtinctione expediendam eſſe cenſet; quantum enim ad eas quæ jamtum ſub protectione vivunt, affirmantium partes amplectitur ; exterorum autem clientelæ ſe ſubmittere, prohibitum omnino exiſtimat, ne avulſioni ab Imperio occaſio pandatur. R. I. 1529 §. 10. Qu. 45 ſollicite inquirit, qua pœna Alchymiſta plecti pag. 63. poſſit, qui ex ferro vel alia minera aurum vel argentum producere pollicitus, multum auri vel argenti perdidit, & nihil præſtitit, & Alchymiſtam, ſi manus tantum auxiliatrices præſtiterit, ob culpam ex loc. cond. teneri, ſi vero arcani iſtius Chymici venditor exiſtat, falſi atque ſtellionatus eſſe reum, ut adeo pro circumſtantiarum ratione morte multari queat, recte decidit. Qu. 48 Status 68. Imperii ſubditos alterius ratione delicti alibi commiſſi in apprehenſionis loco punire poſſe affirmat, motus l. 7 §. 10 C. de Interd. & Relig. & Brunnemann. ad d l. idem vero ad ipſos Status Imperii non extendendum eſſe dicit, qui nec delictis nec deprehenſionis foro adſtringantur, niſi alter hoſtili animo agat. v. Stryck. de Princ. & Stat. Imperii c. 2 n. 76. Qu. 87 Judici incumbere exiſtimat, 117 nolenti & invito defenſorem conſtituere, cum ſui corporis uſum fructum quilibet tantum habeat, & plerique cunctas defenſionis ſuæ cautelas exacte haud perſpexerint. Qu. 94 Summos Imperii 125. Vicarios, vacante ſolio, poteſtatem ſuam usque ad peracta Coronationis ſolennia jure optimo maximo exercere aſſerit, idque non exemplo ſolum Vicariatus ultimi, a Sereniſſimo & Potentiſſimo Rege Polon. & Saxon. Electore AUGUSTO, Domino noſtro longe clementiſſimo, geſti comprobat, ſed etiam expreſſis verbis Capitul. Car. VI §. 30 §. Demnach wir auch confirmat, cum ante juratam Capitulationem Imperatoris poteſtas quaſi ſuſpenſa maneat.

TRAITÉ DES DISPENSES DU CARÉME.
h. e.
TRACTATUS DE DISPENSATIONE JEJUnii quadrageſimalis.
Tom. I, II & III.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Franciſcum Fournier, 1710, 12.
Alph. 1 plag. 4.

Digitized by Google

SEcunda eſt hæc editio libri iſtius, poſtquam prior anno ante publicæ luci fuerat expoſita. In hac quædam ab Autore, quem Hecquetum, Medicinæ Doctorem, Facultati Pariſienſi adſcriptum, eſſe comperimus, ſunt reviſa, alia correcta, quædam de novo addita. Quemadmodum autem jejunii quadrageſimalis obſervantia partim in abſtinentia a certis alimentis, partim in parciori ciborum uſu conſiſtit, ad utrumque etiam potulentorum genera referenda ſunt; ita tribus tomis integer tractatus comprehenditur, quorum I de abſtinentia, II de jejunio, III de potulentorum ratione agit.

Tom. I. Duæ potiſſimum ſunt præconceptæ opiniones, quæ hominibus præ nimio amore vitæ ſuſtentandæ, & nimis anxia ſollicitudine pro ſanitate conſervanda horrorem incutiunt, quamprimum jejunii quadrageſimalis tempus appropinquat, dum ſcilicet putant, quod carnium eſus hominibus maxime ſit naturalis, imo neceſſarius, & quod alimenta macra ſanitati admodum ſint infenſa. Utrasque autem partim ex mechanica corporis humani, partim ex natura alimentorum deſtruere conatur Autor. Supponit igitur, digeſtionem alimentorum ſimplici trituratione perfici; hanc in ore per commiſſuras maxillarum & dentium inchoari, in œſophago continuari, & in ventriculo augeri. In hoc enim tanquam in muſculo concavo alimenta non minus per fibrarum motricium myriades quam proximorum muſculorum, in ſpecie abdominis & diaphragmatis, continua actione alimenta conteri, & in cremorem delicatum converti. Exin concludit, carnes animalium, triturationi non facile obtemperantes, non tam probum præbere nutrimentum, quam ſemina, grana, radices, fructus &c. Idque ulterius ex eo probat, quod jacturam, quam ſingulis momentis corpus patitur, nihil magis reſarciat, quam ſuccus lacteus, qui tamen non niſi trituratione mediante perficiatur. Mirandum hinc ducit Autor, unde libido carnibus veſcendi homines invaſerit, cum tamen earum uſum 1) ſtructura organorum in animalibus a præda viventibus a corporis humani mechanica plane diverſa, 2) homines & nationes integræ absque carnium eſu viventes, 3) ordo Creatoris, eundem prioribus ſedecim ſeculis interdicentis, 4) natura ipſa carnium, quæ male digeruntur, & pravos ſubminiſtrant ſuccos, diſſuadeant. Et quanquam quidam objiciant, terræ producta poſt diluvium

Digitized by Google

vium multum de virtute ſua priſtina perdidiſſe, indeque neceſſario vitæ humanæ terminum fuiſſe abbreviatum; ad utrumque tamen ſolide reſpondet Noſter. Explicata ſic corporis humani mechanica, ad alimentorum, quæ jejunii tempore concedi ſolent, naturam explicandam ſe accingit, incipiendo a leguminibus ad radices pergit, inde ad herbas & fructus, piſces denique examinat & tandem concludit, alimenta macra homini magis eſſe naturalia, quam carnes, minus mali ſcilicet inducendo, pluribusque morbis obviam eundo. Cauſas vero pravæ diſpoſitionis, quam vulgus malo vitæ regimini quadrageſimali tempore inſtituendo tribuit, rejicit Autor 1) in habitudinem, quam acquiſiverunt homines pinguia eſitando, & a qua conſuetudine abduci ſe ægre patiuntur, ne in ejusmodi pravam diatheſin dilabantur, veriti, cum tamen hæc diſpoſitio fini jejunii quadrageſimalis, qui in eo conſiſtit, ut quilibet naturam ſuam mortificet & reprimat, nullo modo ſit adverſa; 2) in intemperantiam, qua plerique hoc tempore magis quam alio ad plus cibandum inducuntur, 3) in potulentorum genera, quæ pro diverſo ciborum ſolidorum genio non ſatis curioſe ſeliguntur; 4) in ineptam alimentorum varietatem; 5) in condimentorum exceſſum. Ad diſpenſationes igitur ipſas progreditur Autor, quas omnino neceſſarias eſſe quandoque fatetur, inque earum naturam, antiquitatem, extenſionem & differentias inquirit, cauſasque rimatur, ob quas illæ legitimæ haberi poſſint, easque vel a debilitate, vel morbis levioribus, chylificatione læſa, puta, vigiliis contumacibus, &c. vel ab ætate, infantili ſeu ſenili, vel a vitæ ratione, ut gravidarum, nutricum, peregrinantium & mendicorum petitas, nullo modo admittendas cenſet. Unius igitur morbus ſupereſt, qui legitimam meretur veniam, ſed certus ſit, periculum minitans, actualis, & ex illorum claſſe, qui macrorum uſum ciborum ferre nequeunt, neceſſe eſt. Cautelas hinc ſubjungit, quibus quilibet hoc tempore ab omni moleſtia liber eſſe poteſt, quæ conſiſtunt in ſobrietate, in ciborum ſimplicitate, in butyri parſimonia & in permiſſione uſus ovorum, quæ quanquam alias in ſuo genere ſalubria ſint alimenta, varia tamen quandoque mala producunt, quatenus agitando ſpiritus pravas excitant cogitationes, phantaſiam diverſimode moventes, niſi probe fuerint correcta. Ad jejunium ſeu parciorem cibo-

rum uſum dum properat Autor, miros ejus, quos producit, effectus exaggerat, & concludit tandem, ſanitati magis conducere bis cibum capere, quam ſemel, & cœna largiore frui quam prandio. Hinc in antiquitatem jejunii inquirens, demonſtrat, illud omni tempore & in omnibus religionibus in uſu fuiſſe,& inter Chriſtianos in primis incunabulis in eo conſtitiſſe, ut ſemel tantum de die,idque veſperi cibum capere fuerit permiſſum.Modos inde allegat, quibus jejunii moleſtiam ſuperare allaborarunt, e.g. per merendam, ſub qua initio aquæ hauſtus intelligebatur, ſucceſſu vero temporis quivis eam ad uſum non ſolum cujuscunque generis fructuum, herbarum, & radicum,ſed & juſculorum absque butyro paratorum, lactis, caſei, artocreatum & ciborum fixorum extenderunt.Examinatis hinc omnibus ſpeciebus,quæ pro merenda aſſumi ſolent, nullam ætatem, vel ſexum, vel temperamentum vel quamcunque conditionem ab hoc jejunio diſpenſationem mereri vult, excepto ſolo morbo illius conditionis, quam in ſuperioribus deſcripſimus. Mitigari tamen poſſe hanc moleſtiam contendit, ſi lautiori merenda, aut cibis ſucculentioribus frui, & jejunium non niſi bis vel ter per ſeptimanam ſuſtinere permittatur. Delicatis vero aut infirmis ſuadet, ut bis vel ter de die parum, & nunquam ad ſatietatem usque comedant, iſto enim modo hi jejunii leges obſervare dici poſſunt,ſiquidem jejunium perferre idem ſit ac famem tolerare. Quemadmodum autem jejunii ratio in eo conſiſtit, ut, quicquid ſuperfluum, præſcindatur, ita inter potulentorum genera ſimpliciſſimum, commune, neceſſarium, & multo apparatu non compoſitum, optimum cenſet, easque proprietates omnes aquam obtinere, & ſimul triturationi inſervire, ſuccumque nutritium ex alimentis optime extrahere, contendit Autor, imprimis cum alimenta jejunii tempore conceſſa aqueæ ſint naturæ. Vinum vero & omnes inebriantes liquores damnat. Superſedere etiam tum temporis poſſe homines potionibus calidis, ut Thee, Caffe & Chocolade, exiſtimat, præſtare tamen putat, ſi ventriculi ratio habenda ſit, ejusmodi thermopoſia uti quam ſpirituoſis. Tandem media proponit, quibus ſitim fallere deceat, ita ut non opus ſit veniam impetrare, ut extra paſtum bibere liceat. De cetero nicotianæ uſum jejunii tempore damnat, ſive ejus fumus hauriatur, ſive pulvis per

nares

nares admittatur,quod eo tempore Judæi quoq; & Turcæ ab omnibus ſuffimigiis, balſamis & odoramentis abſtineant,& quod odores vel vapores interdum nutriant. Et cum omnes Autores in eo conveniant, quod Nicotianæ uſus præſervet æque a fame ac ſiti, robur corporis conſervet, & novum vigorem concedat; ideo indifferenter Nicotianæ uſum admitti debere negat.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Adami (*Cornelii*) *Exercitationes exegeticæ.* 22
Amat de Graveſon (*Ignatii Hyacinthii*) *Tract. de myſteriis & annis Chriſti.* 534
Anonymi Ludibria malevola Clerici in recenſendo Minucio Felice. 139
Demonſtratio exiſtentiæ Dei ex cognitione naturæ deducta. 203
Propagatio Evangelii in Oriente. 233
Relatio de Societate Anglicana propaganda fidei. 414
Clarke (*Sam.*) *Doctrina Scripturæ de S. Trinitate.* 258
Damaſcenus *vide* Johannes.
Dantzii (*Job. Andr.*) *Sinceritas Scripturæ prævalente Keri vacillans.* 523
Dornmeieri (*Andr. Jul.*) *Philologia Biblica.* 268
Fabricii (*Job. Alb.*) *Codex Pſeudepigraphus V. T.* 219
Felicis (*Minucii*) *Octavius ex editione Daviſii.* 139
Grabii (*Job. Ern.*) *Exempla defectuum & omiſſorum in Guil. Whiſtoni collectione teſtimoniorum contra Filii & Spiritus Sancti Deitatem.* 165
Henry (*Matthæi*) *Expoſitio Pentateuchi, Librorum Hiſtoricorum & Poeticorum V. T. Tomi III.* 337

Hottingeri (*Joh. Conr.*) *Commentarius de decimis Judæorum.* 155
Heumanni (*C. A.*) *Notæ ad Pſalterium Salomonis & Petri Cluniacenſis carmen de Miſſa.* 539
S. Johannis Damaſceni *Opera ex editione P. le Quien.* 1
R. Iſmael *Liber Seb-Jenachamenu.* 527
Kettneri (*Frid. Erneſt.*) *Hiſtoria dicti Johannei 1 Job. V, 7.* 379
Kimchi (*R. David*) *Commentarius in Pſalmos, acc. R. David Grunbut.* 357
Kugleri (*Johannis*) *Tr. Theologico-canonicus de matrimonio.* 387
Lactantii (*Firmiani*) *Inſtitutiones, per C. M. Pfaffium.* 70
Lamy (*D. F.*) *De cognitione & amore Dei.* 405
Maclot (*Edmundi*) *Hiſtoria V. & N. Teſtamenti.* 371
Maimonidis (*Moſis*) *Tr. de vacca rufa, cum verſione A. C. Zelleri.* 273
Meyeri (*Johannis*) *Diſſ. de Myſterio Trinit. ex ſolo V. T. probato.* 65
Minorelli (*Thom. Mariæ*) *Vita Pii V.* 349
Naudæi (*Philippi*) *Examen duorum Librorum Placettæ.* 341
Neumanni (*Caſparis*) *Clavis domus Heber.* 73
Nicolai (*Franciſci*) *Diſſ. de Epiſcopo viſitatore.* 381
Olearii (*Gothofredi*) *Obſervationes ad Matthæum.* 325
Ab Olibano (*Clementis Piſelli*) *Summa Theologiæ moralis.* 264
Oweni (*Jacobi*) *Hiſtoria imaginum earumque cultus.* 407
Proſperi Aquitani *Opera.* 241
Richardſoni (*Joh.*) *Narratio conatuum Hibernos ad religionem Anglicanam perducendi.* 230
Le Roux (*Sebaſtiani*) *Concordia IV Evangeliſtarum.* 495
Sartorii (*Joh.*) *Tr. de hypocriſi gentilium circa cultum Deorum.* 265
Surenhuſii (*Guilielmi*) ספר המשנה 104
Thirlby (*Styan*) *Reſponſio ad Whiſtoni Suſpiciones contra Athanaſium.* 169
Wells (*Eduardi*) *Geographiæ hiſtoricæ V. T. Pars III.* 276
Wiliſchii (*Chriſt. Frid.*) *Memoriæ Superintendentum Pirnenſium.* 330

II. *Libri Juridici.*

ANonymi *brevis Introductio in notitiam Legum nauticarum &c.* 402

Anonymi

Anonymi Capitulatio Caroli VI actis publicis illuſtrata. 151
Diatribe de receptione J. Romani, ejusque ac legum Germaniæ veterum uſu præſenti. 495
Kugler (*Jo.*) *Tractatus Theol. Canonicus de Matrimonio.* 387
Pagenſtecheri (*Al. Arnoldi*) *Sylloge Diſſertationum.* 389
Plathner (*Chr. Frid.*) *Centuria II Quæſtionum Juridico-Pol.* 554
Steiger (*Wenceslai*) *Repertorium Juris Canonici.* 388
Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *Epiſtola ad J. B. M. excerpta, de Codice Pandectarum Mediceo.* 205
Weſtenbergii (*Joh. Ortwini*) *Principia Juris ſecundum ordinem Pandectarum.* 112
Ziegleri (*Caſp.*) *Diſſertationes Academicæ.* 25

III. Libri Medici & Phyſici.

Barchuſen (*Joh. Conrad.*) *Compendium ratiocinii Chymici.* 185
De Carlowitz (*Caroli*) *Sylvicultura œconomica.* 145
Celſi (*Aurelii Cornelii*) *de Medicina L. VIII.* 215
Cowper (*Guilielmi*) *relatio eorum, quæ in diſſecto cadavere Domini Dove obſervavit.* 448
Gaukes (*Yvonis*) *Diſſertatio de Medicina ad certitudinem mathematicam evehenda.* 32
Gœlicke (*Andr. Ottomari*) *Hiſtoria Anatomiæ.* 358
Hiſtoria Chirurgiæ. 510
Hecquet *Tr. de diſpenſatione jejunii quadrageſimalis.* 555
Helwing (*Georgii Andreæ*) *Flora quaſimodo genita.* 223
Hoffmanni (*Joh. Mauritii*) *diſquiſitio corporis humani Anatomico-Pathologica.* 452
Leupoldi (*Jacobi*) *nova antlia pneumatica.* 95
Michelotti (*Petri Anton.*) *Conjectura circa naturam, cauſas & remedia morbi in boves in Italia graſſantis.* 114
Morgagni (*Joh. Baptiſtæ*) *nova Inſtitutionum Medicarum idea.* 35
Mortoni (*Johannis*) *Hiſtoria naturalis Northamtoniæ.* 435
Ramazzini (*Bernardinus*) *de contagioſa epidemia boum in Italia.* 112
Rohaulti (*Jacobi*) *Phyſica cum annotat. Sam. Clarke.* 444
Valentini (*Michaelis Bernhardi*) *univerſus medicinæ curſus.* 449

Weis-

Weis·ach (*Chriſtiani*) *cura morborum humanorum.* 274
White (*J.*) *Obſervationes circa febres.* 36
Wolffii (*Pancratii*) *Phyſica Hippocratica.* 320

IV. Libri Mathematici.

ANonymi *reſponſio ad imputationes Joh. Freindii.* 307
Bernoulli (*Johannis*) *Obſ. de motu corporum gravium.* 77. 115
Craigii (*Johannis*) *Additio ad ſchediasma de linearum curvarum longitudine Actis A. 1710 inſertum.* 315
Grandis (*Guidonis*) *Proſtaſis ad exceptiones Varignonii &c.* 511
Com. ab Herberſtein (*Ferdinandi Erneſti*) *nova analyſis planogeometrica.* 519
Hortelii (*Chriſtiani Gottlieb*) *novum inventum Microſcopii.* 315
A S. Joſepho (*Auguſtini Thomæ*) *Sylloge epiſtolarum Mathematicarum.* 425
Landsbergii (*J. H.*) *nova muniendi ratio.* 149
Marchetti (*Alexandri*) *Epiſtola apologetica contra P. D. G. G.* 76
Epiſtola ad Bern. Treviſanum contra eundem. 519
Milnes (*Jacobi*) *Sectionum conicarum elementa.* 315
De Rohr (*Jul. Bernardi*) *Mathematum indoles ac uſus.* 218
Scamozzi (*Vincentii*) *Opera Architectura.* 148
Whiſton (*Gulielmi*) *Prælectiones Phyſico-Mathematicæ.* 359

V. Libri Hiſtorici, Geographici &c.

ANonymi *Capitulatio Caroli VI illuſtrata.* 151
Numiſmata hiſtorica A. 1701, 1702, 1703. 280
Banduri (*Anſelmi*) *Imperium Orientale. Tomi II.* 49
Burckhard (*Jacobus*) *de Lingua Latina in Germania fatis.* 352
Cooke (*Eduardi*) *Iter per mare pacificum & circa Orbem univerſum.* 417
Furſtenbergii (*Ferdinandi*) *Ep. Paderb. Monumenta Paderbornenſia.* 16

Digitized by Google

Heumanni (*C. A.*) *Fabula de Hippocrate ad Democriti inſaniam curandam evocato.* 458
Imhof (*Jac. Wilb.*) *Genealogia XX illuſtrium in Hiſpania familiarum.* 97
Junckeri (*Chriſtiani*) *Theatrum mundi Ludolphianum continuatum. Tomus III.* 101
Leuckfeld (*Joh. Georgii*) *Antiquitates Burſfeldenſes, Ringelheimenſes & Northeimenſes.* 20
Antiquitates Katelenburgenſes, Kaltenbornenſes & Wienhuſinæ. 21
Lipinski (*Gratiani Severini*) *Sicilimenta ad Epiſtolas Zaluski.* 200
Ludolfi (*Jobi*) *Theatrum mundi. Tomus III.* 101
Ludewig (*Joh. Petri*) *Noriberga inſignium imperialium tutelaris.* 175
Lûnigii (*Joh. Chriſtian*) *Litera Procerum Europæ.* 38
Orationes Procerum Europæ. 463
Des Maizaeaux *Vita Boilavii.* 55
Manzelius (*Joachimus*) *de claris Georgiis.* 333
Meierus (*Joachimus*) *de numo quodam Poſthumi.* 297
Origines & antiquitates Pleſſenſes. 363
Meliſſantis *deſcriptio curioſa Caſtellorum quorundam Germaniæ.* 227
Musgrave (*Guil.*) *Commentarius ad Epitaphium Julii Vitalis.* 397
Prætorii (*Ephraimi*) *Athenæ Gedanenſes.* 103
De Rouviere (*Henrici*) *Iter per Galliam.* 527
Rymeri (*Thomæ*) *Acta publica Anglicana. Tomus X.* 8
Wiliſchii (*Chriſtiani Frid.*) *Incunabula Scholæ Annæbergenſis.* 331
Zaluski (*Andr. Chryſoſtomi*) *Epiſtolarum hiſtorico-familiarium Tomus III.* 193

VI. Libri Miſcellanei.

Ackeri (*Joh. Henrici*) *Opuſculorum eloquentiæ Faſciculus II.* 140
Anonymi Apologia pro J. C. Vanino. 173
Novi Dialogi Deorum. 477
Aymonii *obſervatio circa ſcientiam univerſalem Confutii.* 46
Bergleri (*Steph.*) *Animadverſiones ad Gronovii emendationes in Suidam.* 268

Bœcleri (*Joh. Henr.*) *Operum T. III & IV.* 137
Borbonii *Principis de Conti* (*Armandi*) *Opera.* 334
Bos (*Lamberti*) *Ellipſes Græcæ cum additionibus C. Schœttgenii.* 365
Cuſteri (*Ludolfi*) *Defenſio Suidæ Cantabrigenſis contra J. G.* 269
Creſcimbenii (*Joh. Mariæ*) *Vitæ Arcadum illuſtrium Tomus II.* 500
Etymologicum magnum. 484
F. D. C. Exploratio fundamenti, ſuper quo Dn. Renau Theoriam ſuam navalem ſtruxit. 419
Fabricii (*Joh. Alb.*) *Bibliographia antiqua.* 254
Horatii *Satyræ & Epiſtolæ in Anglicum verſæ per Dunſterum.* 369
Editio R. Bentleji Amſteladamenſis. 393
Horchii (*Henr.*) *Archetypus naturæ ſpiritualis & corporeæ.* 467
Kochius (*Joh. Chriſtianus*) *de ordinanda bibliotheca.* 466
Kuhnii (*Joh. Caſp.*) *Orationes Panegyricæ.* 138
Langii (*Joh. Chriſtian.*) *nucleus logicæ Weiſianæ.* 367
Larrey *Hiſtoria VII Sapientum.* 455
Lilienthal (*Mich.*) *de Machiavelliſmo literario.* 474
Lunig (*Jo. Chriſtiani*) *Literæ Procerum Europæ.* 38
Orationes Procerum Europæ. 463
Maffei (*Pauli Alexandri*) *Gemmæ veteres. Pars II, III & IV.* 463
•Martin (*Gabrielis*) *Bibliotheca Bultelliana.* 329
Poetarum *veterum opera & fragmenta.* 483
Phavorini (*Varini*) *Theſaurus Linguæ Græcæ.* 241
Relandi (*Hadriani*) *Epiſtola ad Comitem Kniphuſanum de numo aureo &c.* 467
Richteri (*Gottfridi*) *Specimen obſervationum criticarum in varios Autores.* 401
Le Roy (*Philagrii*) *Philoſophia radicalis eclectica.* 581
Struvii (*Burc. Gotthelff*) *Acta literaria ex MStis collecta. Tom. VIII, IX & X.* 141
Theophraſti *Characteres ethici ex edit. P. Needhami.* 394
Thomaſii (*Jenkini*) *Diſſertationes varii argumenti.* 186
Trapp (*Joſephi*) *Prælectiones Poeticæ.* 544
Wolfii (*Chriſtiani*) *de viribus intellectus humani, earumque in veritate cognoſcenda uſu legitimo.* 153

INDEX

Google

INDEX RERUM NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

ABelonii *hæretici.* 250
Abrahami *Hiſtoria fabulis corrupta.* 253
Abraxea *myſteria illuſtrata.* 300
Acidularum *examen.* 440
Acidum *cum ſolido vario copulatum varias ſortitur figuras.* 185
Adamo *Scripta ſuppoſita.* 249
Advocati *conſiſtorialis in aula Romana quæ dignitas?* 506
Æquatio *phyſica Kepleri commendata.* 427
Æraria poetica *rejecta.* 552
Aeris *reſiſtentia in motu pendulorum nulla.* 86
ſalubritas unde? 441
Æſculapii *cultus apud Pergamenos.* 23
Ætas *arborum unde cognoſcatur?* 146
Alcalicus *ſpiritus rectificatus cum ſpiritu vini coagulatur.* 185
Alchemiæ *nimium ſtuduit Peſciullus.* 505
Alchemiſtæ *qua pœna plectendi?* 555
Alchemiſticus *Proceſſus.* 530
Alimenta *quæ nutritioni maxime conveniant?* 556
ut digerantur? 556
Allatius (*Leo*) *editionem Damaſceni paravit.* 1
Allegorici *ſenſus hiſtoria promittitur.* 328
Amarorum *medicamentorum natura.* 324
Analyſis *Hugonis de Omerique qualis?* 519
nova plano-geometrica. 519
Angliæ *Regis redituum annuorum index antiquus.* 16
De Anglicanæ *Eccleſiæ prærogativa diſſ. inedita.* 166
Anglicana *Religio ut in Hibernia ſtabilita?* 231 *ſeq.*
Angulus *contactus an infinite parvo ad centrum circuli oſculantis æqualis?* 516
Anima *corpori humano quid præſtet?* 275
Animalia *Northamptonenſia.* 442
Annuli *figulini vel vitrei Druidarum faſcina vel amuleta.* 443
Anonymi *detecti.* 56, 62, 102, 329, 489, 495
Antlia *pneumatica nova.* 95, 96
Antliam *Boylianam correxit Gabriellus.* 502
Apolliniſtarum *fraudes.* 3
De Apotheoſi *liber affectus Marcelli Severoli.* 303

Aqua *eſt receptaculum veri olei.* 185
veri ſalis. ibid.
Aquæ *lapidifica.* 440
Arbores *peſte proſtrata.* 140
Arborum *ætas unde cognoſcatur?* 140
exoticarum transplantatio commendata. 146
phænomena ad rationes phyſicas revocata. 146
ſpecies enumerata. 147
ſylveſtrium plantatio deſcripta. 146, 147
Archimedis *philoſophandi methodus.* 309
Architectonicorum *operum delineationes egregiæ.* 148, 149
Arii *mors miſerabilis confirmata.* 171
Ariſtoteles *diſcipulo apparens damnatum ſe teſtatur.* 533
In Ariſtotelem *variorum convitia.* 532 *ſq.*
Aromatum *natura.* 324
Ars *muniendi nondum perfecta.* 149
Artium *liberalium finis.* 221
Aſinini *capitis adoratio an Chriſtianis imputata?* 140
Aſtrologia *impugnata.* 362
Athanaſius *contra Whiſtonum vindicatus.* 169
Athanaſii *Epiſtolæ tres nuper primum editæ.* 53
Athingani *qui?* 251
Atomi *in Philoſophiam revocati.* 446
Attractio *aſſerta.* 445
in Philoſophiam modernam non recepta. 311
impugnata. 308 *ſeqq.*
quo reſpectu admittenda? 361
Attractionis *cauſa.* 313
Ad Aventini *Annales ſupplementa.* 141
Averani (*Benedicti*) *vita.* 507
Aureus *pueri dens.* 224
Axiomatis *definitio.* 134
Azymorum *uſus quando cœperit?* 6

Baroſcopii *phænomena ubi recenſeantur?* 445
Belgium *Anglicanum.* 398
Beliſarius *num mendicaverit?* 51
Bellonæ *ſanguine & ſiniſtro femore proſciſſo ſacrificabatur.* 301
Benedictinorum *Congregatio Burſfeldenſis.* 20
monaſteria aliquot inſigniora in Germania. 20, 21
Benſon (*Martinus*) *commendatus.* 315
Bibliotheca *Taurinenſis laudata.* 73
Eſcurialenſis aucta. 100
De Bibliothecæ *Altieriana opuſculis*

ſculis rarioribus liber. 506
Bibliothecæ *Sangallenſes a Tigurinis & Bernenſibus occupata.* 188
Billii *verſio Damaſceni notata.* 2
Bituminoſorum *ceſpitum in Miſnia deſcriptio.* 147
Boilaviorum (*Guilielmi, Jacobi & Nicolai*) *elogia.* 55 *ſeq.*
L. B. Boineburgi (*Jo. Chriſtiani*) *Scripta affecta.* 142
Borrii (*Franc. Joſ.*) *fata.* 102
De Boum *contagio varia.* 111, *ſq.*
Boylii (*Rob.*) *in pias cauſas munificentia.* 414
Branchidarum *Hiſtoria afferta.* 164
Burkitti (*Wilh.*) *Explicatio Libr. N. T. laudata.* 338

CAbrera de Cordua (*Ludovici*) *Hiſtoria manca eſt.* 192
Cadavera *a Chriſtianis recens converſis combuſta.* 443
Cajani *haeretici.* 250
Calculus *in urethra pueri ſemeſtris diu harens.* 442
Calculi *renum miri.* 95
Calor *ſanguinis quando maximus?* 33
Caloris *in motum pendulorum influxus ut aſtimandus?* 82
Cantelmi (*Andr.*) *vita.* 501
Capitalatus *in Gallia dignitas inſignis.* 14
Capitulationis *perpetua negotium.* 151
De Capua (*Leonhardi*) *vita.* 501
A Carnium *eſu cur abſtinendum?* 556
Caroli M. *Corona qualis?* 180
Cartarii (*Caroli*) *vita.* 505
Centri *oſcillationis determinatio genuina unde pendeat?* 88
Certitudinis *mathematum cauſa.* 32
Ceſpitis *natura & fodiendi praparandique ratio.* 437
Ceſpitum *bituminoſorum in Miſnia deſcriptio.* 147
Chami *Hiſtoria illuſtrata.* 251
Chemia *Geometrice demonſtrata.* 185
— *non admittit demonſtrationes tam evidentes, quales habet Matheſis.* 186
Chirothecis *non utebantur Romani.* 181
Chirurgiæ *antiqua Hiſtoria.* 510
— *ſtudioſi a Medicis inſtruendi.* 511
Chryſoſtomi *Epiſtola ad Caſarium an genuina?* 4
Ciampini (*Joh. Juſtini*) *vita.* 503
Circuli *quadratura.* 96, 222, 223, 427
— *in numeris finitis impoſſibilis.* 427
Circumjovialium *in Jovem gravitas quanta?* 360
Circum-Saturniorum *gravitas in Saturnum quanta?* 360
Citationes *Mathematicorum com-*

commendata. 136
Civitates *Imperii liberas num in clientelam potentioris concedere conducat?* 554
Clementis *Alexandrini ſcripta vindicata.* 168
Cliviæ *Dux vaſallus homagialis Regis Angliæ.* 15
Cluniacenſis *vide* Petrus.
Coagulatio *fluidorum commixtorum.* 185
Cohæſionis *cauſa.* 446
Colorum *hypotheſis Neutoniana impugnata.* 447
S. Columbanus. 71
Ad Columnas *Poetæ carmina ſua prælegebant.* 302
Cometarum *theoria.* 448
Cometographiæ *recentiores.* 362
Comierianum *problema ſolutum.* 420
Comites *inſtituendi ritus ſingularis.* 100
Comœdiæ *qualis ſtylus conveniat?* 553
Conceptio *tubaria.* 454
Conchylia *petrefacta quid & unde?* 439
Concilii *Conſtantinopolitani I. ordo & forma.* 53
Confucii *philoſophia corrupte edita.* 46
Confutandi *methodus.* 136
Confutationes *a convitiis liberæ eſſe debent.* 137
Conſulatus *Cæſarum computandi ratio.* 303
Conſules *maritimi qui fuerint?* 403
Contagii *bovini in Italia cauſa.* 111, 114
Convincendi *methodus.* 136
Corona *Caroli M. arcuata fuit.* 180
Corporis *robur unde pendeat?* 33, 34
Coulejus *Poeta Anglus notatus.* 550
Crucis *figura in urnis.* 443
Cryptographiæ *peritiſſimus fuit Walliſius.* 398
Curvæ *quænam geometricæ?* 427
De Cycloidibus *tractatus promiſſus.* 96

DAlmatiæ *antiquitates illuſtrata.* 53
Dalmatii *anecdota.* 54
Damaſii *Philoſ. Platonici opus ineditum* περὶ ἀρχῶν. 398
Danduli (*Andr.*) *chronicon Venetum ineditum.* 54
Definitiones *inveniendi methodus.* 136
Definitionum *indoles.* 133, 134
Dei *exiſtentia demonſtrata.* 203, 444
per naturæ contemplationem apodictice probari nequit. 204
Delphinatum *Viennenſem a Sigismundo petiit Angliæ Rex.* 14

Democritus *an oculis ſe privarit?* 458
Ad Democritum *curandum num Hippocrates vocatus fuerit?* 459
Demonſtrandi *methodi varia.* 32
rigor a recentioribus plerumque negligitur. 35
Demonſtratio *perfecta qualis?* 135
Demonſtrationis *partes.* 32
Demonſtrationes *exiſtentiæ Divinæ quænam certiores?* 204
Demonſtrationum *in Medicina exempla.* 33, 34
Mathematicarum indoles. 34
Dens *aureus pueri.* 224
Diluvii *effectus in terram.* 437
Directio *objectorum per microſcopium ut optime fiat?* 316, 317
Diſcernentium *Secta.* 51
Drakius *num primum orbem circumnavigaverit?* 418
Dryden, *Poeta Anglus, laudatus.* 551
Dugdali (*Wilh.*) *vita.* 480
Dulce *quid?* 323
Dura *mater cranio adhærens.* 449

Ebionitæ *qui dicti fuerint?* 6
Eclipſis *Solaris A. 1706 obſervatio.* 426
Eclipſium *lunarium obſervandarum apparatus.* 427
obſervatio cur difficilis? 447
Efferveſcentia *non ſemper oritur ex conjunctione alcali & acidi.* 185
Eggelingii (*Joh. Henr.*) *Elogium.* 190
Eiſenſchmidii (*Joh. Caſp.*) *Elogium.* 280
Elementa *Carteſii rejecta.* 33, 446
Eloquentiæ *neglectæ cauſa.* 138
Cum Eloquentia *reliqua ſtudia vel florent vel jacent.* 138
Enochi *Prophetia.* 250
Ἐπαγγέλλειν *vox forenſis.* 23
Epicurei *refutati.* 204, 205
Epiſcopum *eligendi ritus mediis ſeculis uſitati.* 382
Epiſcopi *Cardinalis officium.* 382
Epithetorum *in Poeſi uſus.* 551
Erb⸗Feuer⸗Herrn Amt. 365
Errorum *origo & remedia.* 136
De Errorum *in R. P. uſu Diſſertatio.* 142
Eruditi, *qui ſe pingi noluerunt.* 267
Eſſentiæ *rerum non pendent ab arbitrio Dei.* 311
Eſſentia *materiæ.* 445
Evæ *hiſtoria fabulis contaminata.* 250
Eudoxiæ *Auguſtæ Jonia, opus ineditum.* 54
Euſtachii *Tabulæ Anatomicæ promiſſæ* 481
Exiſtentia *Dei demonſtrata.* 203, 444
per contemplationem

Digitized by Google

nem univerſi evidenter non demonſtratur. 204
Experientiarum *definitio.* 134
Extenſio *non eſt eſſentia materiæ.* 445

FAbricenſes *quales fuerint?* 397
Febris *cauſa.* 34
Febres *malignæ ſanguinis miſſionem ferunt.* 38
In Febribus *continuis larga conducit ſangvinis miſſio.* 37 *ſeq.*
Ephemeris quantum ſangvinis mittendum? 38
Fellis *folliculus magnus in hydropica obſervatus.* 319
Fertilitas *ſoli unde?* 147
Feuſtkingii (*Joh. Heinr.*) *elogium.* 284
Fidei *certitudo unde?* 136
Figurativæ *locutiones poemati quam proſæ magis conveniunt.* 550
Filicaja (*Joh. Heinr. Vincentii*) *vita.* 503
Flavi *Græcis apellantur populi Septentrionales.* 52
Fluidorum *commixtorum coagulatio.* 185
reſiſtentia illuſtrata. 115 & *ſeqq.*
Fontium *origo.* 441
Forſtneri (*Chriſtophori*) *elogium.* 138
Frantzkii (*Georgii*) *vita.* 521
Fürſtenbergiorum *genealogia.* 19
Fürſtenbergii (*Ferdinandi*) *Epiſcopi Paderbornenſis, epitaphium.* 19

GAbrielli (*Pirrhi Mariæ*) *vita.* 502
Galilæi *elogium.* 28
Galilæus *promotus.* 27, 28
Gedanenſis *Gymnaſii Hiſtoria.* 103
Geometria *cur tam diligenter in Ægypto exculta?* 23
Geometricæ *curvæ quænam?* 427
Germanicarum *legum autoritas.* 498, 499
Globus *Imperialis jam Caroli M. temporibus in uſu fuit.* 182
Grabii *MSta quo pervenerint?* 166
Grandus *notatus.* 26 & *ſqq.* 519
Grapii (*Zachariæ*) *elogium.* 385
Gravitas *prope æquatorem minuitur.* 81
eſt vis primigenia. 448
unde oriatur? 445, 448
planetarum primariorum in Solem, ſecundariorum in primarios. 360
Gravitatis *vires in diverſis locis quomodo æſtimandæ?* 80
Gravitates *ſpecificæ ope pendulorum inveſtigantur.* 87
Gravium *motus illuſtratur.* 77 *ſq.*
Gregorii *Abeſſini vita & mors.* 103

Digitized by Google

Gregorius (*David*) *notatus.* 361
Guaſtallæ *Ducis in Mantuanum Ducatum prætenſiones.* 154
Guionia *Autor creditur Meditationum ad N.T.* 489
Guttarum *rotunditas unde?* 447
De Guzmann (*Maria Petronella*) *fœmina erudita.* 99

HÆſitantium *Secta.* 31
Hennebergici *Principatus Hiſtoria promiſſa.* 103
Henricus V *Angliæ Rex quo die obierit?* 10
Hepar *ſphacelosſum.* 449
Herberſteinius *Comes commendatus.* 221, 426
De la Hire *notatus.* 82 94
Hiſtoriæ *naturalis Poloniæ Scriptores.* 224
Homeri *conſecratio in numo.* 295
Horologia *oſcillatoria noctu anticipant.* 427
Hugonis *de Omerique Analyſis unde orta?* 519
Hydatides *ovarii fœminei.* 453, 454
Hydropicæ *anatome.* 319
In Hydropica *fellis folliculus magnus obſervatus.* 319
Hydropis *ovarii fœminei cauſa.* 453

IApetus *fuit tertio genitus filius Noachi.* 251
De Jejunii *quadrageſimalis diſpenſatione Tractatus Medicus.* 555
Ignis *Culinaris materia.* 185
Illuminatio *objectorum per microſcopium contemplandorum.* 317, 318
Illuſtratus *dignitas.* 52
Imperatorum *Germanorum amictus an ſit a Carolo M.?* 180
Ab Indagine (*Joh.*) *Abbas Burſfeldenſis laudatus.* 20
Infinitum *quo ſenſu ſit inexhauſtibile?* 513
Inſectorum *novæ ſpecies.* 442
Inveniendi *methodus Tſchirnhuſii qualis?* 220
Inveſtigantium *Academia.* 101
Joſephi *Patriarchæ hiſtoria fabulis corrupta.* 253
Iſidis *ex anſere ſacrificium.* 301
Italia *in duas partes & XVII provincias a Conſtantino M. diviſa.* 383
Iter *facientibus Matheſis utilis.* 220
Judæi *concilium celebrant A.*1650, 410
De Jure *belli inter literatos Oratio.* 138
De Jure *gentium, quo orbis literarius utitur, Oratio.* 138
De Jure *Majeſtatis Samuelis liber confictus.* 254
Jura *Juſtinianea ante XV Sec. Germaniæ incognita.* 495

K
Altenbornenſe *monaſterium.* 22
Katelenburgenſe *monaſterium.* 21
Keplerus *Philoſophia Newtoniana parens.* 362

L
Actis *ſacchari compoſitio.* 450
Lambecius *notatus.* 51
Lancea *Dominica inter reliquias Imperiales pro vera aſſeritur.* 183
De Langarum *feudis controverſia.* 153
De Langvedocia *cedenda inter Sigism. & Angliæ Regem agitur.* 15
Lapides *memorabiles Comitatus Northamptonenſis.* 437
Lapidum *concretio.* 438, 439
Leibnitius (*G.G.*) *laudatus.* 89, 221
Levitas *& gravitas inverſa.* 86
Levitatio *corporum in fluidis.* 86
Lezneri (*Jo.*) *laus.* 363
Libri *quomodo dijudicandi?* 136
quomodo cum fructu legendi? 136
Ligna *per ſationem conſervanda.* 146
Lignorum *defectus paſſim per Germaniam cauſa.* 146
defectui quomodo ſuccurrendum? 145
uſus. 147
Limborch (*Philippi*) *elogium.* 41
Lipinski (*Gratianus Severinus*) *quis ſit?* 200
Logomachiarum *ortus.* 134
Lothi *hiſtoria fabulis corrupta.* 253
Lucis *radius perpendicularis in ſe non contrahitur.* 446

M
Achinæ *inviſibiles.* 33
De Machiavelliſmo *Literario Diſſ.* 474
Magneticis *experimentis celebris eſt Dn. de Pugeais.* 530
Mahumedi *doctrina ubi tradatur?* 360
Mantuani (*Petri*) *animadverſionum in Marianæ hiſtoriam verſio promiſſa.* 192
Manumiſſi *per vindictam.* 303
B. Mariæ *Virginis cum Joſepho matrimonium num verum?* 534
Mariottus *commendatus.* 447
De Marſorum *Viris illuſtribus liber novus.* 144
Maſora *enervata.* 525
Materia *qualis a Deo condita?* 446
Materiæ *eſſentia.* 445
Mathematicæ *diſciplinæ ad Theologiam utiles.* 30
Mathematicæ *ſcholæ in uſum artificum erigendæ.* 220
Mathematica *problemata ſoluta.* 426 *& ſeqq.*
Mathematicorum *citationes commendantur.* 136

Mathematicum *ſtudium an difficile?* 221
an periculoſum? 221, 222
Mathematum *certitudo unde?* 32
Matheſeos *Elementa Wolfiana commendata.* 222, 419
in itineribus uſus 220
uſus multiplex defenſus. 135
Matheſis *ab objectionibus liberata.* 220
an nimios requirat ſumtus? ibid.
quomodo intellectum acuat? 218, 219
quomodo voluntatem emendet? 218
Mathuſalæ *Schola.* 250
Matthæi (*Laurentii*) *vita.* 507
Mauritii *Martyris Hiſtoria aſſerta.* 182
Mechanicarum *potentiarum vires.* 445
Mechaniſmus *quid?* 322
Medicarum *Inſtitutionum Idea nova.* 35
Medici *requiſita.* 35, 36
Medicina *quas veritates demonſtret?* 32
nov-antiqua. 449
quomodo ad certitudinem Mathematicam evehenda? 32
Medicina *eſt ſcientia practica.* 321
Medicinæ *certitudo unde?* 32
objecta. 33
principia. 32, 33
De Medicinæ *origine & incertitudine Liber.* 501
Melchiſedeci *Hiſt. illuſtrata.* 252
Meliſſantes *quis?* 227
De Mendoza (*Didaci Hurtado*) *in literas Græcas ſtudium.* 99
Mercurius, *principium Chymicum.* 323
Meſſerii (*Gregorii*) *vita.* 205
Metalla *ut per carbones ceſpitum bituminoſorum fundenda?* 147
Methodi *demonſtrandi varia.* 32
Methodus *confutandi.* 136
convincendi. ibid.
inveniendi definitiones. 134
inveniendi Tſchirnhuſii unde deſumta? 220
muniendi Rimpleri illuſtrata figuris. 149
philoſophandi vera vindicata. 308
Metropoliticarum *ſedium in Occidente Catalogus.* 383
Microſcopium *novum.* 315
Milliaris *columna in numo Auguſti aſſerta.* 480
Mineralium *formatio.* 439
De Mirandolæ & *Concordiæ Feudis reſtituendis controverſia.* 159

Moneta *Dea.* 299

Monlucius *Proteſtantibus initio adhæſit.* 529

Monophyſitæ *falſo Patrum quorundam conſenſum jactant.* 3

Moriones *num in aulis Principum tolerandi?* 554

Moſis *Hiſtoria illuſtrata.* 254

Morborum *curatio vera.* 274

— *acutorum curandorum baſis ſanguinis miſſio.* 36

Mortis *cauſa.* 322

Motus *circularis non eſt naturalis.* 445

— *gravium illuſtratus.* 77 *ſeqq.*

— *pendulorum.* *ibid.*

— *perpetuus abſurdus.* 447

— *reflexus qualis?* 445

— *reptorius Cragio probatus.* 315

Mundi *corporei exiſtentia demonſtrari nequit.* 444, 445

— *plures eſſe nequeunt.* *ibid.*

Mundus *a Deo conditus.* 204, 205

— *an cœperit, a multis dubitatur.* 205

Muniendi *ars nondum perfecta.* 149

Muniendi *ratio nova.* 149

Munimenti *inexpugnabilis conſtructio.* 150

Mutum *loqui docuit Emanuel Ramirez de Carion.* 100

NAtura *humana quid?* 32, 322

Nazarei *Chriſtiani qui fuerint?* 6

Nemauſenſes *antiquitates illuſtratæ.* 530

Newtoniana *hypotheſis colorum impugnata.* 447

— *Philoſophia illuſtrata.* 360

Newtonianæ *Philoſophiæ parens Keplerus.* 362

Newtonus (*Iſ.*) *notatus.* 77

— *refutatus.* 93, 95, 120, *ſeqq.* 130

— *Calculi differentialis indolem non ſatis perſpexit.* 93, 94

— *ob ignorantiam calculi differentio-differentialis Leibnitiani in errores incidit.* 95, 120

Nicænum *Concilium II notatum.* 411

Nihila *infinita an faciant aliquid?* 29 *ſqq.*

Nihil *ex nihilo fit.* 31

Nicotianæ *virtutes ſingulares.* 559

Noachi *Hiſtoria fabulis involuta.* 251

Nobilium *in Germania cognomina unde orta?* 363

Nocturna *Academia.* 509

Nonconformiſtæ *Statum Eccleſiæ in nova Anglia turbant.* 415

Nort-

Northeimenſes *Comites.* 21
Noſtradami *autoritas negata.* 529
Notiones *inveſtigandi methodus.* 133
quando diſtincta, obſcura, confuſa? 133
Notionum *analyſis in quo conſiſtat?* 134
Numus *ignotus.* 443
Numismaticum *Dictionarium promiſſum.* 240

ODor *in quo conſiſtat?* 447
Olearii (*Joh.*) *Elogium.* 428
Olei *veri receptaculum ſunt aqua & terra.* 185
Oleum *vitrioli effervescit cum acidis.* 185
Oleronenſe *Jus a quo conditum?* 404
Ophitarum *hereſis illuſtrata.* 250
Optica *Newtoni illuſtrata.* 361
Orbitæ *Plantarum vera elliptica.* 131
Ovarii *fœminei hydropis cauſa.* 453
hydatides. 453, 454
Ovidius & *Virgilius qua in re differant?* 550
Ovum *in ovo.* 442

PAlatinæ *Leges Jacobi Arragoniæ Reg. laudatæ.* 177
Palladium *Veſtæ illuſtratum.* 362
Pallavicini (*Nicol. Mariæ*) *vita.* 503
Pallium *Imperiale cur hermelino careat?* 181
Paracentheſis *in hydropica adhibita.* 318
Pathologica *diſquiſitio corporis humani.* 452
Pendula *quænam iſochrona?* 79
Pendulorum *figura optima.* 84, 86
motus illuſtratus. 77 *ſqq.*
a calore alteratur. 82
in fluidis qualis? 83
uſus in gravitatibus ſpecificis determinandis. 87
Peritonæi *proceſſus inflammati & gangrænati.* 454
Perſpiratio *ſanguinis mittendi quantitatem determinat.* 37
Peſchiullus (*Andreas*) *infelicis literati exemplum.* 504
Peſtis *arbores proſternit.* 146
Petrefactio *corporum non fit a virtute petrifica.* 438
Petri *Cluniacenſis Carmen de Miſſa notis criticis emendatum.* 542 *ſq.*
De Φαβιϱάνῳ *Ptolemæi Diſſ.* 191
Phænomena *Baroſcopii.* 445

Phavorini (*Varini*) *Elogium.* 241
De Philoſophia *Diaboli lib. pro miſſus.* 269
Philoſophandi *methodus Archimedis.* 309
Phyſica *Hippocratica.* 32(
Phyſico-critica *Academia Arcadum colonia.* 502
Phyſico-mathematica *Romana Academia.* 508
Planetarum *orbitæ quales?* 131
motus. 448
Plantæ *indigenæ Pruſſiæ.* 223
Plantarum *collectio.* 227
Plantaria *ſylveſtria commendantur.* 147
Plantatio *arborum ſylveſtrium.* 146, 147
In Poemate *ſonorum babenda ratio.* 550
nom. aſperitas toleranda? 551
ſtyli qualis babenda ſit ratio? 552 *ſq.*
Pœnitentia *fera periculoſa* 202
Poeſis *defenſa.* 545 *ſq.*
Poeſeos *definitio.* 547
voluptas, dignitas, origo. 547 *ſq.*
ab Oratoria differentia. 548 *ſq.*
Poetæ *cur naſci dicantur?* 548
Poetarum *veterum virtutes.* 546 *ſq.*
Poetica *lectura nova Oxonii inſtituta.* 545
De Poetico *ſtylo obſervationes variæ.* 549 *ſq.*
Poeticus *furor qualis?* 548
Poloniæ *Hiſtoriæ naturalis Scriptores.* 224
Polypus *in ſinu ſuperiori falcis.* 449
De Ponderibus & *menſuris Liber.* 144
De Poſtarum *per Imperium Jure controverſia* 155
Poſtulatorum *definitio.* 134
Præcipitatio *in corpore bumano.* 324
Præſepe *Chriſti inter reliquias Imperiales.* 180
Precandi *mores antiqui.* 267
Problemata *quomodo reſolvantur?* 135
Problematum *definitio.* 134
Procopii *Gazæi comm. in Hepta- teuchum promittitur.* 329
Projectilium *motus illuſtratus.* 77 *ſqq.*
Propoſitionum *diviſio.* 134
Pruſſiæ *plantæ indigenæ.* 223
Hiſtoriæ naturalis Scriptores. 224
In Pſalterium *Salomonis notæ criticæ.* 539
Puffendorfius *notatus.* 219
De Purgatorio *quid Græci ſentiant?* 5
Putrefactio *in corpore bumano.* 3?4

Quadratura *circuli.* 96, 222, 223, 427
Quadraturam *circuli parat de Ligny.* 96
Qualitates *primæ illuſtratæ.* 29
Qualitatis *occultæ indoles.* 340

Racinii *cum Pradono lites.* 60
Radii *luminis quid?* 447
Raptus *pœna num teneatur fœmina, quæ marem rapuit?* 554
Reflectio *quomodo fiat?* 447
De Reformatione *nondum perfecta Theologorum Anglorum ſententia.* 167
Refractio *quomodo fiat?* 447
Renaudi *cum Hugenio lites.* 96
Renum *calculi miri.* 95
Reſiſtentia *aeris in motu pendulorum nulla.* 86
fluidorum. 89, 115 *ſq.*
ſolidorum. 29, 31, 37
Reſiſtentiæ *vis quænam?* 88
Rhodiæ *Leges antiquiſſimæ.* 403
Rimplerus *commendatus.* 149
Rivini (*Q. Sept. Flor.*) *elogium.* 234
Robur *corporis unde pendeat?* 33, 34
Rohaultianæ *Phyſicæ verſio nova.* 444

Σ figura *quando in C. mutata?* 51

Sacerdotium *an recte Cæſaribus tribuatur?* 181
Sacrificia *meretricia illuſtrata.* 302
Sadducæi *in Karreos degenerant.* 2
Sagitta *e navi celerrime mota emiſſa cur in eam recidat?* 445
Sal *conficiendi modus in Anglia quæſitus.* 16
Salia *Chymicorum quotuplicia?* 323
Salis *verum receptaculum ſunt aqua & terra.* 185
Salomonis *hiſtoria illuſtrata.* 253
Pſalterium notis criticis emendatum. 539 *ſqq.*
Sanguinis *calor quando maximus?* 3
miſſio eſt baſis febrium & morborum acutorum curandorum. 36
mittendi quantitas. 36
Sapor *in quo conſiſtat?* 447
Saxoniæ *Electorum cum Sabaudia Ducibus amicitia.* 40
auxilia Henrico IV R.G. lata. 39
Scamozzi *Architectura Gallice verſa.* 148
Schiſmatis *inter Græcos & Latinos hiſtoria.* 2, 3
Scholæ *Mathematicæ in uſum artificum erigendæ.* 220
Scientia *in quo fundetur?* 135
Anti-Scorbuticorum *medicamentorum*

Digitized by Google

mentorum natura. 324
Scoticæ *eccleſiæ hiſtoria.* 40
Scripturam *ſacram interpretandi fundamentum.* 136
Scripturæ S. *loca explicata:*
Gen. I, 26. 67
I, II, 22. 67
IV, 15. 250
XIV, 20. 155
Levit. XXIII, 15. 158
Deut. VI, 4. 65
2 *Sam.* IIX, 13. 278
XIII, 13. 278
Job. XXXV, 10. 67
Pſal. XLIX, 2. 67
Eſ. VI, 1-10. 168
XIX, 11. 12. 23
Jer. LI, 8, 9. 25
Matth. I, 2. 22. 326
18. 535
II, 6. 326
III, 7. 326
13. 14. 327
IV, 5, 8. 327
6. 269
15, 16. 328
Luc. I, 27. 534
34. 535
XVI, 22. 253
Job. IIX, 58. 259
XIV, 7-11. 259
Act. II, 1. 23
15. 24
Act. VII, 17. 21. 28
22. 23
XII, 13. 24
Rom. I, 32. 24
1 *Cor.* II, 10. 260
Col. I, 15. 260
1 *Tim.* I, 12-17. 214
III, 8. 223
1 *Job.* V, 7. 70
Ebr. VII, 3, 4. 156, 251
5. 158
Apoc. XX. 538
Sectionum *conicarum elementa.* 315
Sedendi *mos in ſacrificiis illuſtratus.* 303
Semecæ (*Job.*) *laus.* 496
Senatus *titulus Magiſtratui Gedanenſi vindicatus.* 201
Senenſis *Vicariatus feudum Imperii.* 154
Septem *Græciæ Sapientum Hiſtoria.* 456
Sethi *Hiſtoria fabulis corrupta.* 250
Sethitæ *hæretici.* 250
Severoli (*Marcelli*) *vita.* 510
de Apotheoſi liber affectus. 303
Sigillum *majus civitati Gedanenſi competit.* 200
De Sileſiacæ *Hiſtoriæ Scriptoribus ineditis Diſſ.* 143
Siſtri *variæ figuræ.* 301

Sma-

Digitized by Google

Smaragdi *ubi olim inventi ſint?* 410
Snellius *notatus.* 446
Sobieſciorum *familia illuſtrata.* 199
Soli *fertilitas unde pendeat?* 147
qualitas quomodo exploretur? 146, 147
Solis *effluvia afferta.* 185
Sonorum *ratio habenda in Poeſi.* 550
Spatium *cum materia num idem?* 445
Spatia *plusquam infinita defenduntur.* 512
Speckelius *commendatus.* 149
Spiritus *S. Proceſſio a Filio quando ſymbolo primum inſerta?* 3
Spiritus *nitri cum butyro antimonii efferveſcit.* 185
varias ſortitur figuras cum ſolido copulatus. 185
Statuæ *Deorum minio illinebantur.* 267
Stellæ *fixa ſunt inſtar punctorum.* 448
Stola *cur Carolus M. fuerit indutus?* 181
Styli *poetici varia ratio explicata.* 552 *ſqq.*
De Succino *ſcriptores.* 224
Syllogiſmorum *uſus defenſus.* 135
Sylvarum *cultura commendata.* 145

T Auruſii (*Dominici*) *vita* 510
Terra *eſt receptaculum ſalis & olei veri.* 185
Tertullianus *illuſtratus.* 301
Tharæ *idola ab Abrahamo combuſta.* 252
Theologiæ *Patrum Inſtitutionum T. III.* 144
Theodori *ecloga exſtant in Bibliotheca S. Marci.* 54
Theorematum *definitio.* 134
Therapeutæ *Chriſtianiſmo aſſeruntur.* 379
Thermales *aqua cur debitum effectum non ediderint?* 115
Thoracici *ductus figura nova.* 451, 452
Timphii *moneta Polonica.* 102
Titi *Præſulis Boſnenſis fragmenta.* 7
Trajectum *in nummis quam urbem denotet?* 467
Transplantatio *arborum exoticarum commendata.* 147

Tribunitiam *poteſtatem cur aſſumſerint Cæſares?* 303
De Trinitate *ſententia ſingularis Clarkii.* 260 *ſq.*
Tſchirnhuſius *quo duce in altiori Geometria uſus?* 220
Tubarum *Fallopianarum hydrops & hydatides.* 454
Typi *Hibernici quando primum fuſi?* 231

VAcuum *defenditur.* 445
Vaſa *vitrea recentiora cur frigore frangantur?* 447
Vaſorum *præparantium vitia in mulieribus.* 453
Veneti *ſubmiſſe Maximilianum I venerantur.* 464
Verborum *uſus.* 134
Virgilius *& Ovidius in quare differant?* 550
Virgilii *verſus mutilati unde?* 551
Virium *æſtimationem veram quinam demonſtraverint?* 314
intellectus examen. 136
Vis *attratrix, impugnata.* 308 *ſeq.*
quo in ſenſu admittenda? 361
Vita *quid?* 275
Viviani *ambitio.* 28
Ulefeldi (*Cornificii*) *fata.* 103
Unionem *Proteſtantium impoſſibilem credit Cromwellus.* 40
Ad Voluntatem *Dei quando in Philoſophia recurrendum?* 312
Vortices *cœleſtes impugnantur.* 362, 448
Urbicariæ *Eccleſiæ Pontifici Rom. paruerunt.* 383
Inter Urbicarias *& ſuburbicarias Eccleſias quod diſcrimen?* 383
In Urnis *crucis forma.* 443
Uteri *gravidæ vulnus non lethale.* 454
Vulnerariorum *medicamentorum natura.* 323

WAlachiæ *Principis Elogium.* 243
Walliſius *cryptographiæ peritiſſimus.* 398
Weſtcappellenſes *Leges eadem ſunt cum Wisbyenſibus.* 404
Whiſtonus (*Guil.*) *refutatur.* 167 *ſq.* 169 *ſq.*
De Wiclibetho *& Statuis Rulandinis Diſſ.* 191
Wienhuſinum *Monaſterium.* 22

Wis-

Digitized by Google

Wiſbyenſis *Juris Hiſtoria.* 403
Wolfii (*Chriſtiani*) *Elementa Matheſeos commendata.* 222 429
methodus docendi commendata. 222

Zamoſcii (*Johannis*) *Epiſtola ad Carolum IX Suec. Reg.* 41

ERRATA.

Pag. *30* *lin.* *21* oppoſita exempla *lege* appoſita exempla.
310 *lin.* *21* explicabili *lege* inexplicabili.
445. *lin.* *16* claſſicorum *lege* elaſticorum.
519 *lin.* *5* oſtendit *lege* eo tendit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165788107
Digitized by Google

Digitized by Google